

omnesque viatores erraticos, ad viæ regiæ semitam, tota die et nocte non tacendo, reducere valeatis. Date igitur operam, o magnum nostri sæculi decus, o clarum sidus mundo divinitus ortum, ne creditus vobis thesaurus inutiliter lateat, sed magis magisque nummulariis erogatus, perque vestram industriam centuplicatus, nobis et vobis sublimem immortalitatis gradum acquirat. Scio me valde temerarium esse, quia taliter exhortari vos audeo, sed ignoscat mihi serenissima pietas, de qua multum præsumo. Nam quia Pater amantissime, jactantiam omni studio declinatis, non mediocriter timeo, ne forte quasi sub hac intentione nimium latere velitis. Providendum est, vir discretissime, ne dum laudari ab hominibus nimium fugitis, ea quibus a bono patre familias fidelis ille servus evangelicus plurimum laudari merebitur (*Matth. xxv*). omittatis. Considerate, obsecro, quia sancti Patres nostri hujusmodi occasiones inveniendò nihil olim scripsissent, sed quamlibet bonam vitam inertis silentio transegissent, procul dubio nec tantos Deo populos acquisissent, nec apud nos modo tam celebrem, dulcemque memoriam habuissent. Scribendo autem, et Deo placere meruerunt per duplicem fructum sanctæ prædicationis, et cunctis post se venientibus exemplum præbuerunt piæ imitationis. Inde est quod tantum sui amorem fidelium cordibus impresserunt, dum in eis Deus loquens attenditur, et doctrina sancti Spiritus honoratur. Fit autem divina gratia mirabiliter operante, ut dum charitatem Dei legentium vel audientium mentibus accendunt, ipsi etiam apud fideles Dei causa amoris ejus amabiles et desiderantissimi existant: quodque pia jucunditate admirari possu-

mus, jampridem mortui in suis sermonibus vivant: et cum corporaliter non videantur, spiritualiter quotidie præsentiam suam nobis exhibeant. Verum quid facio ego, majestati vestræ talia persuadendo, et quasi rem difficilem vel alienam a personæ vestræ officio, verborum superfluitatibus extollendo cum scribendi studium speciali prerogativa Cluniacenses abbates a temporibus antiquis obtineant? Nec certe sola autoritate compelluntur ut scribant; sed et si non fecerint, sicut degeneres, multumque patriæ formæ dissimiles, necesse est erubescant. De quorum Patribus gloriosissimis solus ille pro exemplo nobis sufficiat, qui et prima civitatis nostræ fundamenta locavit, primusque tantæ reipublicæ princeps, primus tanti cœnobii Pater, primus tantorum in Christo filiorum genitor et nutritor esse promeruit. Odonem dico beatissimum, vitæ sanctitate præcipuum, doctrina et miraculis gloriosum. Qui quoniam non solum apud nos sed et per omnes pene Latinitatis ecclesias, maxime ob istiusmodi studia celeberrimus esse dignoscitur cunctis successoribus suis hujus officii gratiam jure hæreditario transmisisse suoque principio quasi dedicasse videtur. Quod si quosdam eorum nihil penitus scripsisse objicatis, excusatur Heimardus cum utroque Hugone: quibus videlicet illa eruditionis perfectio defuit. Excusatur Maiolus, quia fortassis ad hoc vacuum tempus non habuit. Vos autem quam excusationem affertis, qui, si istis comparemini, solus inter eos linguam habetis? Orante pro me beatitudinem vestram Deus misericors et omnipotens hic et in æternum custodiat, domine sancte; meritoque venerabilis et dilectissime Pater.

PETRI VENERABILIS ⁽¹⁾

EPISTOLARUM LIBRI SEX ⁽²⁾.

(Biblioth. Clun., 621.)

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

Summo Ecclesiæ Dei Pastori, et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO (3), frater PETRUS,

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(1) *Petri Venerabilis*. Petrus hic Arvernus natione, sed qua de familia creatus non liquet. Mona-

(2) *Epistolarum libri sex*. Harum epistolarum seriem ac dispositionem ordini suo genuino restitui-

(3) *Domino papæ Innocentio*. Hujus nominis secundo, qui electus est anno 1130 et ad quem sæpius alias scribit libris, I, II, III et IV.

D *humilis Cluniacensium abbas, devotissimæ humilitatis obsequium.*

Dominus Burdegalensis archiepiscopus (4) inter

chus enim Pictaviensis, Petrus et ipse nomine, cuius opuscula quædam exstant in hac bibliotheca, patrem

mus juxta fidem et testimonium Chronici Cluniacensis. Opera omnia Petri Venerabilis in epistolas, sermones

(4) *Dominus Burdegalensis archiepiscopus*, Gaufridus, ad quem ep. 12, lib. IV, ubi plura de eo.

cætera bona sua, quæ et ipse non ignoratis, multo A transitum fecit, et de prosperis successibus vestris erga vos fervens amore, per partes nostras nuper nos non minimum lætificavit. Et quoniam ob refor-

ANDREÆ GIESNII NOTÆ.

patrem ejus *divum Mauricium* cognominat his panegyrici, quem illi dixit, versibus :

*Nonne Arvernorum clarissima gloria, quondam
Exstitit, et patriæ lumen, honorque suæ.
Divus, Mauritius? quem, nostra Aquitania raptum
Deflet adhuc, cum quo decus atque potentia gentis
Tota sepulta foret, nisi quod generosa remansit.
Progenies, in qua veluti transfusa relucet
Nullo dissimilis patriæ virtutis imago.*

Nec ab eo longe recedit auctor Chronologiæ Cluniacensium abbatum, cum ait: *Hugone II post tres menses defuncto, electus est vir vitæ venerabilis dilectus dominus Petrus, cognomento Mauricii, nobilis genere, Arvernia oriundus.* Unde sine dubio corrigendi veniunt, et ille qui *Maturitium*, et Papius Massonus, qui *Mauriacenum*, velut a Mauriaco Arvernici oppido, nuncupant: sed utrum hoc ejus Mauricii cognomen, quod illi nunc primum restitimus ad veterum S. Mauricii in Arvernia comitum genus referendum sit, pronuntiare nobis non licet, cum utique vir doctissimus, et de antiquitate Gallica bene meritus Joannes Sauro, Arvernici et ipse alumnus ac lumen, e nobili Monboissierorum sanguine satum illum asseverare non reformidet, ac gentilitiis etiam ipsorum stemmatibus ad nos missis confidenter ejus effigiem decorare persuaserit. Quod certe melius adhuc, imo peroptime conveniret ei, si primos illos et antiquos Monboissieri vel dominos, vel ut in Chronico Cluniacensi legitur, domicellos, aut Mauricios olim cognominatos, aut sancti Mauricii comites fuisse palam esset. Ut ut res habeat, patrem ejus cognomine solo notum, Celsinaniis Arvernici monasterio post obitum sepultum fuisse; matrem vero, nomine Raingardam, postea Marciniaci sanctimonialis velamen accepisse, laudabiliterque vitæ reliquum ibi peregisse, discitur ex epistola 27, libri secundi. Ex eorum conjugio remanserunt octo liberi, quorum unum Ottonem vocat Petrus Pictaviensis, cum dicit:

*Nec facile advertas pulchra de conjuge natos,
Tam sunt egregii, morumne an divitiarum
Fecerit hæredes senior Mauricius, atqui
Vivere totus adhuc in fratribus Otto videtur.
Cumque eadem pietas, virtusque simillima patri
In septem reliquis miro splendore nitescat,
Tu tamen inter eos, dux noster et inclyte pastor,
Splendidus rutilans, ut cætera lucifer astra
Clara tui generis radiando sidera vincis.*

Reliqui illi septem fuerunt, primus, Hugo, cujus mentio fit Epistola 39. Libri vi, qui et ipse filias duas habuit Marciniaci cum avia Raingarde Sanctimonialis, nempe Pontiam et Margaretam. Secundus, Pontius, qui memoratur Epistolis 16 libri i, et 17 libri secundi: quique tandem Vizeliacensis abbas effectus est, ut ex epistolis 4 libri tertii, et 38, libri sexti patet. Tertius et quartus, Jordanus et Armanus monachi, de quibus epistola 17 libri secundi agitur: Quintus et sextus Eraclius et Eustachius, qui Pontii Vizeliacensis abbatibus germani vocantur epistola 4 libri tertii quorumque primus, scilicet Eraclius, quem et aliqui dicunt Heraclium, primo Lugdunensis canonicus exstitit, ut epistola quinta libri quarti docetur, et ex canonico postea factus est archiepiscopus itidem Lugdunensis, quemadmodum alibi plenius ostendemus; secundus autem, videlicet Eustachius, *unicus quantum ad sæculum pertinet, carnis Petri frater* remansit, ut in epistola 14, libri sexti manifeste declaratur. Septimus demum ipse Petrus, abbas Cluniacensis ix, de quo præter monachum Pictaviensem ejus notarium, D. Bernardum Clarevallensem, Suggestum S. Dionysii et Petrum Cellensem abbates, quorum ad illum, et illius

ad eos epistolæ plures reperiuntur, agunt adhuc Innocentius II, Pontifex Rom. in diplomatibus variis, auctor tractatus De reliquiis S. Stephani protomartyris. Cluniacum delatis, Robertus de Monte in supplemento Sigeberti versus annum 1158. Matthæus Paris in Historia Henrici II, Anglorum Regis, Henricus de Gandavo, lib. De illustribus eccl. scriptoribus, Nicolaus de Clamengiis cantor Baiocensis epistola ad Galiotum de Petra Mala, Joannes Trithemius lib. ii, Virorum illustrium ordinis S. Benedicti, cap. 123, et libro de scriptoribus ecclesiasticis, Guillelmus Paradinus lib. ii Histor. Lugdun., cap. 35, Nicolaus Vignierus in Chronico rerum Burgundionum, Conradus Gesnerus in Bibliotheca, Antonius Possevinus tomo III Apparatus sacri, Cæsar Baronius in Annalibus ecclesiasticis, Papius Massonus in Annalibus Francorum, Arnoldus Wionius in Ligno vitæ et ad Martyrologium monasticum Benedictinum, Renatus Chopinus in Monastico, et alii. Verum universalis atque mirabilis elogium doctrinæ, qua cunctis eum decessoribus suis plenius abundasse non solum loquendo, sed etiam scribendo testatur Petrus Pictaviensis, nequâquam hic omitti debet. *Quis unquam Plato subtilius, inquit idem Petrus ad ipsum scribens, quis Aristoteles argumentosius, quis Cicero pulchrius aut copiosius aliquando quidquam disseruit? quis grammaticus instructior, quis rhetoricus ornatior, quis dialecticus fortior, quis arithmeticus numerosior, quis geometricus regularior, quis musicus cantilenosior, quis astronomicus perspicacior exstitit? Sed et si de sanctis Patribus aliquid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor fluminum paradisi, quæ post sanctos evangelistas totum orbem irrigant, aliquid simile reportastis, quia cum Hieronymo velox, cum Augustino profusus, cum Ambrosio profundus, cum Gregorio clarus inceditis.* Vitam quoque pietatem, sanctitatem, et alias ejus virtutes copiose satis refert Chronicon Cluniacense, sed post Radulphum tantum monachum, ejusdem discipulum, qui et in epistola quadam de illius obitu scribit ad papam Adrianum IV in modum qui sequitur: *Recessit autem sanctus iste illa hora de corpore qua credimus Dei Verbum natum de Virgine matre: et bene hanc, ut ascenderet, horam elegit, qui nato descendenti humiliter semper servivit. Nascente ergo Christo virgine de Virgine matre in terris, Petrus virgo assumitur in cælis, ut qui gaudium singulis Nativitatis devote celebraverat cum peregrinis, quandiu vixerat, modo et hora ejus nativitatis reciperet fructum devotionis in sede æternitatis. Factum est autem magnum miraculum in hac dissolutione, quia sicut sanctus migravit a corpore, ut nullum fieret impedimentum officii matris Ecclesiæ, dicta litania ab episcopo, et finitis orationibus defertur sancti corpus ad locum ubi mortuorum corpora lavabantur, et ibi vestimentis nudatus, glorificati hominis gratia cunctis videntibus et stupentibus apparebat. Erat enim vitro purior, nive candidior, mirabili quadam pulchritudine cæleste corpus terreno adhuc præsignans. Quis crederet illam carnem cilicio aliquando fuisse tectam, jejuniis afflictam, meditationibus attenuatam, vigiliis maceratam? Erat jam quasi in quadam futuræ gloriæ transformatione splendidissimum, sine macula et ruga, donorum cælestium præsagium ferens. Osculabantur discipuli caput magistri, suggestant aquam quæ lavabatur, et unusquisque quod poterat rapiebat, etc. Quare et Martyrologium monasticum Benedictinum inter sanctos illum reponere non veretur, ac illi festum diem tribuere ad viii, Kal. Januar. his verbis, *Cluniaci natalis sancti Petri Mauricii abbatibus, doctrina et sanctitate clarissimi. Venerabilis dicitur et a Frederico imperatore in**

mandam pacem Ecclesiae Dei totam vos operam impendere, omne studium adhibere, nullum laboris periculum renuere retulit, motus sum animo ad vobis scribendum, quia corpore non poteram ad collaborandum. Doleo quidem, et non parum, teste illo quem fallere non possum, contristor, quod sine me labores tantos hoc maxime tempore toleratis, sed fragilitas cerei vasculi mei tanta est, ut, sicut saepe expertus sum, ad Italiae soles prius pene cogatur liquescere quam incipiat apparere. Vidistis ipse, qualiter hac de causa nuper apud Pisas et vobis inutilis, et mihi ipsi importabilis eram, ut nisi cito recedere festinarem, vitam simul et negotia terminarem. Ea sola et tota causa est, quae me tandiu vobis absentem facit. Quae si aut removeri, aut temperari utcumque posset, nihil me de reliquo a paternitatis vestrae vestigiis avellere, nulli casus filium a paterno latere abrumpere praevalerent. Interim quod possum facio, et his litteris charitativa praesumptione, et filiali devotione admoneo, ut Ecclesiae Dei onera, quae nostris diebus non humana, sed divina censura humeris vestris imposuit, viriliter supportetis, neque quantalibet laborum diuturnitate fatigemini, quoniam qui in vobis solo spiritu suo universam Ecclesiam univit, et totum pene orbem pedibus vestris subiecit, paucissimos, qui supersunt, inimicos subjiciet, et nomen catholicum super omne nomen haeresum et schismatum, ut assolet, attollet. Unde constanter, ut hactenus, vos habete, quoniam nunquam effectu frustrari potest ea oratio qua Christus pro Petro oravit, ut non deficeret fides ejus; sed potius ipse lapsos erigeret, trepidos confortaret, dubios confirmaret (*Luc. xxii*). Habetis cum tota Ecclesia vobis a Deo commissa, et me in membris Christi ultimum, vestramque pariter Cluniacum, qui quandiu fuerit spiritus in naribus nostris, ad obediendum, ad collaborandum, fortassis etiam ad commoriendum parati erimus. Nulla certe mutabilium rerum permutatio nos mutare, nulla varietas variare, nihil nos a pastore, nihil a Petro,

A nihil a Christo, quae omnia in te uno habemus, separare poterit. Sit ubicunque occurrerit habitatio vestra, manebit ubique vobiscum obedientia, et devotio nostra, quoniam et secundum poetam,

. *Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit....*

(*LUCAN. Phars.*, lib. v, vers. 28-29),

et Petrus in carcere, Clemens in exsilio, Marcellus in catabulo, non minus quam Laterani Ecclesiae praefuerunt, et oves Christi eis ut veris pastoribus obedierunt. Recordamini Ecclesiam semper laboribus crevisse, passionibus multiplicatam esse, tolerantia cuncta resistentia evicisse. ADAUGEAT vobis spem perfectae victoriae, ipse jam elapsus numerus annorum, quia qui per septem annos feliciter contra Dei adversarios dimicastis, in octava resurrectionis, velut post devictos inferos, Alleluia cantabitis, et Ecclesia quae post Christum suum de torrente in via bibit, propterea exaltabit caput (*Psal. cix*).

EPISTOLA II.

Singulariter venerando et specialiter amplectendo, domino et Patri suo MATTHAEO Albanensi episcopo (5), F. PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, quam promisit Deus diligentibus se.

Audiens nuntios vestros, legens litteras vestras, agnoscens indeficientem erga nos amorem vestrum, erubescō quod nihil dignum tanto affectui compensare valeo, nihil tantae charitati sufficiens retribuere me posse cognosco. Nihil plane, quia, etsi universa nostra vobis impenderem, nec sic digna rependerem. Ut enim Salomon ait in Canticis: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* (*Cant. viii*). Nihil est ergo quantum ad istud omne quod habeo, et ideo nihil in istis meritis vestris condignum invenio. Est tamen aliquid quod non nihil esse videatur. Si charitate non ficta diligens diligatur, hoc certe tam magnum est quam magna et ipsa charitas est. Hanc reverentiae vestrae, prout valeo, integro corde rependo: unde jam aliquid vobis retribuuisse confido. Statum no-

ANDREAE CHESNII NOTAE.

diplomate quodam his verbis, *Ob reverentiam et petitionem dilecti nostri Petri Venerabilis Cluniacensis abbatis, statutum donationis quod Cluniacensi Ecclesiae de Balmensi caenobio collatum est, nos quoque*

sermones, et tractatus dividit monachus Pictaviensis ejus notarius, cum ait: *Nec praesentibus tantum, sed et futuri temporis Christianis multum prodesse valebitis, si more Patrum vestrorum, prout vobis Spiritus divinus suggesserit, in sermonibus, in epistolis, diversisque tractatibus, tam praecleari monumenta ingenii posterorum memoriae relinquatis. Ad hoc enim sublimi Ecclesiae suae specula sanctitatem vestram providentia superna constituit, quatenus per viam Sion ad aeternae Hierusalem gaudia festinantes, ab infestantium Babyloniorum incursum defendatis, omnesque viatores erraticos ad viae regiae semitam, totam die et nocte non tacendo, reducere valeatis.* Epistolarum autem meminit et ipse Petrus Epist. 55 libri iv, et praefatus ejus amanuensis epistola 7, libri sexti. Sed quot libris distinctae fuerint ab eo, docet unicus

D regia auctoritate corroboramus. Et hoc quidem cognomentum par illi cum Venerabili Beda doctrinae pietatisque existimatio peperisse videtur.

Chronici Cluniacensis auctor, qui et sex tantum memorat, et quot unusquisque comprehendere debeat epistolas annotat. Unde et nos ejus fidem ac testimonium probantes, ob codicis manuscriptorum defectum, illarum omnium seriem ac dispositionem hactenus a Petro de Monte Martyrum et ipso Cluniacensi monacho, qui primus typis excudendas curavit anno 1529, interpolatam, ordini suo vero ac genuino restituere conati sumus. Quod utrum recte, qui ms. possident, optime dijudicare poterunt, et si quid aliter digestum comperient, nos monere, si lubet, non gravabuntur.

(5) *Matthæo Albanensi episcopo.* De familia Cluniacensium, ad quem etiam lib. ii, epist. 11, S. Bernardus epist. 21, et de quo ipse rursus fuisset lib. ii, Miraculorum, cap. 4, 5, 6, et seqq.

stram, super quo sollicitam dilectionem vestram agnovi, a benigno Salvatore benigne atque pacifice disponi noverit, præter quod Hispania morte regis Aragonensis novis motibus turbata, quibusdam monasteriis nostris consimilem perturbationem minatur. Reliqua per fratres nostros Petrum et Be- roardum domno papæ vobisque nota fecimus. Sed

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(6) *Domnus Trecensis episcopus. Hato, vel ut alii scribunt Ato, monachus et ipse Cluniacensis, ad quem idem sæpe postea.*

(7) *Paratus est dare nobis in Ecclesia sua unam præbendam. Et certe dedisse constat ex duobus ejusdem Hatonis diplomatibus, quorum unum jam descripsimus pagina 1407 hujus Bibliothecæ: alterum e Chartulario Trecensis ecclesiæ depromptum, et beneficio viri docti Nicolai Camuzatii nobis exhibitum, sic habet: In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Hato divina miseratione Trecensis Ecclesiæ minister humilis, omnibus Catholicæ matris Ecclesiæ filiis in perpetuum. Amicis Sponsi, vicariis Jesu Christi hoc potissimum incumbit, hoc præ omnibus est necessarium, ut sponsam Agni immaculatam, quam sanguine proprio sibi vindicavit, quibus possunt modis conso- vando studeant creditæ dispensationis honorificare ministerium. Eapropter cum Ecclesia Trecensis in diebus sacerdotii nostri, defectu et indigentia servito- rum suorum miserabiliter esset attrita, pie compassi fuimus, non sine multo mœrore, non sine multa cordis angustia. Antiqua enim famosioris Ecclesiæ nobilitas data erat in contemptum, gloria in confusio- nem, filiorum frequentia, super quorum assiduitate jucundari consueverat, versa erat in solitudinem forin- secus quidem quos habebat canonicos, non quæ Dei, sed quæ sua erant quærentibus, debiti servitii ho- norem matri suæ nequaquam reddentibus. Parti- cipato itaque cum sapientibus personis consilio, post multas et a compluribus annis protractas canonicorum nostrorum postulationes, statuendo, statuimus assentientes quod fecimus confirmante religioso ac ve- nerabili viro Alberico Hostiensi episcopo, sedis apo- stolicæ legato: ut qui de cætero in Ecclesia nostra canonicarentur, nisi ad Ecclesiæ servitium stationarios seipsos exhiberent nihil de præbendali beneficio præ- ter 20 solidos annis singulis acciperent, exceptis duntaxat Cluniacensibus, quibus ad præfati legati peti- tionem in Ecclesia nostra præbendam concessimus. Præterea adjiciendo adjicientes prohibuimus ne un- quam ulterius quacunque occasione vel pro qualibet persona de communitate fratrum singularis fieret, vel daretur alicui præbenda. Hoc autem totum ut non solum inter præsentis, sed etiam apud futuram poste- ritatem ponderis sui tenorem irrefragabiliter obtine- ret; auctoritate Dei, et domini legati, et nostra, voce propria, fratribus universis corde et ore consentien- tibus, anathematis sententiam in eos promulgavimus, qui quocunque tempore, quocunque modo, quod pieta- tis intuitu decrevimus permutarent; aut (quod absit!), in irritum revocarent, salva nimirum apostolicæ Ma- jestatis reverentia. Præsentem itaque paginam ad nostræ constitutionis munimentum sigillo domini le- gati, et nostro proprio, et communi fratrum sigillo confirmantes roboravimus, subscriptis personarum quæ inter fuerunt, et approbarunt, nominibus.*

Signum Domini Alberici legati

S. Hatonis episcopi

S. Theobaldi abbatis S. Columbæ Senon.

S. Guillermi de S. Martino

S. Errardi de S. Lupo, et

Hugonis de Criciaco abbatum

S. Balduini Noviomensis decani

S. Odonis præpositi.

S. Manassæ, item Manassæ, Odonis, Falconis archidiaconorum, et

Burdini, Guarneri, Stephani presbyterorum.

A quod eis festinantibus et nois occupatis tunc man- dare nequivimus, nunc litteris præsentibus intima- mus. Domnus Trecensis episcopus (6), ut nostis charissimus noster, paratus est, ut dicit, dare nobis in Ecclesia sua unam præbendam (7), sicut Carnoti vel Aurelianis antiquitus datæ sunt (8), ut red- ditu illius multa, quam non ignoratis. Cluniacen-

S. Petri, Droconis diaconorum.

S. Tegerii, Petri, Guerrici, Hilduini subdiaconorum.

Actum Trecis in solemni capitulo, anno ab Incar- natione Domini 1145.

Gibuinus cancellarius scripsit et recognovit.

Verum postea Stephanus abbas Cluniacensis, præbendam illam Henrico Trecensi episcopo, præ- fatæque Trecensis Ecclesiæ capitulo, consentiente B Theobaldo Cluniacensi priore, reddidit; et in re- compensationem Henricus comes Trecensis dedit Ecclesiæ Cluniacensi in annuis redditibus XII libras Pruvinenses, ut ex sequentibus etiam archivorum Ecclesiæ Trecensis instrumentis palam est. In no- mine sanctæ et individue Trinitatis, ego Stephanus Cluniacensis abbas, venerabili Henrico episcopo et Trecensi capitulo, eorumque successoribus in perpe- tuum. Dignum est, et officio æquitatis conveniens, transactiones et pacta..... transigentium volun- tatibus constituta, ne processu temporis in oblivio- nem deveniant, fidei committere litterarum. Eapro- pter præbendam quam Cluniacensis ecclesia in ec- clesia vestra habebat, vobis assentiente capitulo [con- ventu] nostro concedimus, et donamus, et reddimus absque omni reclamatione libere in perpetuum possi- dendam, et cui volueritis assignandam. Vir autem nobilis, et Ecclesiæ Dei specialiter devotus Henricus Trecensis comes Palatinus dedit Cluniacensi Ecclesiæ in elemosynam in annuis redditibus duodecim libras Pruvinensis monetæ, utrique Ecclesiæ liberaliter pro- videns..... dum, et Trecensis ecclesia præben- dam suam recepit, et Cluniacensis propter hoc nihil amittit, imo et melius de beneficio communiter con- sequitur, quod et fructuosius et sibi congruentius esse non dubitet. Retribuat ei qui retribuere potest, et qui in causa, imo et causa est, Dominus Deus. Ne autem nihil mutaretur vel deperiret, sigillo nostro munire curavimus, etc. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1164, regnante Ludovico Francorum rege, anno XXXI regni ejus.

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Ego Theobaldus Cluniacensis prior, et totus ejusdem Ecclesiæ conventus, Henrico Dei gratia Trecensis Ecclesiæ venerabili episcopo, et toti ejusdem capitulo in perpetuum. Quoniam quidem..... transigen- tium pacta et conventiones ne oblivione possint de- leri, litteris et sigillis gaudet insigniri, et sic ratum credit esse quod tenet. Nos id quod dominus ab- bas Cluniacensis Stephanus precibus pii et glo- riosi comitis Henrici de præbenda, quam habebamus in ecclesia vestra, fecit, videlicet quod eam vobis red- didit, cui volueritis assignandam, et laudamus et concedimus, et confirmamus: et licet contra consue- tudinem ecclesiæ nostræ, amore tamen comitis dicti, sigilli nostri munimine roboramus. Quia autem præ- videntia suæ discretionis sæpe nominandus comes, ne preces ejus nos in aliquo gravare viderentur, apud Sanctam Margaretam de Campania beneficium duc- decim librarum, sicut ejus charta continetur, eccle- siæ nostræ singulis annis statuit reddendum, etc. Actum est hoc anno 1165 regnante piissimo rege Francorum Ludovico.

(8) Sicut Carnoti et Aurelianis antiquitus datæ sunt. De Cluniacensium in Ecclesia Carnotensi præ- benda reperitur, et hoc Alexandri papæ IV rescri- ptum in Cluniacensi Chartulario, quod ex ceteris

sium fratrum indigentia relevetur. Hoc si secundum Deum fieri potest, rogo ut per vos fiat. Sin autem, nec totum mundum lucrari, quolibet animæ periculo volo. Constantinus presbyter, Cluniacensis hostis, et antiqui schismatis auctor, cumulo malorum priorum etiam recens perjurium adjecit, et die causandi cum Stephano in præsentia nostra suscepta, me inscio, sicut audivi, Pisas profectus est, ut solitis mendaciis curiæ nostræ judicium subterfugiat. Super quo per vos domno papæ intimari peto, ne presbytero nostro judicium Ecclesiæ nostræ, a qua nil læsus est, subterfugere liceat. Nam si aliter fieret, et a tam vili persona tantam Ecclesiam deformari permetteret, plusquam ad præsens dicere possim, Cluniacenses suos quod tamen salva majestatis ejus reverentia dictum sit, perturbaret. Abbas Bonævallis (9) quæ juxta Carnotum est, cum quampluribus honestis et sapientibus viris, ut asserit, Cluniacum venire disponit, si per consilium sapientiæ vestræ licentiam recedendi a domno papa impetrare potuerit. Nostis enim causas, quibus irretitus diu a suis retineri non possit. Unde et super hoc litteras sibi mitti precatur. De statu domni papæ et vestro, quem prosperari tam pro communi utilitate, quam pro vestra requie, avidissime desidero, mihi quod est remandate, ut cognitis quæ circa vos sunt, aut congaudeam, aut collaborem.

EPISTOLA III.

Venerabili et charissimo nostro domno Aimerico sedis apostolicæ cardinali et cancellario (10), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Doleo, et non parum contristor, quod sicut negotiis nostris, et quorumdam aliorum expediret, morari vobiscum aliquandiu in cūria, corporis fragilitate et contrarii aeris qualitate prohibente, non possum. Sic natura mea universa Italicæ regionis elementa simul et alimentā sibi nociva quam maxime sentit, ut illuc ire mortem, redire vitam arbitretur. Unde frequentius in causis emergentibus,

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

rimi præsidis Thuani bibliotheca nobis humanissime suppeditatum est.

De præbenda quam habent Cluniacenses in Ecclesia Carnotensi.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Clun. salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis, etc. *Vide in Alexandro III, ad an. 1181.*

(9) Abbas Bonævallis. Forsan Hugo, ad quem sanctus Bernardus epist. 551.

(10) Aimerico sedis apostolicæ cardinali et cancellario. Ad quem iterum epist. 54 hujus libri, et divus Bernardus epist. 15, 20, 48, 51, 53, 54, 157, 160, 162 et 181.

(11) Contra Biterrensem episcopum. Biterre Septimanorum civitas ad Obrim fluvium. Usuardus ad xi Kal. Aprilis, *Apud Septimaniam civitate Biterris depositio sancti Aphrodisii episcopi et confessoris*; Guillelmus Neubrigensis libro secundo, capite 11 *Bederensem urbem*; Plinius lib. tertio, cap. quarto; et Pomp. Mela libro quarto, cap. quinto, *Blyteras Septimanorum*; Hildebertus in Vita sancti Hugonis *Bliterium*, et Rigordus libro primo De gestis Philippi Augusti *Biterim civitatem opulentissimam vo-*

ices meas litteris meis committo, ut per eas expleam quod per me non valeo. Rogo igitur sinceram erga me jam ab antiquo amicitiam vestram, ut in negotio præsentis (quod meum non nisi ex charitate est) ipsa magis quam ego charitas audiatur, et probatæ veritati magis quam mihi scribenti credatur. In partibus nostris, quod vos ex parte nosse existimo, sic rerum ordo mutatus, sic pax ecclesiastica inter plurimos perturbata est, ut corporis Christi membra contra se invicem insurgant, et velut si digitus oculum eruere minetur, vel manus pedem abscindere tentet, ita se intestina discordia vastant, et non tam gladiis quam odiis, non tam percussoribus quam cupiditatibus insectantur. Et quod amplius perversum est, minoribus majores, subditis prælati monachis episcopi, sic infesti sunt, ut non sicut pastores gregem pascere, sed sicut vere secundum Evangelium mercenarii (*Joan. x*), ad lanam tondendam, et lac emulgendum toto adaisu intendere videantur. Hæc querela cum multorum monachorum adversus multos episcopos sit, Anianensis tamen monasterii contra Biterrensem episcopum (11) nuper importabilem querelam accepimus, Quam si per singula explicare tentavero, nimius vel forte tædiosus apparebo. Ad quod vitandum, tacendi consilium assumpsi, pro universis, quæ diffusius enumerare potuissem, breviter deprecans, ut fratres illos ad vos venientes benigne audiatis, et exaudiatis, et ut spiritualis monasticæ religionis defensor, Anianense monasterium nobile, et, ut ipse vidi, religiosum, tam pro salute animæ vestræ quam quia sub tuitione apostolica ab antiquo constitutum est, a tantis oppressionibus eruatis.

EPISTOLA IV.

Totius reverentiæ et dignitatis viro, vere sacerdoti Dei, HUGONI Rothomagensium archiepiscopo (12), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, sanctorum sacerdotum honorem et gloriam.

Mandavit nobis reverenda charitas vestra, in fine

cant. Subest autem archiepiscopo Narbonensi, diciturque vernacule *Beziers*.

(12) Hugoni Rothomagensium archiepiscopo. Infra lib. vi, epist. 52. S. Bernardus epist. 25, et Arnulfus Lexoviensis episcopus fol. 18, qui et ipsi tale posuit Epitaphium:

*Inter pontifices speciali dignus honore
Hic nostræ carnis Hugo resignat opus.
Consignata brevi clauduntur membra sepucro,
Non tamen acta viri claudit uterque polus.
Quidquid dispensat et comparitur in omnes,
Gratia contulerat præstiteratque viro.
Fecundos igitur virtutum copia fructus
Fecit, et ultra hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vitæ,
Sustulit emeritum flebelis hora senem.
Par, Martine, tibi consorsque futurus eandem.
Sortitus tecum est commoriendo diem.*

Scriptit autem et idem Sugerio abbati S. Dionysii epistolam unam, et alia etiam multa reliquit suæ doctrinæ monumenta, quorum unum super hæresibus in Armorico tunc scatentibus necdum impressum Alberico Hostiensi episcopo dedicavit epistola

litterarum suarum, quatenus esse charissimi fratris et filii vestri Guillelmi rescriberemus vobis. Nos autem in ultimo quasi de re contemptibili ejus mentionem facere refugientes, in primis, ut dignum est, eum ponimus, quem nequaquam in superno ordine novissimum locum jam tenere speramus. Delatus sancto desiderio suo, et laudabili studio vestro, ad pauperis Martini diversorium, dici non potest quo gaudio exsultaverit, quantas Deo gratias egerit: quod post tam longos terrarum circuitus, ad patris sinum filius, ad nutritoris gremium alumnus redisset, atque in ejus manibus extremum se fundere spiritum speraret. Hoc gaudio cum venimus, exsultantem invenimus. Aducta est ei tanta de adventu nostro lætitia, ut jam pene totius incommodi oblitus, seipsum vix caperet, et, nisi lectus, quo decumbere cogebatur, ægrum proderet, vultus et gestuum alacritas sanissimum indicaret. Visitatum se a Deo, datum sibi esse supra quam petiisset aut intelligeret, ad se venientibus, et singulis et omnibus fatebatur. Nihil sibi jam deesse, securum se misericordiam Domini præstolari, vocationem suam non jam timere, sed optare, assidue protestabatur. Quotidiana a nobis visitatione frequentatus, peccata confiteri, Deo gratias agere, fratrum se orationibus commendare non cessabat. In hujusmodi studiis constitutum, cum eum paulatim viribus extenuari, ac magis magisque debilitari cerneremus, a domno Vizeliacensi abbate eum inungi, ac sacri corporis viatico refici fecimus. Deinde Salvatoris adveniente nativitate, post auditam missam sacra rursus communionem confortatus, ad diem usque sancti Joannis evangelistæ sensim corpore deficiente pervenit. Quae die cum post Vesperas more solito ad eum visitationis gratia cum fratribus venissem, valdeque aggravatum vidissem, sumpto ab Ecclesia Dominico corpore, manibus eum propriis cœlesti pane cibavi. Post paululum, loqui cessavit. In quo silentio a media nocte inchoato per totam sequentem diem perdurans, vespertina hora nil jam terrenum sentiens, loqui omnibus nobis admirantibus cum quanto poterat clamore hujusmodi verba cepit: *Domine, miserere, chare Domine, miserere, Domine, misericordiam*, et, ut nobis videbatur, aliquando: *Martine domine, miserere*. In hac diutina et non interpolata misericordiae invocatione, die sanctorum Innocentium, innocens anima nobis omnibus astantibus et orantibus miseras mundi excessit, et, ut dignum est credere, ad misericordiam, quam devote toties flagitaverat, pervenit. Cujus corpus in claustro infirmariæ ante capellam beatæ Matris misericordiae a nobis honorifice, ut decebat, sepultum, gloriam resurrectionis inde per Dei gratiam suscitandum, expectat: et interim pro requie spiritus, sui repræ-

sentatione ad intercedendum quoslibet transeuntes invitat. Ad ultimum notum vobis facio clericum, quem in obsequium beato huic fratri vestro dedistis, injunctum officium ita fideliter et devote implere, et, licet alieno servitio, nostram intantum gratiam acquisisse, ut et si omnes ei defuerint, nos deinceps nullatenus possimus deesse. Pro quo sanctitatem vestram rogamus, ut eam fidem experiatur a vivis quam studuit servare defunctis. Scripsit super eo paternitati vestræ beatus ille in extremis agens, cujus ultimis præcibus et quasi testamentariis litteris aliquid negare, non dico vestrum, sed nec aliquorum honorum est.

EPISTOLA V.

Venerabili, et in Christi charitate totis animi visceribus suscipiendo, domino ATONI Trecensi episcopo, frater PETRUS humilis abbas Cluniacensium, salutis et dilectionis plenitudinem.

Unde incipiam nescio. Unde exordium faciam, prorsus ignoro. Serenam diem tenebrosa nubila contexerunt, nitentes solis radios caliginosi aeris fumositas obduxit, meridianus fulgor teterrimarum repente umbrarum faciem induit. Rerum naturam mutata est, oriens in occasum conversus est, ignis prævalidus subito extinctus est, funis argenteus ruptus est, amicus ab amico disjunctus est. O amicitia, res inter mortales admodum pretiosa, sed quanto charior, tanto rarior, quo abisti? Quo terras perosa secessisti? Ut quid miseros homines, animorum firma conjunctio, reliquisti? Cur absentia tua cuncta deserta fecisti? Fortassis, ut de columba illa antiqua legitur, non inveniens ubi pes tuus requiesceret, ad arcam redisti, et ab architecto Noe suscepta, diluvii pericula effugisti (*Gen. viii*). Vere, inquam, tu columba æternæ pacis amica, felle carens, nihilque nisi diligere sciens, undas tumultuum, fluctusque discordiarum universam terram obtinentes, horruisti: nullumque in imis requiei locum inveniens, festino reditu ad superos revolvisti. Tu Noe mundi fabricatoris manu recepta, cœlorum intima penetrasti, et extrema cuncta discessu tuo in invicem commovisti. Inde conspirantia in mutuum interitum terrena omnia cerno, inde regna in se consurrexisse conspicio: inde totam mundani corporis molem compagibus dissolutis labefactari passim ac diffluere video. Inde est quod nec proximus proximo, nec amicus amico, nec frater fratri, nec patri filius fidem servat; inde quod omnium necessitudinum jura violantur, inde quod sanguis universarum superficiem jam tinxit terrarum. Sed quid ego de his, quæ extra sunt, conqueror? Quid remota defleo? Quid aliena deploro? Ubi domestica turbantur, quid externa curantur? Qui mihi ipsi convenire nequeo, cui pacem servabo?

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

brevis, quæ studioso viro domno Martino Marrier accepta referenda sic habet.

« Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio Alberico Hostiensi episcopo quamvis sæpe sedis apostolicæ legato,

peccator Hugo Rothomagensis utcumque sacerdos.

Reverende Pater, etc. *Est epist. dedic. ad librum De hæreticis sui temporis. Vide in Hugone ad an. 1164.*

Si mihi nequam, cui donus ero? (*Eccli. xiv.*) Sed quorsum ista? Te, te, inquam, respiciunt olim, unanimis amice, aliquando charissime, et juxta Flaccum, non quidem nunc, sed quondam..... *animæ dimidium meæ* (*HORAT. Od. lib. I, od. 3, vers. 8*). Queror itaque me a te impie dimidiatum, non integrum remansisse; queror, quod indissolubile putabam, charitatis te vinculum dirupisse; queror pactum foederis, in quod mecum juraveras, temerasse. Forte me tecum austerius justo agere respondebis. At ego longe remissius quam debeam, quamque tua in me peccata meruerint, me loqui profiteor. Quod si quæris quæ illa sint, et jam dixi, et adhuc replico in uno te omnium malorum reum factum esse, Apostolo teste, qui ait: *Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac. II*). Hoc unum charitatem esse, nemo qui dubitat. In hoc uno offendisti, quando nil te lædentem, fidem servantem, sibique a te servari credentem amicum deseruisti. Sed dices forsitan: Nihil horum quæ objicis agnosco, fidem teneo, charitatem conservo. Esto, fidem tenes, charitatem conservas. Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Si ignis est, calet. Si calet, non diu flammam continet. Si diu continuerit, mox ignis esse cessabit. Solebant a partibus vestris ad nos frequentes venire legati, nuntii nuntios prævenire, sequentibus epistolis primæ anticipari, a Treccis usque Cluniacum (13) strata publica euntibus ac redeuntibus continuari. At nunc invia facta sunt omnia, impenetrabiles Riphæi montes interpositi, innavigabile Indorum pelagus effusum et quod astringit Scythicum glaciali frigore pontum, accessum prohibent: novum linguæ silentium, manibus otium, et dictandi imperitia et scriptorum inopia indixit. Nusquam in arundinetis calami, nusquam in avibus pennæ, nusquam in quadrupedibus pelles. Hæc quia desunt universa, magnus ille tui erga amicum amoris affectus indicari non potest. Nunc igitur quia expectavi, et non sunt locuti (*Job xxxii*), auscultavi et non fuit qui responderet, prior in verba prorumpo, quoniam etiam infido fidelis esse cupio. Evigila ergo saltem excitatus, revertere vel revocatus, loquere vel interrogatus. Rescribe, non in corde et corde loquens, sed simplici corde quod est, non quod non est, confitens, si amor ille a superno amore derivatus, quo pariter ad beatam vitam aspirare olim cœpimus, adhuc permanet, ut si eum in suo statu manere cognovero, simul gaudeamus; si imminutum sensero, ad reintegrandum eundem simul etiam laboremus. Quod si me aliquo insusurrante hanc mutuam, quæ in nobis esse debet, læsisse charitatem suspicaris, paratus sum aut ræyem diluere, aut quantacunque a te injecta

A mihi verbera fuerint, æquo animo tolerare. Si audacius quam debui forte locutus sum, oro des veniam, quoniam non ex superbiæ inflatione, sed ex amoris præsumptione ista protuli. Nec ut abbas episcopo, sed ut verus in Deo amicus vero, ut arbitror, scripsi amico.

EPISTOLA VI.

Venerabili domino et charissimo Patri ALTONI Treccensium pontifici, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, sanctorum pontificum gloria et honore coronari.

Spes mutui colloquii, et expectatio diu desideratæ vestræ confabulationis, quam in proximo me adepturum confido, animum post litterarum vestrarum lectionem in verba prorumpere volentem compepsit, aggerem rationum jam comportatum dispersit, fontis venam jamjamque profluere nitentem, velut obice indito, obturavit. Nam vane me laborem impendere, tempus insumere reputavi, si, quod pectoris tui sacrario familiari colloquutione communicare possem, litterario opere notum facere maluissem. Quod nisi mentis meæ conatibus obviaret, dicerem forsitan myrrhæ et aloes, ut verbis vestris utar, plusquam libras centum non frustra me misisse. Sicut enim talibus remediis amato ne putrescat subvenitur corpori, sic ego languescenti, ne paulatim difflueret, paravi subvenire amori. Sed et si amor incorruptus myrrha mea et aloë non eguit, devoti tamen cordis obsequium contemni non debuit. Licet enim de Domini corpore Psalmus Deo dicat: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal. xv*), et hoc divina virtute, non aromatica factum fuisse nemo sapiens dubitet, tamen Joseph et Nicodemus, qui talibus unguentis Dominum inunxerunt (*Joan. xix*), fructum devotionis suæ apud eum minime perdiderunt. Ita et ego unguentis quidem meis etsi nihil inviolato amori contuli, ea tamen exhibendo affectus mei devotionem ostendi. Nec incongrue, qui mel et favum dulcium sermonum, ut epistola vestra testatur, mittere solebam, nunc austeriorum verborum myrrham et absinthium misi, quia et de Sponsa in Canticis dictum legi: *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua* (*Cant. iv*). Et de Sponso: *Labia ejus distillantia myrrham primam* (*Cant. v*). Labia ergo non semper mel, sed aliquando etiam myrrham distillant, quia loquentes pro rerum qualitatibus quandoque dulcia, quandoque mordentia verba dispensant. Exinde delectabile totius epistolæ vestræ iter jucundo animo ac pede libero incedebam, cum subito in funem argenteum offendi, eoque gressibus implicatis pene corruui, et nisi ab amico, non a doloso quolibet extentum intellexissem, exclamare volui: *Et funes extenderunt in laqueum; juxta iter scandalum posuerunt mihi*

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(13) A Treccis usque Cluniacum. Treccæ Campaniæ urbs ad Seguanam, quæ Ptolomæo Augustobona, Marcellino Tricassæ. Sidonio Tricasses, et Tricassina civitas epist. 12 lib. vii dicitur. Sed frequentius

Treccæ tam apud Gregorium Turonensem, Frodoardum et alios veteres, quam apud mediæ sæculi scriptores, Gallice Troyes.

(*Psal.* cxxxix). Putastis enim, quando dixi, funis argenteus ruptus est, me pecuniam cogitasse, et, quia a dando manus vestra cessasset, ruptum funem dixisse. Sed quomodo de verbis meis talis vobis innasci potuerit intellectus, quomodo tam sinceri animi mei dicta opinio vestra tam prave potuerit interpretari, non satis mirari sufficio. Pene, pene, ut dignum esset, adversus amicum stomachando dicerem, nisi excedere formidarem: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (*Matth.* vi). Non ego, non ego talis, etsi multum inutilis, non ego, inquam, talis qui deserviam mammonæ; non ego amicus pecunia redemptus, non ego de illis qui tandiu diligunt quandiu accipiunt, qui avaritiam magis quam justitiam colunt, qui amicitiam propter pecuniam conservant. Non sunt, non sunt tales amicorum nomine honorandi, sed cupidorum ignominia detestandi. Absit, absit a me talium consortium, quos non tantum divina sapientia, sed etiam mundana prudentia execratur! In tales poeta ironice invehitur, dicens:

O cives, cives, quærenda pecunia primum est.

Virtus post nummos.

(*HORAT. Epist. lib. 1, epist. 4, vers. 53, 54.*)

Et alibi non jam deridens, sed quod verum est, pronuntians, ait:

Vilius est argentum auro, virtutibus aurum.

(*HORAT. ibid., vers. 52.*)

Gratis venerandam paternitatem vestram et semper dilexi, et in æternum Christi charitate donante diligam, quia, secundum Apostolum: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos* (*I Cor.* xii). Vos, inquam, quæro; de vobis non de pecunia peritura in sempiternum gaudere concupisco, gaudio illo quod juxta Domini sententiam, *nemo tollat a nobis* (*Joan.* xvi). Quod dum sumus in corpore, dum vacat nobis, dum est tempus acceptabile, dum sunt dies salutis (*II Cor.* vi), providere satagamus. *Antequam, ut Salomon ait, rumpatur funis argenteus, et recurat vita aurea, et conteratur hydria super fontem, et spiritus revertatur ad Deum qui fecit illum* (*Eccli.* xlv). Ecce quid in fune argenteo intellexi, non scilicet ligamen aliquod, vel metallum, sed præclarum charitatis vinculum, quo anima Jonathæ alligata est animæ David (*I Reg.* xviii), et de quo Apostolus: *Ante omnia, inquit, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quod est vinculum perfectionis* (*Coloss.* iii). Sed quia jam proposita brevitatis, et proximum, ut jam dixi, colloquium finire verba præcipiunt, reprimendus est stylus, ut quod hic minus scribitur, ibi latius disseratur.

EPISTOLA VII.

Venerabili domino et unanimi nostro Atoni Trecentensi episcopo, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, quod sibi.

Gaudeo et immodice gratulor non ita me a mente

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(14) A cura Gaicensis monasterii. Quod aliter *Decanatus beatæ Mariæ de Gaya* nuncupatur, estque

A vestra excidisse, ut suspicabar. Putabam etenim diutino illo ac monstruoso silentio vestro me posthabitum, et facili mobilitate vestri animi statum a pristinae charitatis stabilitate mutatum. Sed cum nuper missa reverentiæ vestræ amicabilium querelarum epistola rescriptum exspectarem, ut secundum ejus tenorem de cordis vestri dubio judicarem, prævenit illum non omnino sopita dilectio, seque adhuc spirare paucis quidem sermonibus, sed magnis affectibus indicavit. Quod me, ut dixi, valde lætificatum, et velut ex quadam desperatione in spem reductum, ad rescribendum super his quæ scripsistis breviter animavit. Mandastis siquidem ut charissimum filium nostrum Petrum a cura Gaicensis monasterii (14) absolverem, et eum alio ad Deo serviendum dirigerem. Nos vero quoniam magis ex ipsius vos corde quam ex vestro locutum, ipsis etiam litteris indicantibus, cognoscimus, atque ipsius non vestræ voluntati scribendo satisfacisse, vestræ potius voluntati, quam litteris obtemperare decrevimus. Remittimus ergo eum dilectæ paternitati vestræ, quatenus eum non ut annum, sed, ut perpetuum; nec ut tantum vivum, sed ut etiam scripsistis, mortuum priorem in æternum possideatis. Sic ergo eum commendatum habete, ut nec eum rediisse, nec nos eum remisisse poeniteat. Quando ad partes Aquitanicas ivimus, per vos iter agere proposuimus; sed propositum nostrum itineris acceleratione ac temporis brevitate intermittere coacti sumus. Sed, præeunte misericordia Dei, quod tunc non potuimus, in proximo implere curabimus, nec prius parietes domesticos revisemus, quam de mutua in Domino præsentia gaudeamus. Expectabit ergo alium adhuc nuntium nostrum, per quem certum ad vos mandemus adventum nostrum.

EPISTOLA VIII.

Petrus humilis Cluniacensium abbas, Stephano presbytero jurisperito, salutem.

Longam epistolam fecisti, sed non bene in ea, cum jurisperitus appelleris, rhetoricam conservasti. Quod si ignoranter, indulgendum; si scienter, contumaciæ imputandum. Placandum, non exasperandum judicem in oratione artis regulæ præcipiunt. At contra, litteræ quas misisti impropria sonant, contumelias redolent, minas spirant. Tali suadela nihil unquam nisi ab invitis impetratum est. Precibus, non minis, obsequiis, non contumeliis, solet quod petitur impetrari. Nihil igitur a nobis tali remedio te consecuturum speres. Insipide enim et indocte perorasti, dum eum quem placare etiam commotum debueras, benevoluntate ante et beneficium irritasti. Accede ergo magis ad contra nos insurgentes et adversum nos te non minimis, sicut scripsisti, præmiis invitantes, nec perdas promissum ab aliis lucrum, a nobis non recepturus nisi quod litteris Cluniacensis ordinis membrum in episcopatu Trecentensi.

teræ promeruerunt, et iustitia dictaverit responsum.

EPISTOLA IX.

Dilecto filio suo magistro PETRO (15), frater PETRUS humilis abbas Cluniacensium, oculum videntem et aurem obedientem.

Laboranti tibi, fili dilectissime, in sæcularis literaturæ scientia, et gravi humanorum studiorum fasce onustato misertus, cum nullam labori mercedem, nullum oneri tuo levamen videam, te tempus inaniter consumere ingemisco. Si enim vere philosophanti hic solus et certus finis est, ubinam vera beatitudo consistat agnoscere et agnitam adipisci, ut ea adepta de misero possit esse beatus, nec beatitudo valeat dici cui boni aliquid deest, summum autem bonum beata æternitas est: quis dicere audeat eum philosophari, qui universis laboribus suis non ad æternam beatitudinem, sed ad æternam miseriam tendit? Sudaverunt in hujus beatitudinis inquisitione antiquorum ingenia, et quod altissime reconditum latebat, velut de occultis terræ visceribus multo conatu eruere contenderunt. Hinc artium adinventiones, hinc multiplices argumentationum perplexiones, hinc sectarum in invicem compugnantium infinitæ dissensiones, quarum aliæ in corporum voluptatibus, aliæ in animi virtutibus beatitudinem constituebant, aliæ supra hominem quærendam esse censebant, aliæ aliud asserentes omnibus contraibant. Hos errare et quod in supernis celabatur, in imis quærere et mendacii confusione mortales in terris falli, Veritas de cælis intuens, eorum miseriam condolens, de terra orta est; et ut a talibus videri posset, similitudine carnis peccati assumpta, his et similibus malis laborantibus clamavit, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis; et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos (Matth. xi).* Et quia eos profunda veritatis ignorantia teneri vidit, magisterii voce assumpta, subjunxit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (ibid.).* Et cum in montem conscendisset, aperte non tantum ubi vera beatitudo invenienda esset, sed etiam qualiter ad eam perveniendum esset edocuit, et omnium beatitudinem investigantium curiositatem compescuit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum (Matth. v).* Ecce sine Platonicis meditationibus, sine academicorum disputationibus, sine Aristotelicis laqueis, sine philosophorum doctrinis, inventus est locus et via beatitudinis. Sileat ergo humana præsumptio, audito divino magisterio. Conticescat falsitas, quia docet Veritas. Deserat docentis cathedram homo, quoniam ad docendum residet Deus homo. *Beati, ait, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quid igitur,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(15) *Dilecto filio magistro Petro.* Pictaviensi monacho, quem et alibi Petrum a S. Joanne vocat, et amanuensam, sive notarium ac scribam suum

A charissime, scholas oberras? quid et doceris et docere conaris? Quid per millia verborum, quid per multos labores inquiris quod simplici sermone, quod parvo labore, si volueris, assequi poteris? Quid inani studio cum comædis recitas, cum tragædis deploras, cum metricis ludis, cum poetis fallis, cum philosophis falleris? Quid jam non philosophiæ, sed quod pace tua dictum sit, tantam stultitiæ operam impendis? Stultitiæ, inquam. Nam et hoc veri philosophi dictum est: *Nonne stultam fecit Deus sapientiam mundi? (I Cor. i.)* Curre ergo, fili mi, ad propositam tibi a cœlesti Magistro, totius philosophiæ unicum fructum, regni cœlorum beatitudinem, quam adipisci non poteris, nisi per veram spiritus paupertatem. Verus enim, ut supra dixi, Magister totius mundi scholæ præsidens, et cathedras falsa docentium evertens, pauperem spiritu dixit esse beatum, quoniam ei esset summa beatitudo reposita, hoc est regnum cœlorum. Aggredere viam paupertatis, qua itur ad beatitudinem regni cœlestis. Viam, inquam, aggredere paupertatis, non tantum corporeæ quantum spiritualis, non tantum rerum quantum humilitatis, non tantum carnis quantum mentis. Eris tunc verus philosophus Christi, cum in te stultam fecerit ipse sapientiam mundi. Nam si secundum eundem Apostolum volueris esse sapiens, stultus esto ut sis sapiens, neque te logicæ garrulitatem, physicæ curiositatem, vel aliud quidlibet scire glorieris, nisi Christum C Jesum, et hunc crucifixum. Quia si ipso donante esse merueris, erit de te gaudium angelis Dei, qui gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc. xv*); erit et sanctis hominibus multa lætitia, quia dum gaudet unum membrum, congauident omnia membra (*I Cor. xii*). Erit et mihi super omnia jucunditas, qui te quasi unicum filium suscipiam [excipiam], lacte pietatis alam, gremio amoris confovebo, inter Christi parvulos educabo, inter tironum multitudinem armis cœlestibus armabo et ad spiritualem militiam quantum licuerit animabo, tecumque pariter contra hostem pugnabo. Aderit supernum auxilium, ut in castris cœlestibus pariter militantes hostem vincamus, vincentes coronemur, et veraciter philosophantes, ad philosophiæ debitum finem, beatam æternitatem scilicet, pertingamus.

EPISTOLA X.

Præcordiali filio, magistro PETRO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, amorem veræ sapientiæ.

Si verborum multitudine, quod de te cupio, assequi me posse sperarem, multis chartulas verbis implere satagerem. Sed quia regnum Dei ad quod te invito, non est in sermone, sed in virtute

fuisse docet inferius epist. 25 et 26 et libr. iv epist. 17.

(I Cor. iv), virtus tibi divina est invocanda, virtus animi exerenda, ut quaelibet tibi ad salutem obstaculo forti adnisi animi exsuperes, et non per latam et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, sed per angustam, quæ ducit ad vitam (Matth. vii), tibi esse gradiendum agnoscas. Quæ arcta incipienti, paulatim proficienti dilatabitur, ut timori amore succedente, quod modo forte desperas fieri posse, te magis animo quam voce cantantem audiam: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (Psal. cxviii)*. Viriliter ergo age et confortetur cor tuum, nec mollescat oblectatione rerum cito periturarum, cui promittitur omnimoda iucunditas æternorum. Hoc interim commonitorium, fili mi, multum in Christo, charissime, tecum habe, et me non frustra hæc monuisse, quam cito veniendo ostende.

EPISTOLA XI.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri, domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et obedientiam.

Superfluum quidem est, Patrem pro filiis, pastorem pro ovibus, Petrum pro Ecclesia deprecari. Sed quoniam sæpe ab aliis libenter animus audit, quæ etiam per se facere concupiscit, atque ad ea quæ jam facere delectatur, quandoque magis aliorum suggestionibus provocatur; idcirco ego sublimitatis vestræ, etsi humilis, tamen devotus filius, pro Aurelianensi Ecclesia (16) paternam pietatem convenio. Rogo, ut amore crucis Christi, cujus nomine et vexillo eadem Ecclesia singulariter gloriatur, ejus calamitatibus subvenire dignemini, ut quæ passionibus Christi per patientiam, secundum

A Apostolum, communicans (I Cor. i), duris et diutinis tribulationibus fatigatur, vestra pia jam tandem provisione relevetur. Videtur insuper hoc jam superna dispositio velle, quæ corda cleri et populi exitiabiliter, ut nostis, hactenus divisi, ut audivimus, sic insperata commutatione univit, ut nec in tanta multitudine reperiatur qui non integro corde domini Helix venerabilis abbas Sancti Sulpitii, viri equidem religiosi, prudentis et litterati electionem voluerit (17), laudaverit, confirmaverit. Quoniam igitur longus esse refugio, consulo pariter et deprecor, ut tantis tantæ Ecclesiæ infortuniis finem celerem imponatis, et quod a Deo factum videtur, vos Dei vicarius in isto confirmetis. Sentiant, si placet, sibi apud vos prodesse preces humilitatis meæ et locum quem apud gratiam vestram me habere suspicantur, utrum sic se habeat, laudandi operis effectu monstrate.

EPISTOLA XII.

Venerabili et dilecto nostro domno GUILLELMO Ebre-dunensi archiepiscopo (18), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Si querela locum inter amicos habere posset, non satis conqueri possem de amico, a quo non dico munus aliquod maximum, sed ipsum mihi colloquium, ipsa est visio denegata. Quia si hæc merces amicitiae est, ferendum patienter est. Aut si forte monachalis humilitas sublimitati pontificali viluit, non secundum gradus diversos mirum est, sed secundum amicitiae privilegium magnum miraculum est. Neque enim vetus amor honorum sentit vicissitudinem, qui in omni casuum permutatione integri semper novit amico servare fidem. Igitur si

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(16) *Pro Aurelianensi Ecclesia*. Aurelia Carnutum civitas ad Ligerim, quam Sidonius Aurelianensem urbem primus appellavit epist. 15, lib. viii. Dicebatur enim antea Genabus, et qui negant hoc, habent opposita veri vestigia apud Cæsarem et multa alia argumenta, sicut ait vir in omni scientia doctissimus Josephus Scaliger in Notitia Galliæ. Glaber Rodolphus Aurelianam vocat cap. 5 lib. xi, ubi et hanc ejus etymologiam ac descriptionem exhibet: *Fuit namque prædicta civitas antiquitus, ut est in præsentiarum, regum Francorum principalis sedes, regio scilicet pro sui pulchritudine ac populari frequentia, nec non et telluris ubertate, perspicuique irrigatione fluminis. Ex Ligere quippe sibi congruo etiam flumine agnomen habet inditum, diciturque Aureliana, quasi ore Ligeriana, eo videlicet quod in ore ejusdem fluminis ripa sit constituta, non, ut quidam minus cauti existimant, ab Aureliano Augusto, quasi eam ipse ædificaverit, sic vocatam; quin potius ab amne, ut diximus: quod rectius veriusque illi congruit.*

(17) *Helix abbas S. Sulpitii electionem voluerit*. Henrico I Aurelianensi episcopo defuncto, clerus et populus, antea discordes et divisi, commutatione facta cordium; unanimiter hunc Heliam abbatem S. Sulpitii elegerunt, qui et ab Innocentio II papa, rogante Petro nostro Clun. abbate, confirmatus est et post confirmationem aliqua etiam jura monachis Cluniacensibus apud Hienvillæ Ecclesiam, prioratus S. Martini de Campis membrum, Deo servientibus concessit, ut in hoc ejus diplomate continetur. In

nomine sanctæ et individue Trinitatis. Notum esse volo omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ curam gerentibus, tam futuris quam præsentibus, quod ego Helias, Dei gratia Aurelianorum episcopus, precibus Domini nostri nobilissimi regis Francorum Ludovici, et Gaufridi venerabilis Carnotensis episcopi apostolicæ sedis legati, et archidiaconorum nostrorum, Henrici videlicet prædicti regis fratris et Algrini, concedo monachis S. Martini de Campis apud Hienvillam Deo servientibus, in ipsius Hienvillæ ecclesia, quæ eorum est, duas partes oblationum quæ ad altare capellani offeruntur, vel per manus capellani ipsius recipiuntur et omnes candelas et omnes panes sine parte capellani et duas partes omnium lessorum [gallice, legs] mobilium rerum. Terra vero, si donata vel dimissa fuerit, monachorum erit. Duas etiam partes sponsalium et injuramentorum. Et in Novævillæ Ecclesia, quæ similiter ipsorum monachorum est, medietatem de cunctis oblationibus et annualibus festis duas partes panum et candelarum, sicut jam pridem habuerunt tempore prædecessoris mei bonæ memoriæ Joannis. Quod ut ratum et inconcussum permaneat, sigilli nostri auctoritate confirmo, Actum Aurelianis, anno ab Incarnatione Domini 1142, Ludovico Juniori, anno ejus quinto.

(18) *Guillelmo Ebre-dunensi archiepiscopo*. Ad quem et epist. adversus Petrobrusianos hæreticos. Est autem Ebre-dunum Alpium Cotiarum et Maritimarum provincialis, vel archiepiscopalis civitas, Rejensi concilio celebris, quam geographi veteres Ebre-dunum appellant, vulgo Embrun.

huic nostræ querimonæ, vobis honestum, nobis utilem vultis finem imponere, quod prius neglexistis, nunc saltem implere curate. Venite ergo ad nos cum præsentis nuntio, ut per istum expietis quidquid ante deliquistis, et quem verbis promisistis, re amicum ostendatis.

EPISTOLA XIII.

Charissimo fratri Odoni (19), frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Deo gratias. Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris ejus (Psal. ix). Optaveram diu, et multum optaveram qualibet occasione sumpta, charitati tuæ, mi dilectissime, scribere, ut affectus meus qui se tibi, locorum remotione prohibente, manifestare viva voce non pòterat, litterarum saltem mortuis figuris insinuaret. Sed duro Ægyptiorum imperio urgente, qui manus meas magis in cophino servire quam scribendi studio vacare docuerunt, qui luteis operibus eas inquinari, non Dei sacrificiis mundari, hucusque coegerunt, non potui quod volui, eaque de causa hactenus conticui. Unde ei nihil dicere per multum tempus coactus sum, cui si semper loquerer, mutus tamen mihi viderer. Ea est causa, quod non ut scribit eruditio tua, aliis alia accipientibus, tu solus a me reportasti silentium, quia omnibus verbis et schedulis chariorem tibi servavi affectum. Qui quoniam diu tacuit, non incuria, ut dictum est, sed violentia fuit. Sed sufflavit vis spiritus tui mortuos cineres pectoris mei et ignes diu consopitos afflatu suo recalescere fecit, dum desideratam dilecti epistolam desideranti, sed non suspicanti transmisit. Accensus est, ea perlecta, animus meus et subito in invisibiles flammæ excusso torpore exarsit, quas quidem utcumque concipere, sed quas nullis indiciis ad plenum valeam explicare. Irruerat forte eo tempore quo litteras illas accepi, grando negotiorum, et exactores mei acrius solito debita reposcebant, itaque variis expostulationibus urgebant, ut totum me sibi suo arbitrio vindicantes, nihil mihi de ipso reliquisse viderentur. Cumque in his constitutus, dilectionis tuæ, ut dixi, litteras suscepissem, dubius, fateor, hæsi et utrum tibi respondere, an exactoribus primo deberem satisfacere, quadam aliquandiu incertitudine fluctavi. D Vicit ad ultimum ratio, et nulli me magis quam tibi charitatis debito debitorem consulta protinus indicavit. Adjuncta est rationi apostolica vox et qualiter debitoribus reddere debita debeamus, ostendit. Quæ licet, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, reddi præcipiat (Rom. xiii), cum tamen dicit, Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis (ibid.), docet omnibus debitis præponderare debitum charitatis. Quia si præponderat, primo solvendum esse declarat. Primo

igitur tibi respondere, primo majus debitum solvere, primo scribenti charitati morem me gerere oportebat. Sed quid dicam? quid loquar? Cupio respondere litteris tuis, et ecce miro modo agitur; quia inde me ad loquendum provocant, inde magis mihi silentium important. Nam quoties, frater charissime, eas lego, toties beatæ animæ tuæ faciem velut in clarissimo speculo intueor et quid animi in transeuntibus, quid studii in æternis geras, omni clarius luce conspicio. Video te, velut de sublimes specula Sion, quid in inferioribus Jericho geratur despiciere et mundana omnia fastidientem, de crasso ac fumoso nostro aere in auras ætheris liberis evasisse. Cerno non quidem completum, sed jam jamque complendum esse in te quod Apostolus ait: Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? (I Cor. vi.) Et item: Sancti de hoc mundo judicabunt (ibid.). Quoniam his tantum merito de mundo judicare datum est qui extra mundum sunt, qui pedem de ejus muscipula subduxerunt, qui gratulando cantare possunt cum Propheta: Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (Psal. cxxiii). De quibus Salvator: De mundo non sunt, inquit, sicut et ego non sum de mundo (Joan. xvii). Quid plane aliud de te innuunt litteræ illæ? Quid illusores, et illudentes? Quid illitterati pessimi, et litterati pejores? Quid bestia de abyso ascendens? Quid tota series litterarum aliud indicat, quam te ea quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram? (Colos. iii.) At ego adhuc super flumina Babylonis sedens et flens, qui in salicibus infructuosis suspendi organa, quomodo cantabo canticum Domini in terra aliena? (Psal. cxxxvi.) Illud in te, charissime, hoc in me dum intueor, perpendo, considero, verba, ut dixi, adimit, silentium indicit. Nec de aliis judicare audeo, quia non cum iudicibus solium sustineo, sed cum reis supplicium formido. Nec illam in alios ferre sententiam volo, quam ipse evadere quæro, ne sim de illis de quibus Apostolus: in quo, ait, alium judicas, teipsum condemnas (Rom. ii). Sed tu, mi dilectissime, qui non ut illi de quibus scribis, pravi illusores sibiipsis, sed mundo et ejus principi, velut avi illusisti, qui bestiam de abyso ascendentem evasisti, qui ejus dentes orbem conterentes contrivisti, colla conculcasti, cornua confregisti; tu, inquam, libere de his loqui, tu secure disputare, tu subtiliter investigare, investigata invenire et inventa poteris diffinire. In te igitur, quæ in me transfudisti, refundo, vice mea te fungi præcipio, stylum quem occupato ingerebas, otioso remitto, quoniam rectius latices a largissimis fontibus, quam ab exustis rupibus expectantur, melius siderum fulgorem incolumes, quam lippientes oculi contemplantur, longe similis intuituum species in aqua pacata, quam turbata formatur. Aperi ergo

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(19) Charissimo fratri Odoni. Qui postea S. Martini de Campis prior factus, Theobaldo in episcopum Parisiensem electo successit, ut ex epist. 40, et 41,

libri iv, patet. Unde et addendus venit catalogo priorum Martinianæ Domus, qui cum Martinianis privilegiis excussus est anno 1606.

labia, repleatur os tuum laude, et dic quæ mihi dicenda proponebas, ut, quia amore quietis et silentii spiritualis Liæ fructum ex te ad præsens perdimus, Rachelis in te singulari pulchritudine oblectemur. Debet is labor valde tibi esse jucundus, nec a tam fructuoso opere aliquatenus corpus cessare, ut, dum mens divina meditando, manus scribendo, oculi legendo, lingua loquendo, totus homo interior, atque exterior cooperando laborat, holocaustum medullatum Deo offeras, ut qui te totum sæculo subduxisti, integrum te sacrificium Deo impendas. Memento et amicorum in his beatis laboribus, et maxime in sacris orationibus, quia non debent frustrari oratione pia qui tibi junguntur dilectione sancta.

EPISTOLA XIV.

Dilecto fratri THEOTARDO (20), frater PETRUS humilis B Cluniacensium abbas, salutem.

Quid est, ut voce Judæorum utar, quousque animam nostram tollis? (Joan. x.) quandiu renitentem trahis? quousque me tenaci catena circumagis? O quam grave dilectionis vinculum, a quo nec reus solvitur, nec innocens expeditur! Fortius hoc omni ære, gravius omni pondere, quia *fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (Cant. viii). Hac compede vinctus teneor, hoc pondere pressus aggravor, hac catena quocumque pergo, vincior. Fert ista animus nunquam tui immemor et cum semper regiones regionibus, provincias provinciis commutat, te solum nunquam mutare, nunquam a se repellere valet. Quare hoc? Nunquid a te ducatus? nunquid regna? nunquid mundi gloriam? nunquid montes, ut dicitur, aureos præstolatur? Non hoc, charissime, non hoc; non hoc certe a te ami-

ANDREÆ CHESNI NOTÆ.

(20) *Fratri Theotardo.* Qui et ipse postea sanctæ Mariæ de Charitate prior: infra epist. 30, et lib. II, epist. 6 et 7.

(21) *Charissimæ sorori domnæ Adelæ.* Filia Guillelmi Conquestoris Angliæ regis, quæ post obitum mariti sui Stephani comitis Blesensis et Carnotensis, apud Marciniacum sanctimonialis effecta est. Matthæus Paris in Guillelmo Rufo, de filiabus Guillelmi patris sui loquens: *Tertia, inquit, Adela Stephani comitis Blesensis uxor, laudatæ in sæculo potentia virago, noviter apud Marciniacum sanctimonialis habitum sumpsit.* Alam vocat Historia dominorum Ambaziensium his verbis: *Interea Goffridus Calvimontis cum rege Northmanniam veniens, filiam D regis, Alam nomine, cum Stephano Carnotensi comite in matrimonio copulavit.* Scribitque illi etiam adhuc in sæculo conversanti dominus Ivo Carnotensis Episcopus Epist. 5, 91, 101, 116, 121, 179 et 187. Et Hildebertus Cenomanensis jam conversæ gratulatur epist. 63; quod cum Terræ sanctæ divina loca venerari et invisere multum hactenus desiderasset, deum Stephano conjuge suo defuncto, monasticam vitam in sanctis et divinis cœnobii Marciniacensis officinis est professa.

(22) *De obitu regis Anglorum.* Henrici primi fratris Adelæ, summique Cluniacensium benefactoris, qui juxta Rothomagum obiit anno Christi 1135 die prima Decembris.

(25) *Corpus ejus Rothomagum delatum, etc.* Ex dispositione testamentaria, qua cor et cerebrum suum in Pratensi Northm. cœnobio, corpus autem Radingis in Anglia sepeliri voluit. Guillelmus Neu-

cus animus exspectat. Quid igitur? Nosti ipse. Quid loquendo fatigarer? tibi te ipsum remitto. Tu esto inventor, judex et cognitor horum. Et ut aliquid dicam, precare illum pro me, quem, pro posse, veneror et diligo in te. Quem licet meditetur mens mea, licet loquatur lingua mea, longe tamen ab eo deviat vita mea. Redde ergo vicem amico, ut qui nec inter servos laboris tui obliviscitur, insuavi, quod multo facile est, requie tua, constanti semper memoria teneatur. Hæc breviter scripto præmisi, dicturus ipse, Deo volente, in proximo quæ prætermisi.

EPISTOLA XV.

Venerabili et charissimæ sorori nostræ, domnæ ADELÆ (21), frater PETRUS humilis abbas Cluniacensium, salutem et omnem a Domino benedictionem.

Quoniam de obitu semper dilecti nostri domini regis Anglorum (22), nihil adhuc dilectioni vestræ mandavimus, causa hæc fuit, quoniam et multum mœror, quo nondum nos expedire possumus, hoc prohibuit, et tantæ calamitatis nos primos relatores esse, non immerito piguit. Verum, quia si quid scimus, vos scire placuit, noveritis nihil nos aliud adhuc noscere potuisse, quam per octo dies in quadam villa juxta Rothomagum, lecto cum decubuisse, dominum Rothomagensem archiepiscopum ei assidue adhæsisse, munitum ab eo omnibus ecclesiasticis sacramentis, in optima pœnitentia, et fidei confessione quarto Nonas Decembris de sæculo migrasse. Corpus ejus, sicut disposuerat, Rothomagum delatum (25) et inde a Rotberto comite filio (24) suo apud Radingas (25) tumulandum, An-

brigensis libro primo, capite tertio De rebus Anglorum: *Corpus, inquit, ejus cerebro et intestinis ejectis, salitum, coriisque insutum a Northmannia in Angliam delatum, et apud Radingum in monasterio, cujus ipse devotus fundator largusque ditator existerat, sepultum est.* Unde et Arnulphus Lexoviensis ei talis epitaphii concinendi materiam hausit:

Henrici, cujus celebrat vox publica nomen,

Hoc pro parte jacent membra sepulta loco.

Quem neque viventem capiebat terra, nec unus Defunctum potuit consepelire locus.

In tria partitus sua jura quibusque resignat

Partibus, illustrans sic tria regna tribus.

Spiritui cœlum, cordi cerebroque dicata est

Neustria, quod dederat Anglia corpus habet.

Hinc patres animumque trahens, sed forte apud illos Editus, hic gladium, sceptrum gerebat ibi.

Quem decedentem cum nox extrema Novembris

Solvisset, secuit prima Decembris eum.

(24) *A Roberto comite filio suo.* Naturali scilicet, non legitimo, Henricus enim rex geminam tantum ex Mathilde religiosa regina conjuge sua suscepit sobolem, hoc est filiam materni nominis, quam jam nubilem primum Henrico imperatori Romano, postea Gaufrido comiti Andegavensi despondit, et filium

(25) *Apud Radingas.* Radingæ, sive Radingum in singulari, monasterium ad Tamesim flumen, quod præfatus Henricus rex in honore beatæ Mariæ construxit anno 1130, et Hugoni cuidam e cœnobio Cluniacensi accito regendum sub abbatis nomine commisit.

giam versus deportatum est. Northmannia tota civilibus et externis jam bellis fremit. De statu regni transmarini, nihil adhuc certi audivimus. Nam qui nobis hæc retulerant, citissime a Northmannia auferunt. Misimus tamen jam cursores duos, unum domno Rothomagensi, alium domno Wintoniensi (26), qui festinanter quidquid de eis et ab eis cognoverint, nobis in proximo renuntient. Pro regis defuncti æterna salute tanta constituimus, quanta nunquam Cluniaci pro alio constituta sunt. Quid vos pro eo agere debeatis, superfluum est, ut nobis videtur, mandare.

EPISTOLA XVI.

Charissimo in Christo fratri et germano PONTIO (27), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, quam sibi.

Conquereris me tui oblitum, germanitatis inmemorem, nihil tibi ex multo tempore jam scripsisse, et majestatem meam humilitatem tuam contemptui habuisse. At ego silentii mei ita justissimas causas reputo, ut vix culpam effugiam, si vel nunc loqui tentavero. Ut enim taceam, quæ optime nosti, mundi tumultus, rerum occupationes, causarum implicationes, quibus me catenis sæpe constrictum vidisti et genuisti, quæ satis a scribendo excusare me possunt; illud modo tantum in lite versetur, quod frater ex Deo, quod germanus ex carne, quod intimus ex affectu, a me ut perfuga recessisti, ut delosus evasisti, ut fur matutinus, ne dicam nocturnus, me contempto, invisio, insalutato fugisti. Fuerat cohabitatio tua mecum fere decennalis; quo toto tempore, quanta inter nos de divinis collata, quam fervens de spiritualibus sermo, quam frequens de præsentium contemptu collatio, qualis de æternorum appetitu cohortatio fuerit et ipse nosti et ego non in toto oblitus sum. Efferbuerat inter nos eo ardore fervor charitatis, ut qui te solo impulsu naturæ cœperam diligere, jam non te nossem nisi ex Deo, et in Deo amare. Erat mihi ad te recursus ab humanis et a marinis fluctibus, in te velut in portu tutissimo quiescebam; et ruinam mundi assidue minitantem, quasi hostis mei interitum prophetantem, lætus audiebam. Miseras tam meas quam aliorum deplorantem, et, *Parce, Deus*, inclamantem, hilaris et aggaudens auscultabam, et non inani vanitate, sed devota charitate eadem inclamabam. Erat turris in qua manebas, mihi turris fortitudinis a facie inimici, de qua in hostium ora frequenter spicula jaculabamur et nos ipsos ab eorum jaculis valli nostri munimine tutabamur. Hæc et multa his similia rerum spiritualium instrumenta, qui

A contempsit, qui abjecit, qui calcavit, fidei desertor, amicorum proditor, naturæ contemptor, nunquid litteris meis dignus est? nunquid epistola mea recreandus est? nunquid nuntio meo visitandus est? Est, est, meo judicio gravi pœna dignus et omnia indignus. Sed admiscenda est judicio misericordia et sic demum danda indulgentia, si is qui a nobis contemptor exiit, satisfactorius redierit. Laudo quidem in te amorem pretiosorum martyrum Christi, ad quorum adoranda sepulera fugisti, quæ ego etsi corpore absens, tamen spiritu præsens toto mentis affectu, colo, suscipio, adoro. Sed eam charitatem spernere non debuisti, pro qua conservanda magni illi testes Dei, præfulgida sidera cœli corpora tradiderunt, sanguinem effuderunt, vitam ipse Creatori omnium impenderunt. Non debuisti, inquam, vivens perdere, quod illi nec mortui perdidit. Ne ergo ultra scribas mihi: *Dilige diligentem te; sed scribe: Dilige contemnentem te, et ama deserentem, et sequere fugientem.* Scripsisti etiam mihi de tunica transmittenda. Egone illi tunicam mittam qui me non indiget, qui sibi sufficit, qui, secundum Apostolum, jam dives factus est et sine me regnat? (*I Cor. iv.*) Cur exigit vestem meam, qui deseruit tectum meum? An illa injuria merebitur præmium, cui extremum debetur supplicium? Hic, hic plane exclamandum esset: *Parce, Deus*, ubi maxime læditur justitiâ ejus. Sed mittam, mittam tunicam, ne imputetur avaritiæ, si lex servetur justitiæ. Eam tamen volo interponi legem, ut ea suscepta, aut domum, ut dixi; redeas, aut nullam ultra tunicam a me, vel pallium quæras. Et ut me in ultimo non ludo, sed serio loquentem audias, hortor plane ut redeas, quia nunquam contraria contrariis, sed semper similia similibus conveniunt. Monachum monachis, clericum clericis, laicum laicis cohabitare, nec ordines proprios confundere decet, ne forte juxta poetam,

Humano capiti cervicem pictor equinam,
(HORAT. *De art. poet.* vers 1.)

jungere videaris, et mulierem formosam superne in atrum piscem desinere cogas. Nec ego sacros Ecclesiæ ordines, quos unum vera fides, et sincera charitas facit, sibi contrarios dico, sed propter vestium, ciborum, consuetudinum varietatem in eadem domo sibi non congruere judico. Audio etiam Apostolum dicentem: *In qua vocatione vocatus es, in ea et permane* (*I Cor. vii*). De orationibus dominis meis tantis, totque sanctis martyribus pro me a tua charitate exhibitis, gratias plurimas ago et ut quandiu ibi

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

filium Guillelmum dictum Angliæ et Northmanniæ hæredem, qui dum e Northmannia in Angliam transmitteret anno salutis 1120, luctuoso naufragio submersus est. Verum ex concubinis et pellicibus variis (26) *Domno Wintoniensi*. Henrico, qui et ipse monachus Cluniacensis fuit, ut alibi pluribus annotabitur.

plures alios in sexu dispari liberos genuit, quorum omnium major Robertus nuncupatus comes Glocestriæ factus est, et ex Sibylla uxore sua multos et ipse natos reliquit.

(27) *Fratri et germano Pontio* qui postmodum ex monacho factus est abbas Vizeliacensis, epist. 17, lib. II, et epist. 4 et 6, libri tertii.

fueris et semper fiat, supplex magis corde quam voce imploro.

EPISTOLA XVII.

Summo pontifici et nostro speciali Patri, domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, fidelem obedientiam.

Exsecrabile facinus, puniendum flagitium, inauditum nostris sæculis scelus, de nece eorum qui pro justitia usque ad sanguinem restiterunt, ad aures pietatis vestræ credimus pervenisse. Dolendum quidem de morte eorum quos sacrilega homicidarum crudelitas innocentes peremit; sed multo magis dolendum quod condignam impietatis suæ poenam, necdum illa, plusquam belluina, crudelitas invenit. Ecce enim qui a conspectu hominum jam perisse debuerant, cruentis mentibus et adhuc sanguinem distillantibus manibus, de impunitate sibi blandiuntur et quasi de bello triumphum reportaverint, unde confundi debuerant, gloriantur. Quorum impunitas arma cæteris ministrat furoris, ut, sicut post Aurelianensem subdecanum ad domnum Thomam Parisiensem, quia prior inultus remanserat, persecutorum gladius se convertit; ita etiam post hunc ad alios transeat, et pari sententia clericos, canonicos monachosque involvat. Quoniam igitur regalis gladius in tales nimium obtusus est, rogamus, et omnes legem Dei zelantes nobiscum deprecantur, ut episcopalis, imo spiritualis gladius, quod est verbum Dei, secundum Apostolum, non sit alligatum (II Tim. II), ut eo percussi moriantur peccato, vivant autem Deo. Hac de causa nuper in partibus nostris, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum ac multorum religiosorum et sapientium personæ congregatæ sunt, et consilio habito in hujusmodi sacrilegos severitatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, apostolica auctoritas, quod ab eis bene actum est; suppleat, si quid minus severe decretum est, ut et impii debita ultione puniantur, et ab eorum imitatione cæteri deterreantur. De cætero quam reverendæ vitæ sit, quamque fidelis apostolatui vestro domnus Rothomagensis archiepiscopus fuerit, quantumque pro pace vestra laboraverit, non est necesse vos instrui, quem plene de his omnibus instructum credimus. Supplicamus igitur paternitati vestræ, ut ita paci ejus et justitiæ provideatis, quatenus et Deo possit reddere quod Dei est et Cæsari quod Cæsaris est, ut, si fieri potest, et divinæ censuræ non displiceat et majestatem regiam non offendat.

EPISTOLA XVIII.

Cum dulcedine recolendo, cum honore nominando, domino et Patri ALTONI Trecentium episcopo, frater PETRUS Cluniacensium humilis abbas, se ipsum totum.

Ad partes Arvernias tenaci negotiorum unco, paschalibus adhuc feriis instantibus, tractus, nuntium beatitudinis vestræ, quem Cluniaco direxistis, Silviniaci multis jam diebus me sustentem inveni.

A A quo cum litteras lætus suscepissem et in eis me de adventu vestro, sicut condixeramus, certificari sperarem, subito pro spe desperatio, pro gaudio mœstitia exorta est, cum eum, cui mox occurrere festinabam et quem jam ad fores meas pulsare credebam, necdum suæ domus limina excessisse cognovi. Cumque excusationibus subsequentibus animi mei molestiam utcumque lenire studerem, diu conatus non potui, quia insufficientes, ut salvo amore vestro irasci liceat, ad omnia inveni. Quid enim? Etsi, ut litteræ sanctitatis vestræ sonant, præcepto domini papæ communi Collecta facta est, si nulli parcere potuit cura exactoris; si propter aridissimam receptorum exiguitatem, in hortum descendens est; si proprii fructus comesti, hoc est, de proprio quod deerat ærario suppletum, nunquid his exactis via exclusa est? aut nusquam postea iter patuit? An quoquam progrediendi nulla deinceps facultas fuit? An omni itinere frequentato, solum Cluniacense iter invisum et velut barbaricis gladiis cruentum, fugiendum visum est? Ita plane, ita hoc iter mihi vitare videmini, ac si venienti latro jugulo immineat, leo insidians secus viam lateat, flammivomo hiatu draco prædam, jam jamque rapturus insistat. Sed estote, estote, inquam, securus; nec latro timendus, nec leo metuendus, nec draco, Deo meque comitante, formidandus est. Sed quid rursus persuadere conor? quid iterum exhortari molior? quid demum meam frustra operam insumere nitor? Spes mea, quæ me sæpenumero fefellit, ne sperare toties negata debeam, vehementer cogit. Sed tamen charitatis, quæ nescit extinguere, ardore denuo suscitata, adhuc clamare non desinit, et quousque optata consequatur, requiescere nescit. Clamoribus igitur continuis ad ostium amici instare deliberat, ut si non eo quod amicus ejus est, propter improbitatem tamen ejus surgat, et det ei [panes] quotquot habet necessarios, (Luc. XI). Unde multo vehementius quam ante institerat, instat; et ut certum adventus vestri tempus designetis, summo opere precatur. Exspectat enim vos vestra Cluniacus, quæ nullatenus plene lætabitur, quam præsentibus et spiritualibus vestris benedictionibus repleatur. Esse nostrum, super quo amicitiam vestram sollicitari cognovi, prosperum esse sciatis, tuncque nihil cumulo gaudiorum deesse, cum, Dei gratia largiente, vos nobiscum contigerit adesse.

EPISTOLA XIX.

Charissimo, et jam speciali amico nostro DULCIANO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Quantum amoris affectum erga vos et olim et nuper maxime corde conceperim, utinam opere parere possem. Agnosceret profecto vestra prudentia quod ignorat, et meritis suis se qualemcunque amicum emisse, ipso rerum experimento probaret. Quem enim non emerent tanta pretia meritorum, tot charismata gratiarum, toties nobis et nostris

impensa congeries beneficiorum? Quem, inquam, non ad dilectionem vestri allicerent, imo compellerent, prudentia humilis, humilitas sublimis, scientia cauta, dulcedo compta, egregii mores, lingua polita, vita limata? Hæc certe, quæ omnes trahere debent, me quoque justitiæ instrumenta traxerunt, ut vestri memoriam in pectoris mei arcano altissime recondam, nec eam quolibet casu ab intimis meis avelli permittam. Ea de causa, et vos ipsum mihi quandoque in Christo uniri opto, ut de illorum numero esse possitis, quos juxta Prophetam, *Deus inhabitare facit unanimes in domo* (Psal. LXVII). Quia si istud ad præsens vós forte differre plurima impedimenta coegerint, hoc saltem mihi poscenti animus amicus non neget, ut si non vos, tamen alterum vestrum, hoc est unum de filiis, Deo, a quo eum accepit, non tam donet quam reassignet. Si hoc donum per manum meam Cluniacensi Ecclesiæ feceritis, erit ille mihi in filium, vosque per eum, ut confido, promerebimini Patrem habere Deum. Super hoc quid sitis acturus, nuntio vel litteris suspensum certificate.

EPISTOLA XX.

Dilectissimo, atque in Christi visceribus specialiter amplectendo, fratri GISLEBERTO (28), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, pro angustia cellæ, latitudinem cæli.

Suscepi litteras dilectionis tuæ, charissime frater, Sabbato sancto Dominicæ sepulturæ et eas, quia prius non potui, altari assidens jam officiis inchoatis perlegi. Nec poenituit tali eas loco et tempore me legisse, cum earum lectionem multum mihi senserim profuisse. Nam inclusionis et solitudinis tuæ recordatus, me mundo expositum medullitus ingemui et te ei morientem, ne dicam mortuum, gratulans intellexi. Gavisus sum, et de salute tua non mediocriter te esse sollicitum et mei non fuisse oblitum. Exsultavi in Domino, novellam plantationem spem fructus sequentis festinatis jam floribus anteferre; cui et si incrementum dare non potui, rigationis tamen, licet exiguum, ex bono cordis affectu beneficium impendi. Cumque totius epistolæ seriem diligenti oculo non semel perlegens, invenissem me ad scribendum fraternitati tuæ sollicite admoneri, teque quantulamcunque exhortationem meam avidissime esurire, lætatus sum quidem te panis illius, in quo solo vivit spiritualis homo, delectabili esurie cruciari; sed agnoscens a quo hunc peteres, errorem de proposito pietatis nascentem adverti. Si enim verum est quod ait Scripturá, *sapientiam scribe in tempore otii, et qui minoratur actu, ipse percipiet eam* (Eccl. xxxviii), quomodo quidquam ad sapientiam pertinens scribere poterit, cui nullum otium, cui unum et molestissimum tota vita negotium est? Quomodo percipiet eam, qui non solum actu minime minoratur, sed etiam importu-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(28) *Fratri Gisleberto*. Eremitæ, sive incluso, cui sollicite admonitus epistolam hanc, vel ut Trithe-

missimis rerum sæcularium actionibus magis magisque in dies cumulatur? Quomodo a divinis deliciis jejunos quidquam saporum proximis eructabit, cum juxta vulgare proverbium, amarum os nunquam mel spuere possit? Quomodo dabo quod non accepi, cum dicat Joannes Baptista: *Non potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit de cælo?* (Joan. iii.) Tu potius, tu qui omni terreno cares negotio, cœlesti abundas otio, lectione continua reficere, oratione assidua saginaris, cujus sicut adipe et pinguedine repletur anima; tu, inquam, labiis exultationis deberes esurientem me reficere, sitientem potare, ex superabundante spiritus tui sagina cordis mei ariditatem impinguare. Quia si forte obstinatius, ut cœpisti, instans, etiam invitum loqui compellis, et pro auribus quas tibi adhibere debueram, os aperire, nescio quid tibi congruentius proponere possim quam quod a corde tuo nulla unquam delere queat oblivio, nulla temporum varietas abolere, nulla per Dei gratiam animi mobilitas commutare. Nam quantalibet alia dicta fuerint, labilis memoriæ elapsa complexibus facile evanescent. Hoc tanto difficilius animum fugiet, quanto familiarius ipsis corporis sensibus semper occurret.

Cellam itaque, cujus objectu in medio mundi positus a mundo secerneris, cujus ope intimos vastarum solitudinum recessus penetrasse videris, cujus inclusione, nec remotissima Ægyptiorum deserta æmularis: hanc, inquam, cellam tibi propono, ut secundum antiqui cujusdam Patris dictum, ipsa sola eloquentius omnibus magistris tacendo te doceat. Hanc certe non audire non poteris, quando eam quotidianum salutis tuæ monitorem habebis. *Fuge*, ait quidam Patrum, *homines, et tace, et salvus eris.* (HIERONYMUS.) Aut scuto, aut pedibus, mors vitanda est. Et Jeremias: *Sedebit solitarius, et tacebit: quia levabit se super se* (Thren. iii). Et David: *Dedisti, ait, metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (Psal. lix). Hæc te cella, dilectissime, a facie divini judicii fugientem suscepit: hæc te secundum Isaiam, quasi fossa humo a facie formidinis Domini venientis percutere terram, abscondit (Isa. ii); hæc velut parvula Segor, a Sodomæ, hoc est, mundi incendiis illæsum servavit (Gen. xix). Hæc Eliæ, quondam Achab et Jezabel per deserta fugienti latibulum præbuit: ubi ille constitutus, vocem Dei sibi familiariter loquentis audivit, ubi non in spiritu, non in commotione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis, hoc est, in subtili et paucis perceptibili spiritus sui inspiratione hominibus eum adesse cognovit (III Reg. xix). Hæc Paulum illum, hujus quod elegisti propositi caput, sexagenaria occultatione celavit et multo tempore alimentis cœlestibus pastum, novissime, teste Antonio, ad panem vitæ perpetuo edendum transmisit. Hæc te mius appellare videtur, librum De conversationis eremiticæ laudibus scripsit.

mortali hunc vitæ, non tantum mortuum, sed etiam sepultum, sui conclusionem tibi ipsi assidue repræsentat, et quodammodo tibi atque Colossensibus apostolica voce inelamat: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Coloss. III)*. Quod licet spiritualiter intellectum, tibi multisque aliis commune sit, si tamen etiam corporaliter cogitetur, tuum pene singulariter hoc tempore fit. Nam etsi plurimi carnalibus actionibus moriuntur, nullus tamen ante carnis mortem, carnis sepulcrum ingreditur. Tu autem, ut vere te mundo ostendas mortuum, ipsum adhuc vivens intrasti sepulcrum.

Sed attendendum tibi est, charissime, et omnimodis satagendum, ut quod de te humana opinio existimat, hoc in te divinus oculus agnoscat. Ingressus es quippe, ut dixi, sepulcrum, ideoque quidquid mundi prius in te vixerat, totum tecum necesse est esse sepultum. Nam nulli sepultura debetur, nisi ei qui jam vita carere probatur. Sicut enim sepulcrum mortuo, sic tantummodo mortuus debetur sepulcro. Alioquin, ut mortuum non sepelire ducitur inhumanum, ita viventem tumulare agnoscitur perniciosum. Oportet ergo ut qui Christo commortuus ei consepeliaris, nihil in te mundanum spirare patiaris. Habes quidem septum speluncæ tuæ, quæ a te accessus hominum prohibet; sed adhibe et murum, qui solus malignorum impetus spirituum coercet. De quo Isaias: *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale (Isa. xxvi)*. Salvator ergo murus sit tibi impenetrabilis, turris sit tibi inexpugnabilis, foramen petræ, caverna maceræ, quæ in cruce clavis et lancea perforata, tutissimum tibi contra hostes universos receptaculum, sua vulnera præparavit. In quibus constitutus, et eis per patientiam communicans, et ipse ab hostium incursionibus tutus esse poteris, et eos viriliter propellere valebis. Nam sine hoc munimine, nec solitaria reclusio, nec corporalis afflictio, nec ad longinqua transmigratio quidquam prodesse poterit, sed potius ad concertandum acriore adversarios stimulo concitabit. Unde et ipse Dominus, ut non mitigari, sed vehementius instigari solitudine, atque jejuniis inimicum salutis humanæ demonstraret, et suos ad ei resistendum præpararet, non priusquam in desertum a spiritu duceretur, nec antequam XL diebus ac noctibus jejunaret, diabolum ad se tentandum admisit. Testes sunt et Patres antiqui, Antonius, Hilarion, Macarius et cæteri ob solitariam conversationem acrioribus adversarii impugnationibus fatigati. Nam claustralium communiter viventium cohabitatio castrorum ad pugnam ordinatorum multitudini videtur comparari, ubi quisque tanto securius adversus adversarium dimicet, quanto sibi vicinius adiutorium de commilitonis dextera sperat. In illo enim prælio, non solum de sua quilibet præliator virtute præsumit, sed etiam de aliorum dextera lævaque compugnantium viribus, quandoque magis quam de suis confidit. Laborant ibi singuli, et salutis suæ insidiantes perimere, et coadjutores modis omnibus defensare. Nec minus

intelligunt in morte sociorum periculum, quam in vita inimicorum sentiunt detrimentum. At solitudinis singulare certamen tanto periculosius agitur, quanto serius alienum auxilium dimicans præstolatur. Quodque periculo accrescit, non ut in acie fieri solet, multi contra multos, nec ut in duello, unus contra unum; sed inusitato præliandi more, solus contra plurimos et numero et virtute præstantes, dubia sub sorte contendit. Idcirco, ut verbis beati illius et magni Patris Benedicti utar, illorum est hanc vitam arripere, qui bene instructi fraterna ex acie, ad singularem pugnam eremi sola manu, vel brachio divinæ tantum virtutis solatio adjuti utuntur.

Et idco oportet, charissime, ut Scriptura loquitur, sollicitum te ambulare cum Deo tuo, magnoque oneri validos humeros præparare (*Mich. vi*), et illas in partes scutum fidei circumferre, in quas intelligis inimicum tela ignea jaculari. Frustra quippe illud dextro lateri tutando adhibebis, si ipse in lævum spicula intorserit. In cassum pectori antepones, si se ipse in terga converterit. Hoc quare dicam, sapienter advertet. Habet hostis adversus unumquodque propositum familiaria tela, nec eisdem contra omnes jaculis utitur, sed variis contra diversos armis armatur. Aliis ille laicos, aliis monachos, aliis subditos, aliis prælatos, aliis otiosos, aliis negotiosos insidiis appetit et multiplici astutia, sed eadem nequitia adversus universos desævit. Inde est quod proprio solitarios, et maxime reclusos, bello persequitur, et velut ad singulare certamen provocatus, singulari in eorum interitum sævitia instigatur. Ingerit eis ex singularitate superbiam, ex otio desidiam, ex taciturnitate multiloquium, ex paupertatis timore avaritiam. Nam magnum et singulare esse, quod solitariæ reclusionis professionem elegerit, quod aliorum amplas vias fugiendo, angustissimum iter assumpserit, quod eorum tepiditatem multo spiritus fervore evicerit, quod fere nullum hujus propositi æmulatorem habeat, solitario laudator dolosus insibilat. Item quia, secundum Scripturam, in desideriis est omnis otiosus (*Prov. xxi*), succedente desidia succedunt desideria: totum illud tempus, quod subtractum fuerat occupationibus, vanis noxiisque impenditur cogitationibus. Irruit præceps agmen multiplicium tentationum, et velut in vacua et in vacante discurrens domo, turba vitiorum confusis clamoribus universa periturbat. Concluditur intra cellulam mundus universus, et angustum septum vix unius hominis capax, multarum terrarum urbes regnaque complectitur. Fit quietissimum otium, turbulentissimum negotium, et cum nihil corporis sensibus nisi solitudo occurrat, familiari accessu, animæ visibus se mundus cum suis omnibus repræsentat.

Nunc sibi iudiciale tribunal magnus eremita usurpat, nunc episcopalibus infulis caput exornat, nunc multis monachorum millibus præsidet, nunc quælibet alia ecclesiasticæ dignitatis officia pererrat, et

se, cum pluribus prodesse majore animæ suæ lucro potuerit, otiosum torpore deflens, propositique oblitus, omni labore laboriosius ipsa sua quiete laborat. Nec innumera alia longe istis deteriora replico, quæ miserum hominem, postquam semel hostibus terga dederit, exerto in ejus necem gladio persequuntur, nec ante plerumque absistunt, quam de sanguine ejus cruentas manus crudeles homicidæ reportent. Sic furentibus intra mentis arcana variarum rerum affectionibus, cum nihil de cogitatis præter vacuam cellulam anima teneat, præ tædio dormitans, ipsius miserabilis tædii non in Deo, sed in mundo, non in se, sed extra se quærit remedium, pro quo majus incidit detrimentum. Nam quia semel assumptum propositum eremitam deserere pudet, quæritur occasio frequentis alieni colloquii, ut qui multa de se tacens tormenta patitur, aliorum saltem confabulationibus relevetur. Aperitur arcæ reclusionis fenestra, et velut ad divinum oraculum confluunt examina populorum. Dat responsa divinus propheta omnibus, et quasi de singulis, si tacuerit, sit Deo redditurus rationem, universorum causas audit, examinat et discernit. Ibi plene de diu meditatis animo satisfacit, et sicut post acerbam famem cibo famelicus reficitur, ita ille avidis morsibus confluentium numeribus satiatur. Obseratâ quidem est janua, vel forte lapidibus obturata; sed per angustum fenestrellæ aditum recipit, quidquid per ostii latitudinem non admittit. Non intrant certe ad eum concurrentium corpora, sed penetrat et replet omnia, quæ sola animum a recto proposito avocant, corporum cura. Exundat ab ore copia verborum, et longi stillicidio silentii de cisterna dissipata prorumpit. Cumque de multis millibus singuli ejus onustati sermone discedant, solus ille toti, si confluant, orbi, infatigatus leges promulgat. Talibus acedia remediis non curata, sed instigata, fortius ad tempus sopita resurgit, et ut febris acutissima paululum aquæ rigore [frigore] lenita, demum velut ipsa medela sævior ad urendum insurgit. Nec ante quiescere potest, quam ad semel expertum perniciosum remedium redeat, et rursûm se sub religionis velamine, tumultuosis verborum occupationibus immisceat. Quia si forte ex sanctitatis reverentia, vel confiteantur homines servo Dei peccata sua, vel consilium ab eo, quia poenitentiam dare non potest, requirant, sive se orationibus ejus ex devotione commendent, non solum se jam cælo dignum esse judicat, sed etiam devotorum oblationes suscipere non recusat. In quorum uno, spiritu superbiæ, aliorum se metiens opinione decipitur; in altero, per eandem superbiam, quæ initium est omnis peccati (*Eccli* x), ad avaritiæ idolatriam dolose inducitur. Nam qui penuriam professus fuerat, paulatim opes congregat; nec prius desinit quam alienis reatibus proprium penum faciat. Simulat ea colligens indigentiae supplementum, vel si quid suæ necessitati superfuerit, indigentiam adjuvamentum. Vult dispensator fieri alieno-

rum bonorum, qui possessionem abjuraverat priorum.

Hac occasione Dei servus mammonæ efficitur famulus, ut cum se fingit egenorum utilitati prospicere, cupiditati suæ liberius valeat inservire. Ea de causa omnes ad subveniendum pauperibus exhortatur, ut dum Paulus ministrans sanctus esse creditur, Ananias fraudator nullatenus æstimetur. Hoc astu, turgurium pauperis fit regum gazophylacium, solitarii inopia Salomonis opibus antefertur, et de spelunca egestatis Indorum thesauri largissime profunduntur. Post, de cura pauperum ad culmina transfertur ædificiorum. Inde subjecta omnia curiose perlustrat, fundamenta jacit, perpendicularum extendit, structuræ suæ longitudinem, altitudinem et latitudinem studiosus geometer dimetitur; ecclesias ædificat, urbes mœnibus ambit, flumina pontibus obnubit, et se solum destruens, universa construit. Ita solitudinis professor in medio sæculi conversatur, cellula clausus inter frequentias populorum discurret, nudinas et angiportus sollicitus mercator oberrat, fit ei requies tormentum, sessio labor, silentium poena, clausura infernus. Sic, sic cæcatus lumine mentis, claususque tenebroso carcere, rursus ad molam inquietudinis redit, utque Samson allophylis fit quondam fortis (*Judic.* xvi), dæmonibus eremita ludibrium. Hæc tibi, charissime, pauca de multis; sed quæ vehementius consimilis propositi homines perturbare solent, breviter ante cordis tui oculos reduxi, ut contra omnia quidem hostis tentamenta brachium fortitudinis exeras, sed adversum ista professionis tuæ magis familiaria mala, magis cautus existas. Præmissa enim munditia carnisque continentia, de qua vel in modico exhortari te superfluum judicavi, licet nihil intentatum relinquere Satanæ soleat, hac, inquam, præmissa et velut in fundamento virtutum firmiter collocata, quam Apostolus vocat sanctimoniam (*Hebr.* xii), sine qua nemo videbit Deum, paupertatis et veræ humilitatis tibi est fabrica construenda, et quæ ipsius cæli intima penetrent, altissima fastigia erigenda. Nam, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v).

Hæc in Christo tuo, cujus crucem portas, cujus sepulcrum inhabitas, cujus in te resurrectionem expectas, specialiter effulserunt. Hæc in terris Deus homo ambulans, itineris sui vestigia hominibus dereliquit; per hæc suis gradiendum esse, cælestis Magister ostendit. Pauper ille fuit, non habens ubi caput reclinaret (*Luc.* ix); nec is per quem mundus factus est, mundum ingrediens propriam domum, in qua nasceretur, invenit, sed *reclinavit eum mater in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio* (*Luc.* ii). Pauper ille fuit, qui de censu regibus reddendo consultus, cum nihil apud hominem unde illum posset reddere invenisset, ad inexhaustos deitatis thesauros se contulit, et quod de domestica arca non potuit, de ore piscis hamo Petri Apostoli persolvit (*Matth.* xvii). Pauper fuit, qui cum panis

esset angelorum, pane sæpe reficiebatur publicano-
rum. Pauper ille fuit, quem nunquam seges propria
pavit, nunquam vitis ab eo culta potavit, nunquam gre-
gis sui vellus protexit, nunquam pecunia, quæ vel ex
innumeris miraculis congregari potuisset, ditavit: qui
nec cœnaculum, ubi ultimum Pascha jam passurus
cum discipulis manducaret, habuit, sed a patrefami-
lias mutuavit dicens. *Ubi est diversorium, ubi Pascha
cum discipulis meis manducem?* (Luc. xxii.) Sis et tu
hujus Dominicæ paupertatis amator pariter et imita-
tor, neque te propter aliorum necessitates, quantali-
bet pecunia implices, qui ne pro tuis indigentis impli-
careris, omnes a te talium sollicitudinum nodo ex-
plicuisti. Faciant sibi qui te consuluerint amicos
consilio tuo, imo Domini, de mammona iniquitatis,
neque te habeant erogatorem suarum pecuniarum,
quem esse existimant contemptorem propriarum.
Quia si institerint, dent, si ita volunt, priori tuo,
dent fratribus tuis, ut vel ad proprios usus ab ipsis
retineantur, aut per manus eorum aliis distribu-
antur. Sed et si ipsi fratres tui institorem talium te
esse præceperint, et de paupertate tua sibi negotiari,
non acquiescas, meamque auctoritatem coactioni
eorum objice, licet in his nullum sit periculum in-
obedientiæ, in quibus ratio contradicit justitiæ. Sit
cella tua vacua pecunia, repleta justitia, indigens
opibus, referta virtutibus, ut quia non est conventio
Christi ad Belial, ita exinaniatur rebus terrenis, ut
possit in ea cœlestibus locus esse thesauris. Nec ip-
sius corporis tui te nimium cura sollicitet, ne forte
oculum in cœlo defixum, rursus in terras respicere
cogat, et semel corvina cupiditate cadaveri inhæ-
rens, ad arcam redire contemnat (Gen. viii).

Præstolare post Deum a priore tuo sobrium vi-
ctum, et non superfluum vestitum, quæ, juxta bea-
tum Apostolum, ab eo consequens, his esto conten-
tus (I Tim. vi). Sic pauper, et pauper spiritu, pau-
perem Dominum tuum sequere, ut non tantum de
egestate rerum, quantum de spiritus paupertate, hoc
est humilitate, in ipso Domino glorieris. Noli am-
bulare in magnis, neque in mirabilibus super te,
quia si te mirabilem putaveris, mirabilem in san-
ctis suis nequaquam admirari poteris. Nam defixa
mens in admirationem creaturæ, nullò modo profi-
cere potest ad considerationem rei increatæ. Pon-
dere enim, quo in inferiora demergitur, ad superna
respicere prohibetur. Non tibi blandiatur propria
solitudo, nec vilescat aliorum multitudo; sed omni-
bus te inferiorem et viliorem non solum lingua pro-
nuntia, sed etiam intimo cordis crede affectu. Hoc
est plane, secundum Domini sententiam, esse mitem
et humilem corde (Matth. xi). Præpone vitam eo-
rum vitæ tuæ, actus eorum actibus tuis, laborem
eorum quieti tuæ, opera eorum otio tuo, ut, dum
alienos profectus attendis, de propriis operibus non
extollaris. Cogita quanta illis non desint quæ tibi
adesse non possunt bonorum operum exercitia, quo-
rum et si affectum habere valeas, effectum tamen
ultra assequi nullatenus possis. Es quidem, et tu

A jumentum Domini, sed clausus stabulo ejus, recu-
bas et ruminas pabula ejus. Sunt illi equi fortes pa-
rati in diem belli, in quibus eques cœlestis residens,
fortiter expugnat et perimit principem mundi.
Aguntur isti freno obedientiæ, concitantur stimulis
disciplinæ; anhelant et sæpe latera cruentati viam
mandatorum Dei discurrunt, nec, nisi cursu con-
summato bravium comprehendant, quiescunt. Hi
pondus diei et æstus non cellulis clausi, sed sub
divo constituti tolerant, jugum obedientiæ forti cer-
vice sustentant, jacula iracundiæ fortiter ab hostibus
et proximis intorta, patientiæ scuto repellunt. Qui
nihil sibi de mundo, nec seipsos reservant, et sicut
de simulacris legitur: *Oculos habent et non videbunt,
aures habent, et non audient, manus habent et non
palpabunt, pedes habent et non ambulabunt, non cla-
mabunt in gutture suo* (Psal. cxi). Egentes, angu-
stiati, afflicti, quibus interdum virtute obedientiæ,
nec ipsa bona operari licet, pro quibus plerumque
ac si pro malis operibus pœnas luunt. Super hæc
omnia te quiescentem et feriatum mundus adorat,
hos laborantes et fatigatos magno contemptus et
amaritudinis calice potat. Hos tibi et omnem cujus-
libet religionis ordinem antepone, ut cum omnibus
te postposueris, omnibus ab inspectore cordium
præponi merearis. Nam vocatus es ad nuptias, in
quibus si ultimum elegeris locum, audies ab invi-
tatore: *Amice, ascende superius* (Luc. xiv). Sic an-
gelo superbiæ calcato, Christi tui paupertate dita-
tus, humilitate cœlis altior factus, jam contra præ-
missum acediæ spiritum armare et eum virili dex-
tera, qua jam dictos prostraveris, elide. Facilis erit
ejus subjugatio, frequentes de fortioribus hostibus
victorias assecuto. Noli eo instante confugere ad perni-
ciosa remedia, nec in hac parte morbo morbum curari
æstimes; sed ea tibi adhibe medicamina, quæ et
lædere nesciant et festinata salutem efficaciam reddant.

Oratione ergo primitus, quasi primo et præcipuo
bono tam hoc quam cætera mala propellere con-
suesce, atque in ea totam mentis intentionem de-
fige. Hac orantis corpore quiescente, vincuntur fu-
rentes aeris potestates, hæc tentationes validissimæ
fortissime superantur, hæc infestantes cogitationes
ut muscæ importunissimæ abiguntur, hæc fugantur
spissæ Ægyptiorum tenebræ, hæc infulget mentibus
lumen invisibile, hæc cordis oculus carnali adhuc
crassitudine obvelatus cœlestia rimatur, hæc ipsum
increatum et creantem omnia Spiritum, humanus,
prout homini licet, spiritus contemplatur. Huic cœ-
lesti theoriæ te amodo victurum devovisti, propter
hanc mundi latitudinem fugiens, angustiis te solita-
riæ speluncæ coarctasti, ne ab hoc intuitu munda-
narum rerum te multiplex visio revocaret, corpo-
reis oculis firmos parietes objecisti. Inter ques clau-
sus, nec aspectus hominum reformidans, quanto es
ab illis remotior, tanto Deo adesto propinquior. Se-
junctus ab aliis illi adjungere, ut qui corpore a
corporibus segregaris, spiritu spiritibus conjunga-
ris. Ad hanc singularem orandi gratiam hortatur

Propheta: *Venite, ait, adoremus, et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino qui fecit nos* (Psal. xciv). Et Apostolus: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite* (I Thess. v). Et ipse Dominus: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. xxvi), et ad cavendas, et ad repellendas tentationes, orationis bonum summum docens esse praesidium, et quia hoc supercoeleste donum in terris esse non potest perpetuum. Nam et Joannes apostolus dicit: *Factum est silentium in caelo quasi media hora* (Apoc. viii), non mense, aut die, vel hora, nec ipsa etiam media, sed quasi media hora, ostendens magnum quidem profectum esse orationis, sed longum esse non posse tempus orantis. Oportet ut orationem meditatio sancta sequatur, in quam velut in pedissequam domina relapsa quiescat, de qua valentior quasi post quietem resurgat. Sed quoniam et ipsa ut tota spiritualis, alio adhuc et inferiore sustentaculo indiget, lectionis divinae suffragium adhibeatur. Quo recreata, clauso quoque libro quod legerit, retractet et diu retracta orationi velut famula subministret. Sicut enim ignis adipe injecto in majores flammis pabulo pinguedinis suscepto erumpit, sic orationis fervor, meditationis atque lectionis sagina impinguatus, in largissimos divini amoris aestus consurgit. Hæ sunt deliciae filiorum regis; hæc mensa a matre Sapientia præparata, hæc coelestes epulae, ad quas in plateis clamitans, parvulos, non magnos invitat, dicens: *Si quis est parvulus, veniat ad me* (Prov. ix). Et deinde: *Venite, comedite panes meos, et bibite vinum quod miscui vobis* (ibid.). Hunc panem, non nisi ab omnibus escis humanis jejunos comedit; hoc vinum, non nisi omni alio potu abstinens haurit, quia qui carnalibus, secundum beatum Gregorium, voluptatibus pascitur, æternarum deliciarum epulis indignus habetur. Sed novi, charissime, quia et ista sunt ardua, nec est cuilibet facile in istis tantummodo studiis vitam transigere.

Sequatur ergo hæc tria præcedentia opus manuum, ut cum spiritualibus rebus defatigata, carnisque pondere a summis in ima dejecta mens labitur, non ad vaniloquia hominum, sed ad beatum corporis exercitium convertatur. Plantari non possunt arbusculæ, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusionem perpetua prohibente; sed (quod est utilius) pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis litteris paginae exarentur, seratur in chartula verbi Dei seminarium: quod maturatis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus, esurientes

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(29) *Vascula vinaria, quæ justitias vocant, concavare.* Justitias a scyphis discernit ipse Petrus Venerabilis in libro Statutorum Cluniacensium, cum ait: *Statutum est, ut non vasis illis vinariis, quæ justitiæ vocantur, sicut olim facere cogebantur, sed propriis scyphis unusquisque bibat eo tempore quo post Nonam ad potum fratres pergere solent.* Suntque ipsæ puto justitiæ, quæ et justæ vocantur in Char-

A lecteres repleat, et sic panis coelestis lethalem animæ famem depellat. Sic plane, sic verbi divini poteris fieri taciturnus prædicator, et, lingua silente, in multorum populorum auribus manus tua clamoris vocibus personabit. Clausus tenebris spelæo tuo, et in codicibus tuis, terras ac maria peragrabis, in publicis ecclesiæ conventibus lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inelamabis, in remotis claustrorum et domorum angulis illud idem servis Dei silentibus insusurrabis. Professio te eremitam, devotio faciet evangelistam, ut quod per te ipsum non potueris, tuis laboribus promerearis. Animet te ad hoc agendum non parvum laboris præmium, quod pro omnibus consequeris, quibus hoc laudabili studio subvenire potueris. Nam quotquot tuorum voluminum lectione superbiam prostraverint, luxuriam subegerint, avaritiam contempserint, iram domuerint, a quibuslibet malis vel caruerint vel poenituerint, ut manipuli sudoribus tuis collecti, æternarum frugum tuarum horrea cumulabunt. Et dum cum vita hominis opera ejus finiri soleant, et cum deficiente deficere, tu nec mortuus morieris, nec a vita deficiens a bono opere cessabis, quando operibus tuis ad vitam mortuos revocabis. Tantoque tempore etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto, ut ita dicam, durare potuerit vita librorum tuorum. Quod si aut oculorum læsione, aut capitis dolore, aut forte tædiosa assiduitate, vel nequiveris, vel nolueris hoc solo opere manuum esse contentus, aliis quoque operum exercitiis vices alterna, ad comenda vel purganda fratrum capita pectines apta, thecas acuum subtili manu et docto pede torna, vascula vinaria (29), quæ justitias vocant, vel similia concavare, et componere tenta. Sed et si palustria prope sunt loca, mattas, antiquum monachorum opus, compone (30), super quas aut semper aut sæpe dormias; quas quotidianis aut frequentibus lacrymis infundas, quas frequenti genuum coram Deo inflexione atteras; vel, ut beatus Hieronymus ait, aut fiscellam texe junco, aut lentis canistrum plecte viminibus. Istis et consimilibus studiorum sanctorum laboribus totum beatæ vitæ tuæ tempus occupans, nec quantumlibet adversariis, quo se immergere valeant, vel in corde tuo, vel in cella tua spatium relinques, ut cum Deus virtutibus suis cuncta repleverit, nullus diabolo, nullus accidiæ, nullus reliquis vitiis locus supersit. Jam in nocturnis diurnisque officiis, non parva temporis portio consumetur, quibus tractim et intente, ut soli licuerit, canendis, tanto te majus necesse est stu-

tulario Majoris Monasterii quod est rerum Vindocinensium, charta 28, his verbis: *Locum ei et lectum duarum calcitarum ipsi præbebimus, et unius calcitæ uni homini ipsius. Tres quotidie panes, et quatuor vini justas ipsius duobus, ex pane vinoque tali, quali nos utemur.*

(30) *Mattas antiquum monachorum opus compone.* Sic et epist. 50 libri secundi, *mattam Monachicam*

dium adhibere, quanto non velut gratuitum in his obsequium Deo impendis, sed quasi debitum census ut servus Domino reddis. Hinc ad sacra redemptionis nostrae mysteria, his universis bonis corde mundato et manibus purificatis accede; et tantum salutis humanae remedium, te ipsum, secundum Apostolum, prius probans (*I Cor. II*), vel continua, vel frequenta. Invitat te ad haec ipse decor et opportunitas loci, quem te super demonstrante vidi, et, ut dignum erat, laudavi. Ubi tu sacro altari assistens et cui assistas intelligens, mente tunc maxime in coelestibus conversare, et a mortalibus ipso quoque corpore se junctus, immortalibus et beatis spiritibus totus conjungere. De jejuniis et vigiliis, sive quibuslibet carnis exasperationibus, nulla a quolibet tibi est, ut mihi videtur, lex praefigenda, quoniam et propria complexio, et usus praeteritus, et praecipue talium rerum gratia tibi a Deo data vel danda nescitur. Tu tibi, qui omnia intima et extima tua nosti, in talibus praceptorum existe; tu tibi eos terminos, quos transgredi non sit necesse, adhibe, hac ratione sollicite conservata, ut in his et in omnibus actionibus tuis discretionem virtutum omnium matrem sequaris, quae idcirco omnium mater dicitur, quia nisi eas ipsa ut filias mater nutrierit, statim cuncta virtutum soboles interibit.

Unde oportet te ita aequa lance vitam tuam moderari, ut ea carni subtrahas, quae ejus possent militare superbiae, et ea illi tribuas, quae tantum necessitati satisfacere possint naturae. Cui si plus justo concesseris, abundantia insolescens super se elevabitur; vel, si justa negaveris, sub seipsam miserime dejicietur. Linguae autem quae alia regula indicetur, nisi ea quam Propheta sibi a Deo postulat, dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis?* (*Psal. CXL.*) Qui, ut sancti Ecclesiae doctores dicunt, idcirco labiis suis ostium postulat, ut sicut ostium necessitate tantum aperitur et clauditur, sic oris tui ostium utilitati aperiatur, nugacitati vel vanitati claudatur. Aperiatur fratribus ad aedificationem, claudatur ad obloquentium vel murmurantium detractionem. Aperiatur ad exhortationem supervenientium religiosorum, claudatur ad verbositatem curiosorum; et, ut bre-

ANDREAE CHESNII NOTAE.

dixit, quae non tantum a monachis componi, sed et in qua monachi et minus honorati quique tam in collationibus, quam disputationibus et congregationibus publicis sedere consueti: *Nec mente excidat, inquit loco jam citato, quod episcopo locum abbas, ut dignum erat, in sede propria tribuit, reluctanter sedere coegit: ipse ei in matta monachica, quae sedi illi contigua erat, assedit. Collatio non de imis, sed de supernis habita est.* Et ante eum sanctus Ambrosius in Epistolam primam ad Corinthios, cap. XIV: *Sedentes disputent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas.* Unde et Urbanus quintus rescripto cavisse dicitur, ut *scholares Universitatis Parisiensis audientes suas lectiones sederent in terra coram magistris, non in scamnis, vel sedibus elevatis a terra, ut occasio superbiae a juvenibus secluderetur.* Et in

A viter dicam, aut audiatur aliquid utile, aut dicatur; vel si ista non fuerint, silentii censura a solitario non rumpatur. Et ut hanc viam mandatorum Dei non angustato, sed dilatato, juxta Psalmistam corde, currere valeas (*Psal. CXVIII*) et perfectionis ac perseverantiae virtutem consequi, charitatis oleo lampadem mentis reple, et divini amoris flammam magis magisque quotidianis incrementis in teipso accende, quam nec aquae multae extinguere valeant (*Cant. VIII*), nec flumina obruere queant. Hac dilectionis pinguedine dura cordis cervice lenita, jugum praceptorum Dei, quod asperum prius putaveras, fiet suave; onus quod grave tibi videtur, fiet leve. Hac postquam imbutus fueris, erit tibi cella tua toto mundo latior, jejunium refectio, vigiliae somnus, opus otium, labor requies. Nec quidquam te gravare poterit, quem spes amorque aeternorum velut geminis alis ad coelestia sublevabit. Hanc charitatis latitudinem a supernis derivatam ad proximos usque extende, teque non soli tibi vivere reputes; qui pro omnibus, et si non ex officio, tamen ex ea quam dixi charitate, Deo assistere debes. Esto ut Moyses pro populo in his quae ad Deum sunt (*Exod. XVIII*). Funde principaliter pro Ecclesia Dei devotas maxime hoc tempore preces, pro his qui ei praesunt, et secundum Apostolum, pro omnibus qui in sublimitate sunt (*I Tim. II*). Pro religiosis congregationibus, et specialiter pro universis fratribus tuis Cluniacensibus, atque pro singulis, de quibus te unctio Spiritus sancti docuerit, auribus divinae pietatis importunus adesto; quodque, si praesens essem, facerem, genu flexo deprecor et mei omnium miserimi memor esto. Sic in cella reclusionis tuae vivifica clausus sepultura, Jesu Christo, sicut suprascripti, consepeliaris, atque ut ille Joseph et Nicodemi unguentis delibutus est, tu quoque jam dictis talium virtutum odoribus, ne putrescere sepultus possis, inungeris; quo nectare in coelum usque spirante, sacrificium in odorem suavitatis oblatum in conspectu Altissimi redolebis. In hoc sepulcro, dum advixeris, erit vita tua abscondita cum Christo in Deo, quatenus post carnis mortem resurrectione carnis et spiritus subsecuta, cum Christus apparuerit vita tua, tunc et tu appareas cum ipso in gloria.

D eadem Universitate *stramineus vicus* nomen adhuc a *straminibus* hodie retinet, in quibus olim disputaturi scholares, et magisterium in artibus consecuturi sedebant. Quod et Petrarcha libro nono Epistolarum attingere videtur, cum de Gallis loquens, ait: *Et quid oro tot tantarum rerum studiis, quod objiciant habent, nisi forte ut est gens sibi placens et laudatrix sui, unus his omnibus fragosus straminum vicus objicitur?* Et epistola secunda libri decimi: *Nosti ut in illo surgentis vitae flore, quem grammaticorum in stramine velut in deliciis egimus, cum semel parens meus, patruusque simul tuus ad Carpentoracensem, quam modo dicebam, civitatem, de more venissent, patruum ipsum quasi advenam voluntas coepit ex vicinitate credo, et novitate rei orta praecellarissimum illum fontem Sorgiae videndi.*

EPISTOLA XXI.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas sinceram dilectionem et fidelem obedientiam.

Si domnum Lugdunensem archiepiscopum (51) venerabilem filium sublimitatis vestræ, mea vel alicujus commendatione apud vos indigere cognoscerem, filiali de vobis confidentia, multa de ipso vel pro ipso facere verba studerem. Sed quia nota vestræ sapientiæ probitas ejus, experta apostolatui vestro fidelitas ejus, abundanter, ut credo, eum commendabilem faciunt, nolui pro illo superflue deprecari qui et pro aliis dignus est exaudiri. Hoc tantum dicendum esse judicavi, ut pro filiis vestris Cluniacensibus, quos benigne fovet, ei, si placet, gratias agatis. Et quia terra nostra, ut nostis, sine rege et principe existens, quibuslibet exposita raptoribus est, ut de pace stabilienda, pro qua satis sollicitatur, magis ac magis satagat, admoneatis. Cito etiam cum gratia, et benedictione vestra remittendum esse et nos oramus et ipsa multiplex regionis necessitas implorat. Nam quanto universæ regioni illi ejus magis est necessaria præsentia, tantominus tolerabilis esse probatur absentia.

EPISTOLA XXII.

Venerabili et charissimo nobis ATONI Trecensi episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutis et dilectionis plenitudinem.

Miror, si in cor tam unanimis amici ascendere potuit, mutuam dilectionem ita a me posthabitam, ut apices vestros viderim et eis nihil responderim. Non est a vestra sublimitate hoc de mea humilitate aliquatenus sentiendum, a quo, ut arbitror, ante poterit vita recedere, quam illa quæ me vobis copulat charitas, in aliquo tepere. Audivi quidem litteras illas a quodam allatas fuisse, sed sollicite om-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(51) *Domnum Lugdunensem archiepiscopum.* Petrum, cui scribit lib. II, epistola secunda.

(52) *Fratri Hugoni camerario nostro.* Cujus meminit et epist. 58, libri secundi, et ejus obitum deflet lib. IV, epist. 41.

(53) *Destitutio quondam magni Luxoviensis monasterii.* Luxovium Burgundiæ cœnobium, quod olim, inquit Chronici Besuensis scriptor, præ cæteris Galliarum atque Burgundiæ monasteriis religione florebat. Verum quis ipsum construxerit, aut quo tempore cœperit, non satis huc usque constitisse videtur. Antiquus enim auctor Vitæ sancti Eligii Noviomensis refert libro primo Dudonem, sive Audonem Rothomagensem archiepiscopum, ejus primum exstitisse fundatorem. Jonas vero sancti Columbanus contemporaneus, et qui vitam ejus scriptis consignavit, affirmat ipsum ab illo, regnante Theoderico rege, conditum, his verbis: *Cumque jam multorum monachorum societate densaretur beatus Columbanus, cœpit cogitare ut potio-rem locum in eadem eremo quæreret, quo monasterium construeret. Invenitque castrum firmissimo olim fuisse munimine cultum, a supradicto loco, Bellugas, distans plus minus octo millibus, quod Luxovium prisca tempora nuncupabant. Ibi aquæ calidæ cultu eximio constructæ habebantur. Ibi imaginum lapidearum densitates vicini saltus densabant, quas cultu misera-*

nia investigans, nec litteras videre, nec earum latorem potui reperire. Causa igitur non respondendi, melius imputari potuit negligenter mittenti. Nam si congruenti cautela missa fuissent, oculum nostrum minime latuissent. Jam quia stultum est sana curare, integra resarcire, non oportet multa pro dilectione inter nos augenda vel conservanda verba facere; quam et hic crescere, ut æstimo, impossibile est, et quæ a statu suo minui, Dei juvante gratia, nullatenus potest. Aliorum, quæ postmodum scripsistis, responsionem fratri Hugoni camerario nostro (52) injunximus. A quo, quia eum ad partes vestras in præsentem dirigimus, requirite, et audietis.

EPISTOLA XXIII.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et obedientiam.

Fratres Luxovienses nuper ad nos venerunt, scripta paternitatis vestræ nobis deferentes; in quibus et destitutio quondam magni Luxoviensis monasterii (53) paterna pietate a vobis defletur, atque ut in eodem loco de fratribus nostris abbatem et officiales necessarios concedamus, nihilominus nobis injungitur. Per quos nimirum secundum litterarum tenorem omnipotenti Domino ibidem laudabiliter serviatur, et tam nobile monasterium in sui status prærogativam et pristinam integritatem, divina cooperante clementia, reparatur. Quod præceptum debita quidem reverentia suscepimus, sed pro sui difficultate non mediocriter formidamus. Nam, sicut novit sapientia vestra, in negotio religionis facilius possunt nova fundari, quam vetera reparari; quia, secundum beatum Gregorium, hominibus aliter institutis durum valde videtur, in mente veteri nova meditari. Qui enim nova tantum ædificat, eum in veterum destructione non oportet laborare. Qui autem vetera reparare nititur, duplici cura constrin-

bili ritumque profano vetusta paganorum tempora honorabant, quibusque execrabiles cæremonias litabant. Solæ ibi feræ ac bestię, ursorum, bubalorum, luporum multitudo frequentabat. Ibi residens vir egregius monasterium construere cœpit. Ad cujus famam plebs undique concurrere, et cultui se religionis dicare curabant, ita ut plurima monachorum multitudo adunata, vix unius cœnobii collegio sistere valeret. Ibi nobilium liberi undique concurrere nitentur, ut spernentes phaleramenta sæculi, et præsentium pompam facultatum temnentes, æterna præmia caperent. Beatus ergo Columbanus cernens undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere, et unius cœnobii septa tantam conversantem cohortem absque difficultate non teneri, quamvis mente una et corde uno, tamen conversationi tantæ multitudinis incongruum alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat, aliudque monasterium construit, cui Fontanas nomen indidit. Deditque gubernatores præpositos, de quorum religione nihil dubitabatur. His ergo in locis monachorum plebes constitutæ, ipse vicissim omnibus intererat, regulamque quam tenerent Spiritu sancto repletus condidit. In qua qualis et quantæ disciplinæ vir sanctus fuerit, prudens lector vel auditor agnoscit. Et certe verior hæc et rationi convenientior assertio quam prima.

gitur, quoniam illi et veterum destructio et novorum incumbit ædificatio. Super hæc et vestræ Cluniacensi Ecclesiæ, nos qui rem novimus, valde timeamus, ne frequenter, sicut sæpe fit, ad alias Ecclesias translatis fratribus nostris, quod aliis refrigerium, nobis inferat detrimentum. Postposuimus tamen omnia ista, et fratribus supradictis ad nos venientibus abbatem, et officiales necessarios, juxta quod nobis injunctum fuerat, dare parati fuimus. Sed illi nobis valde damnosa, sibi parum utilia postulantes, acquiescere nostro consilio noluerunt; et sicut dicebant, die constituta pro eodem negotio ad nos reversuri, ad propria redierunt. Hæc idcirco reverentiæ vestræ notificamus, ut si ulterius in his instare voluerint et de Cluniaco abbatem petierint, nequaquam eligant quod ignorant, sed in nobis, qui melius vultum pecoris nostri agnoscimus, causam constituent. Hoc si fecerint, providebimus nos fideliter tales Ecclesiæ ministros, per quos omnipotenti Domino in monasterio Luxoviensi, quantum ipse dederit, laudabiliter serviatur, idemque locus etsi non ad pristinam integritatem, ad meliorem tamen statum, divina cooperante clementia, reparatur. In hanc sententiam, si placet, et nobis et ipsis rescribite.

EPISTOLA XXIV.

Venerabili, et non fictæ charitatis brachiis singulariter amplectendo, domino et Patri GUIGONI, Carthusiensi priori (34), et cæteris fratribus, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem ad quam suspirant æternam.

Cum exundantem erga vos sincerum cordis mei affectum verborum signis explicare pertento, fateor, in ipso conatu deficio. De aliis quibuslibet assidue tractanti, verborum copia affluit; cum vestri amore et memoria tota repleta sit anima mea, se ipsum quærens explicare animus succumbit. Similis fit vasi usque ad summum quolibet liquore repleto, a quo si subito inditum obicem retraxeris, velut de vacuo nil profluere admirando stupebis. Cumque naturali ordine repletionem exinanitio subsequatur, mirum in modum ipsa repletionem exinanitioni exitus denegatur. Sic prorsus mihi vobis sæpe scribere volenti contingit, cum sit nonnulla vel parva dicendi materia; sed, ut dicitur, inopem me copia

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(34) *Guigoni priori Carthusiensi.* Infra epist. 12, lib. II, et S. Bernardus epist. 11 et 12. Quo modo autem et a quibus Carthusiensis ordo suum exordium suscepit, docent ipse Petrus noster libro II Miraculorum, Petrus Dorlandus in Chronico Carthusiensi, Theodorus Petrus in Bibliotheca Carthusiana, Petrus Sutorius De Vita Carthus. et alii. Cæterum Guigo hic, de Castro, vel, ut Bunderius ait, de Pinu cognominatus, a quibusdam non satis bene Guido dictus, natione Gallus, patria Delphinus, nativitate Valentiniensis, Carthusiæ majoris quintus a B. Brunone Prior generalis exstitit, ejusque honorifica fit mentio lib. III, cap. 1, Vitæ S. Bernardi. Scripsit vero et ipse plura, nempe Vitam S. Hugonis Gratianopolitani episcopi; quæ Innocentio II papæ dicata reperitur apud Surium, tom. II,

facit. Additur difficultati studium brevitatis, qua moderni nescio qua innata segnitie delectantur, et conceptus illos brevi cogor compendio terminare verborum, quibus vix sufficeret multitudo librorum. Quando enim explicare potero quomodo a vobis corpore sejunctus, tota vobis mente conjungar, quomodo alibi manens, vobiscum semper maneam, quomodo cum aliis conversans, intra sacri collegii vestri numerum spirituali cohabitatione converser? Quando referre valebo quam gravis mihi sit, teste eo quem fallere non possum, ipsa vestra corporalis absentia; qua si carere possem, non solum miserum quantum ad me nomen abbatis, sed etiam totum cum suis omnibus, mundum exuere nullo modo dubitarem? Quando vel disertissimi cujuslibet facultate, etiam si liber sermonibus detur excursus, proferre sufficiam, quanta formidine sub divini judicii dubio infelix merito mens mea vacillet, cum imminens maxime ex officio periculum nec manendo sapienter valeam evitare, nec fugiendo liceat declinare? Nec adco sum cæcus, ut non videam, nec adeo insipiens ut non intelligam, nec adeo infidelis ut non credam standum mihi in proximo esse ante tribunal Christi, ut referam secundum beatam Apostolum, quæ per corpus gesserō, sive bonum, sive malum (I Cor. v). Et cum Salomon idem confirmet, dicens: *Cuncta quæ sunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum sit (Eccl. XII)*, terreor vitæ meæ incerto et cogitans infinitum aggerem miseriarum mearum, alto cordis dolore actus suspirō. Attendo gravissimam curarum sarcinam, debilibus humeris impositam; et onus cui vix giganteæ possent vires sufficere, cerno pusilli homululi colla deprimere. Cogor asellus elephantorum castra dorso portare, et cum armis Saulis pro castris Israel contra Goliath puer et rusticus ad bella procedere. Vidéo draconem de cælo projectum, tertiam partem rutilantium stellarum de summis ad ima, cauda trahentem et adversum sanctæ mulieris semen acrius solito præliantem (Apoc. XII). Cumque ille peritissimus perdendi artifex, multiformibus insidiis cœlestia castra infestet; me ignaro, me infirmo, me timido duce nesciente, non valente, non audente resistere, spem sibi victoriæ de Christi militibus glorians repromittit. Contra quem

die 1 Aprilis; meditationes varias et graves, quæ cum Meditationibus D. Guillelmi abbatis S. Theoderici, Cluniacensis ordinis in lucem prodierunt ex typographia Plantini anno 1189; librum De contemplatione necdum excusum; tractatum De veritate et pace, De quatuor gradibus spiritualibus, De laude vitæ solitariæ, et epistolas aliquot, quarum nonnullæ reperiuntur in Petro nostro Venerabili. Demum *quingagesimum ætatis agens annum*, inquit Sutorius lib. II Vitæ Carthus. cap. 5, *conversionis vero trigesimum, Prioratus sui vigesimum septimum, vel circiter, non sine sanctitatis opinione spiritum Domino reddidit, anno Domini trigesimo septimo supra millesimum centesimum; ab inchoatione vero ordinis tertio et quingagesimo.*

nisi cito Michaël missus fuerit, accusator fratrum A impius prævalebit. Hoc plusquam dicere possim metuens, et horrendum esse incidere in manus Dei viventis sciens (*Hebr.* x), gemino coartor periculo, dum me mihiq̄ commissos attendo. Nam, sicut beatus Gregorius ait, in illo tremendi iudicii examine, uniuscujusque testimonium vix sibi soli sufficiet, quantum sibi et proximo? Quomodo ergo tot millibus ubique terrarum diffusis, quos raro vel nunquam videre datur, ante Christum vivorum et mortuorum justum iudicem adero, quando vix mihi adesse potero? Qualiter, secundum beatum Patrem Benedictum, de numero commissorum rationem reddere prævalebo, qui de propriæ vitæ studio requisitus, mutus forsitan apparebo? Si astra non sunt munda in conspectu ejus, quanto magis homo B putredo, et filius hominis vermis? Quod si hoc ab illo dictum est, qui sic conversabatur, ut divina sententia homo simplex et rectus et timens Deum, ac recedens a malo diceretur, et qui pro suis ita sollicitabatur, ut quotidianas pro eis hostias immolaret, dicens: *ne forte peccaverint filii mei* (*Job* xxv); quid dicet homo dormiens, homo negligens, homo nec sibi nec suis providens? Magnum, magnum pastoralis officii periculum, ad quod velut cæci ad præcipitium, lætantes nostri sæculi homines currunt, et gravius lædendi, de summis dignitatum gradibus, in profundum inferni corruunt, et antiquorum gladiatorum more, parvo temporis spatio voluptatibus et superbia, saginam nutriunt, quam in spectaculo perditorum diabolo in æternum devorandam offerunt. Felix et jam beatitudini æternæ participans exoccupatorum otium, quibus libera et absque impedimento in cælum via paratur: qui et hic Deo, si non negligent, facile per invisibilem charitatem junguntur, et statim post carnis funus eidem per ipsam visionis speciem sociantur. A quorum felici requie et quieta felicitate me sejunctum dedens, inter me et ipsos interpositum chaos doleo, sed ad eos transire non valeo. Sed quid dolori meo satisfacere cupiens, aures vestras audiendis, cum Maria, Domini sermonibus occupatas, verborum importunitate repleo? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* (*Psál.* LIV.) Quantum tamen ad votum animi mei, elongavi fugiens, et mansi vobiscum in solitudine, exspectans eum qui salvum me faciat a pusillitate spiritus, quæ me his de causis exanimat, et tempestate mundana, quæ quasi suffocandum undiquè circumvallat. Miseremini igitur mei, saltem vos amici mei: et sicut ego ista dictando meas vobis lacrymas fudi, ita vos coram piissimo redemptore, vestras pro me dignamini fundere. Misi ad hoc assidue commendas mentes vestras, secundam cum Salvatoris imagine crucem, ut eum crucifixum pro eo in hoc mundo crucifixi contemplantes, cum illum pro vestra multorumque salute deprecamini, mei quoque in sacris precibus vestris nullo modo obliviscamini. Sit vobis in signum amicorum, qui stat, juxta præ-

PATROL. CLXXXIX.

phetam, in signum populorum (*Isa.* xi), ut sicut Domini vestri memoria a pectoris vestri sacrario nunquam separatur, ita servi vestri miseria, si fieri potest, a vestris affectibus nullo tempore divellatur. Misi et Vitas sanctorum Nazianzeni et Chrysostomi, sicut mandastis. Misi etiam libellum sive epistolam beati Ambrosii contra relationem Symmachi urbis Romæ præfecti pagani, qui sub nomine senatus idololatriam in urbem reduci ab imperatoribus postulabat. Qui licet in sua relatione orator acutissimus videatur, ei tamen et prosa et metro tam supradictus venerabilis Pater, quam noster insignis poeta Prudentius potentissime responderunt. Tractatum autem beati Hilarii super Psalmos ideo non misi, quia eandem in nostro codice quam et in vestro corruptionem inveni. Quod si et talem vultis, remandate, et mittam. Prosperum contra Cassianum, sicut nostis, non habemus, sed pro eo ad sanctum Joannem Angeliacensem in Aquitania misimus, et iterum, si necesse fuerit, mittemus. Mittite et vos nobis si placet, majus volumen Epistolarum sancti Patris Augustini: quod in ipso pene initio continet epistolas ejusdem ad sanctum Hieronymum, et sancti Hieronymi ad ipsum. Nam magnam partem nostrarum, in quadam obedientia, casu comedit ursus. Salutat vos totus conventus noster devoto corde, et quidam, quibus loqui licet, corde simul et ore. Inter quos frater Petrus notarius noster, se nominatim scribi rogavit. Omnipotens Deus noster Jesus Christus, qui hic nos univit spirituali cordium affectione, in regno suo nos uniat sempiterna cohabitatione, et non intrans in iudicium cum servis suis, suppleat per gratiam quod deest meritis nostris.

EPISTOLA XXV.

Domino et Patri in Christo reverendissimo abbati Cluniacensi PETRO, dignationis ejus servus et filius, Chartusiensium pauperum inutilis Guigo famulus, perpetua pace gaudere per Christum.

Crucifixum, crucifixus et ipse, etc. Vide in *Guigone Patrologiæ tom.* CLIII.

EPISTOLA XXVI.

Speciali mihi amore charissimo fratri et filio PETRO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem æternam.

Postquam a nobis, mi charissime, corporali præsentia discessisti, et strepitus mundanos, qui te nobiscum, nosque tecum sæpe ab intimis hebescere cõgebant, fugiens, ad otium qualecunque te transtulisti, frequenter tibi scribere, atque jam tuum statim addiscere, quam meum dulcedini tuæ notificare proposui. Sed sæculo quod, ut sic loquar, me sibi totum colligavit, nullatenus vel ad dictandum cor, vel ad scribendum manum relaxare volente, id hucusque implere non potui. Hac de causa tandiu tuum esse rescire, tandiu te de me certificare, non tam distuli quam differre compulsus sum. Nunc tandem durissimi domini jugo vix ad horam me fugitando subducens, hæc pauca

furtim scriptitando direxi. Congratulor quidem quieti tuæ, adgaudeo paci tuæ, si tamen talis est, unde et tu interim gaudere debeas. Et licet ego in pelago fluctuem, nimiumque adversis flatibus ac tumidi maris feris æstuationibus navi conquassata, de vita diffidam, te jam portum tenentem, et iras maris aerisque secunda mente ridentem, lætus aspicio. Cujus rei certa argumenta sunt, quod cum te mihi semper adhærere debere, tam multus amor, quo te amplectebam, quam multa utilitas, qua te indigebam, instanter commonerent, supposui tamen velle meum voluntati tuæ, præposui salutem tuam necessitati meæ, prætulî otium tuum negotiis meis. Tu autem nullam huic nostræ benevolentiae vicem reddere curans, quod salvo amicitiae privilegio dixerim, videris tibi vivere, tua curare, ea quæ sunt aliorum, et (quod est deterius) amicorum vilipendere, inventa ut passer domo, reperto ut turtur nido, columbarum miseriis gementium, et unguis aquilarum, accipitrumque formidantium pericula, securo animo siccisque oculis sustinere. Sed absit ut sic de corde tuo sentiam, de quo non aliud, quam quod de meo sentire consuevi! Non hoc de corde tuo sentio, non hoc illi impono, quod unanime mihi esse non dubito. Sed queror quod perturbationibus et angustiis nostris tametsi compatiaris, compati te tamen nullis indiciis demonstraveris. Potuisti enim, et si non eripere, saltem condolere. Potuisti, et si non subvenire, saltem admonere. Potuisti, et si non sublevare, saltem confortare. Nam si impotentia auxilium subtrahebat, quis verba inhibebat? Si facultas adjuvandi deerat, quis sermonem retinebat? Quis animum a dictando, manum a scribendo prohibebat? An otium tibi defuisse causaberis? An litteras te nescisse probabis? An aliud aliquid obstitisse monstrabis? Nihil certe.

Restabit ergo negligentia. Hanc solam si penitendo objeceris, veniam promereri poteris. Sed parcam pudori, continebo manum, retraham habenas, suspendam stylum, moderabor sermonem, ne ultra quam ratio patitur, in amicum invehar. Do veniam. Faciam ipse quod te non fecisse reprehendo. Volo plenius scire, quomodo te habeas. Nam si bene, si quiete, si libere, quod semper optasti, Deo vacare prævales, si locus ad hoc plene famulatur, si dedisti somnum oculis tuis, et palpebris tuis dormitationem, donec invenias locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (*Psal.* cxxxî), gaudebo. Sin aliter, quantum ad locum spectat, aptum, ut arbitror, providebo. Non enim possum non esse sollicitus de salute tua, quam ut meam desidero, et propter quam absentiam tuam omni mihi molestia molestiorem tolero. Laudo enim quod optasti, effero quod tractasti, prædico quod inchoasti. Quia si nondum possum quod potuisti, volo tamen quod voluisti. Quid enim? Quis hoc non vellet? Quis tantum bonum non concupisceret? Quis a tanto malo erui nollet, quo vita perditur, quo mors acquiritur,

A quo Deus expellitur, quo hostis admittitur? Rerum enim, quas fugisti mundanarum implicatio, aut mortem aut vicinum morti periculum inferunt, ita ut nullus fere unquam se his implicaverit, qui horum alterum non incurrerit. Nec multum refert hoc maxime tempore, quo quis habitu, qua quis professione, vel simulatio religionis proposito sese curis exterioribus immisceat, cum omnes pene quicunque occasione ecclesiastica rebus sæcularibus occupamur, non in eis quæ Jesu Christi, sed quæ nostra sunt quæramus, gloriam, potentiam, voluptatem, pecuniam, et si qua sunt alia quæ videntur carni commoda, sed multa animæ generant incommoda. Qui non ita saltem terrena tractamus, ut partim terram, partim cœlum cogitemus, aut quod B perversum, sed tolerabilius esset, ut minus cœlum, magis terram sapiamus: sed (quod est omnino perversissimum) prorsus cœlum postponentes, terræ prorsus inhærentes, veraciter fateri possumus: *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra conglutinatorum est in terra venter noster (Psal. XLIII).* Super quibus in infinitum progredi loquendo, ipsa cogente materia, imo miseria, possem; sed quia illa me sæpe deflentem audisti, et quid de hujusmodi sentiam plenissime nosti, supersedendum judicavi; ne extra metas currum agere, et præter viam currere videar, neve cuilibet legenti casu aliquo nota fiant, quæ solum te nosse volui. Veni ergo ad me celeriter, ut tutis amici auribus credere possim quæ chartis plerumque infidelibus committere non præsumpsi.

EPISTOLA XXVII.

Summo pontifici et nostro piissimo Patri domno papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et obedientiam.

Dies tribulationis et angustiae dies hæc, quia secundum prophetam: *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi (Isa. xxxvii).* Venerunt nuntii Sennacherib, blasphemantes Deum cœli (*IV Reg. xviii*), irruit Nabuchodonosor, et captivavit populum Dei (*IV Reg. xxiv et xxv*); nec defuit Dohèc, qui extenderet manum in sacerdotes Domini (*I Reg. xxii*). Lamentabilem historiam cogor retexere, quam præcordiorum dolore interrumpente, lacrymis velim nolim interfluentibus, vix, ut arbitror, potero explicare. Sed quia, proh dolor! hoc a martyrum temporibus tam inauditum scelus me vidisse contingit, silere cum maluissem, loqui invitum oportuit. Regressi ab uberibus vocantis Ecclesiæ, a concilio pietatis vestræ, ut grex dominicus simpliciter ambulans, luporum morsus incurrimus, et nostris sæculis insolita rabie dispersi, captivati, vulnerari, et rebus omnibus pene exspoliati sumus. Aderat in comitatu nostro non ignobilis, neque ultima pars Ecclesiæ Dei, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum legio, monachorum non parvus numerus; archidiaconorum nobilium, clericorum, et religiosarum personarum populus. Horribile spectaculum, tantas tamque necessarias Ecclesiæ

Dei personas videre distrahi, dissipari, vulnerari, atque gladiis insequentibus ubi per diversa fugari. Episcoporum atque abbatum plurimi ad proxima castra violentè abducti, et quidam eorum post verbera et vulnera barbarica immanitate incarcerati sunt. Inter quos dominus Remensis, cui nec ætas, nec dignitas adesse potuerunt: post multas injurias et vulnera turri conclusus tenetur. Dominus Petragoricensis similia expertus est. Sed quid ego de singulis quasi solis loquor, cum Bituricensis et

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(35) *Abbatibus etiam Lemovicensi, etc.* Id est Sancti Martialis. Monasterium enim Lemovicense (cujus monachi nunc in sæculares canonicos conversi) et monasterium Sancti Martialis, unum atque idem est. Sic et Goffridus Vindocinensis Amblardum Lemovicensem abbatem vocat epist. 22, lib. iv, hoc est Sancti Martialis, vel, ut quidam loquuntur, de Sancto Martiale; Ivo epistola 206, abbatem Carnotensem, id est S. Petri; et ipse Petrus nos:ter infra, Noviomensem, Meledunensem, et Salmurensis, qui ab aliis S. Bartholomæi, S. Petri, et S. Florentii abbates dicuntur. Videndus vir eruditissimus Jacobus Sirmundus in Notis ad præfatum Goffridi locum. Suspicio autem et hunc abbatem Lemovicensem esse vel ipsum Amblardum, de quo jam dictus Goffridus, vel Albertum potius ejus successorem. Rexerunt enim utriusque tempore Petri Venerabilis, Amblardus scilicet usque ad annum 1143 et Albertus ab anno 1143 usque ad 1150.

(36) *S. Germani Parisiensis.* Vel ut vulgo dicitur, de Pratis, quod est monasterium a Childberto primo Clodovei magni filio constructum, in honore quidem sancti Vincentii primo, sed cujus postea nomen pro sancti Germani Parisiensis antistitis in eo sepulti nomine commutatum fuit. Nec dubito quin abbas iste Sancti Germani sit Hugo primus, qui prius, ut inquit Aymoini continuator, monachus Sancti Dionysii exstiterat, annoque ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1145 Dominica die ramis Palmarum de præsentis sæculo migravit.

(37) *Noviomensi.* Id est S. Bartholomæi, quod Balduinus episcopus Noviomini quinquagesimus in summitate montis extra muros civitatis Noviomensis in honore S. Bartholomæi condidit anno 1064, in quo et post obitum sepultus est.

(38) *Burguliensi.* In Andegavensi cespite, ubi et Willelmus Aquitanie dux, ut prodit Ademar, ædificari jussit ingens cœnobium Burguliense in fundo proprio, una cum matre sua Emma, sorore Odonis Campaniensis, cui præfecit abbatem Theodelinum virum doctrina et sapientia clarum.

(39) *De monasterio Hender.* Forte Dervensi, quod etiam Gallice *Monstierender* appellatur, estque monasterium antiquissimum in Catalaunensi diocesi, cujus initium S. Berchario abbati, Childericoque Francie regi tribuitur, ut ex eorum diplomatibus in Promptuario Trecassarum antiquitatum una cum aliis pluribus e Chartulario cœnobii Dervensis editis liquet. Verum quia singularis humanitatis vir Nicolaus Camuzatius illius auctor Promptuarii, præceptum adhuc Ludovici imperatoris de Dodiniaca curte, quæ pertinet ad hoc monasterium, et vetustum etiam catalogum abbatum qui rexerunt illud a S. Berchario, post editionem suam absolutam recuperavit, ac nobis gratanter et benigne transmisit, ideo ne perirent hic attexere non inutile fore duximus. Sunt igitur hujusmodi.

Præceptum Ludovici imperatoris, de Dodiniaca curte ad monasterium Dervense pertinente.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia im-

perator Augustus. Si locum, etc. (Vide inter epistolas et privilegia Ludovici Pii, Patrologiæ tom. CIV, col. 1204.)

Catalogus abbatum monasterii Beatæ Mariæ Dervensis.

Sanctus Bercharius abbas Dervensis monasterii, anno Domini sexcentesimo sexagesimo quarto, accepit donum et privilegium a Childerico rege Francorum. Post viginti et unum annos, sancto Berchario de hoc sæculo translato. Synaulius abbas successit anno Verbi incarnati DC. L. et XXX et V, tempore Theoderici fratris Childerici, qui fratres fuerunt filii.

perator Augustus. Si locum, etc. (Vide inter epistolas et privilegia Ludovici Pii, Patrologiæ tom. CIV, col. 1204.)

Catalogus abbatum monasterii Beatæ Mariæ Dervensis.

Sanctus Bercharius abbas Dervensis monasterii, anno Domini sexcentesimo sexagesimo quarto, accepit donum et privilegium a Childerico rege Francorum. Post viginti et unum annos, sancto Berchario de hoc sæculo translato. Synaulius abbas successit anno Verbi incarnati DC. L. et XXX et V, tempore Theoderici fratris Childerici, qui fratres fuerunt filii.

Anno Verbi incarnati DC. XCIII. id est..... Data est abbati Synaulio immunitas et privilegium a Berthoendo Catalaunensi episcopo, rogatu Childeberti regis fratris Theoderici jam dicti. Anno DCC. LXIX. cepit regnare Carolus Magnus. Anno DCCC. XV. Hauto abba Stabetaus id est.....

Reparato ordine in Dervensi monasterio commisso sibi a Ludovico Pio filio Caroli Magni, impetravit privilegium eidem monasterio ab eodem rege anno DCCCXXXII, idem Ludovicus dedit abbati Hautoni Dodiniacam Cortam, id est sanctum Christophorum, et Novamvillam.

Anno DCCCXL, Pardulus vicedominus erat Remensis, qui postea fuit episcopus Laudunensis. Hic istam restauravit Ecclesiam, et quamplurima bona donavit huic monasterio. Huic successit Algarius, cui Altinarius abbas. Humfredus, Vulfaudus, qui Fulfraudus præerat huic loco anno DCCCLIX. Post quem usque nongentesimum sexagesimum quartum annum per annos CIII ignoramus qui fuerint successores ejus præter extremos, id est Alardum et Bensonem. Bensonem autem expulso substitutus est dominus Albricus ann. xx; Berengerus, Hino, Dudo, Milo, Brimo, Dudo, Nocherus, Rogerus, Guillelmus, Theobaldus, Gualterus, Jorannus, Ebalus, Raynaudus, Vuiterus, Eurardus, Nicolaus, Raynaudus, Anselmus, Petrus, Hamricus, Raynaudus, Guillelmus qui nunc est. Post Guillelmum cecessit [successit] Ferricus, qui fecit ædificare magnam partem claustrum. Post Ferricum cecessit Jacobus tempore guerrarum Dautirorum, Dieguo, Francio dictus de Sancto Martino et regnavit XII annis. Post Jacobum cecessit Pontius de Mirvau, qui fecit fieri fortalicium de Sommeveca, et regnavit spatio XXVIII annorum. Post quem regnavit frater Symon de Ambonvilla reverendus homo, qui etiam regnavit spatio XXVIII annorum. Post ipsum regnavit frater Petrus de Chungeyo, et regnavit XVI annos. Post quem regnavit frater Odo de Ficocuria, qui duravit per duos annos et dimidio. Post quem regnavit frater Symon Goix, juvenis notabilis homo, qui regnavit per XIII menses, mortuus vigente peste epidemice. Post quem successit frater Joannes de Bettigneyo, qui regnavit tempore processuum dicti monasterii contra homines..... qui regnavit fere XV annis. Post eum successit frater Simon d'Yeure, qui tempore suo viriliter laboravit in reparatione ædificiorum ecclesie ac augmentatione reddituum, obtinuitque in parlamento sententiam tallie regis contra homines terræ dictæ ecclesie, et regnavit.....

Melundensi (40), Salmurensi (41), et aliis quam plurimis secundo carcere inclusi teneantur? Refertus est burgus ille, et constipatus multitudine sanctorum : quæ velut Hierusalem obsessa a Babylonis, pedem ultra protendere non audet. Nulli tutus ingressus, omnibus negatur egressus. Nec multa spes in aliquo, nisi in illo qui edacit vinctum de domo carceris ; et in vobis, sanctissime Pater, qui ejus vices in terra geritis. Clamat igitur ad vos sicut ad singulare præsidium, nobilis illa Ecclesiæ Dei portio, et sibi citissime subveniri, sicut filiis a patre precatur. Postulo et ego socius periculorum, per quem vobis ista scribi elegerunt, ut quia tanta pro Deo et vobis eos contingit pericula subire, festinet vestra pietas eorum cito periculis subvenire. Postulo, inquam, quia postulandum mihi est, ne sanctos socios, qui itineri nostro quadam charitatis confidentia adhæserant, contempsisse videar. Nam de meis injuriis plura dicere supersedeo, qui dum eum domino Vizeliacensi (42) abbate armatis hostibus pro pace sociorum obviis occurissem, primo impetu mula nostra ictu lancæ confossa, in partem cedere coacta est. Fratres nostri fugati, famuli capti, res pene omnes ablatae. Ego ad proximam villam me conferens, tandiu delitui, donec conductu hospitis nostri ad Pontem Tremulum, quo alii præcesserant, vespertinis horis et ipse perveni. Inde ergo cum sociis vocem querulæ lamentationis emittens, rogo pariter et consulo ne rem tantam parvipendendam putetis : si nomini Christi, si honori vestro, si utilitati Ecclesiæ, aliquando consulendum esse judicatis. Si enim hoc negligitur, quid curabitur? Si rigor justitiæ, si severitas Ecclesiæ in damnis publicis dormit, quando in privatis evigilabit? Precatur nobiscum, et consulit sacer captivitatis conventus, ut non solum in actores nequitiæ hujus, sed et in toto Lunensi episcopatu apostolicæ vindictæ mucro resplendeat, quatenus eo sublimiter renitente non solum prope positi, sed etiam in

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(40) *Melundensi.* Jocelino fortasse, qui in Chartulario Sancti Victoris ad urbem Parisiensem abbas Sancti Petri Meledunensis dictus, cum Theodoricus de Miliaco ecclesiam Sanctæ Mariæ de Floriaco, Senonensis diocesis, quam longo tempore sine contradictione sicut laicus hæreditario jure libere et quiete tenuerat, in manus Henrici Senonensis archiepiscopi reddidisset, et eam Henricus ecclesiæ Sancti Victoris Paris. et canonicis in ea Deo servientibus donavisset, ac Gilduinum abbatem de illa investivisset ; aliquanto post cepit dicere quod ea ad jus Ecclesiæ suæ pertinebat. Unde et iudices delegari pro decisione controversiæ oportuit, cui etiam cum aliis interfuerunt, ac subscripserunt Hato episcopus Trecentis, Manasses episcopus Meldensis, Sugerius abbas Sancti Dionysii, et Nilalis abbas Resbacensis : qui omnes non solum Petro nostro Venerabili coætanei, sed et ejus ad illos præter Manassem, epistolæ leguntur.

(41) *Salmurensi.* Qui et Sancti Florentii ad Ligerim, ut jam supra notavimus, et forte Guillelmi illius, cui Gosfridus Vindocinensis scribit epist. 7, lib. iv successor.

(42) *Cum Domino Vizeliacensi,* Petro, ut suspicor, ejus ad Sugerium Sancti Dionysii abbatem epistola reperitur, et cui Pontius ipse Petri Venerabi-

A extremis Christianitatis finibus constituti terreantur. Lunensis episcopus nobis in brevi apparens, lunarem eclipsim nimis immature passus est, quem dum per totam dietam nobis lucere credidimus, vix per integram leugam socium habere potuimus. Longus fui, sed, ut audacter loquar, in tanta re longior esse debui. Jam, si quid minus dictum est, sapientia vestra suppleat, et disponat.

EPISTOLA XXVIII.

Pro meritis venerabili, pro affectu erga nos dilectissimo domno BERNARDO Clarævallis abbati (43), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem præsentem, et salutem æternam.

Diu est, frater charissime, ex quo bonæ conversationis tuæ aromata spirituali suavitate fragrantia intimo cordis odoratu hauriens, teque ante diligere quam nosse, ante venerari quam contemplari incipiens, te videre, te amplecti, tecum de animæ profectibus loqui desideravi. Cujus rei effectum hactenus præstolatus, quod de his charitati tuæ scribere decreveram, distuli. Malui quippe vivo sermone secreta cordis mei tibi aperire, quam hæc schedulæ calamo percurrente committere. Sed multa terrarum intercapedo, multa negotiorum et tribulationum nobis ingruentium amaritudo, hoc ne contingeret, hucusque prohibuerunt. Faciam ergo necesse est quod permittitur, et modo quo possum, quia isto tantum modo possum, fraternitati tuæ mihi, ut dixi, ante charæ quam notæ, quod me in quibusdam movet, aperiam. Novi enim te eruditione sæcularium, et, quod est longe utilius, scientia divinarum litterarum instructum pariter et ornatum, et relicta Ægypto, Ægyptiorum spoliis et Hebræorum opibus sic ditatum, ut et aliorum indigentiam ipse dives permanens supplere, et de dubiis certam ferre sententiam valeas.

Objiciunt itaque nostris, quidam vestrorum (44). Non, inquiunt, vos regulam, cujus rectitudinem sequi proposuistis, ut ipsis operibus monstratur,

D lis frater successit, ut ex epistola 4, libri iii, colligi potest.

(43) *Domno Bernardo Clarævallis abbati.* Infra epist. 29 et 36; lib. ii, epist. 39 et 37; lib. iv, epist. 17; lib. v, epist. 8 et lib. vi, epist. 4, 18, 29, 25 et 46. Est autem Claravallis, monasterium ordinis Cisterciensis, quod anno Domini 1115 fundatum est, ejusque primus abbas fuit sanctus Bernardus, ut notat Cæsar Heisterbachensis, lib. i Miraculorum et historiarum memorabilium, cap. 1.

(44) *Objiciunt itaque nostris quidam vestrorum.* Objectiones hæ Cisterciensium ex charta Charitatis quam fecit Stephanus abbas Cistercii tertius depromptæ, sic breviter a Joanne Parisiensi perstringuntur versus annum 1107. Hoc tempore, inquit, facta est charta Charitatis a Stephano Cisterc. abbate, et aliis xx abbatibus, et auctoritate sigilli apostolici confirmata. Ab illo ergo tempore rejecerunt ab ordine frocos et pelliceas, staminia, capucia, et feminalia, pectina, coopertoria et stramenta lectorum, ac diversa ciborum in refectorio fercula, et sagimen, et omnia quæ puritati regulæ adversabantur abdicarunt, et ecclesias, altaria, oblationes, decimas, et sepulturas, et furnos, et molendina, villas et rusticos; quia nec in Vita sancti Benedicti, nec in ejus Regula

sequimini: imo distortis gressibus ignotas semitas, et devia quæque sectamini. Proprias namque leges ipsi vobis, prout libuit, componentes, has sacrosanctas dicitis, Patrum præcepta pro vestris traditionibus abjicitis, in eadem re (quod monstruosum videtur) magistri et discipuli existitis. Insuper ad augmentum prævaricationis et divinæ irritationis, coram Deo et sanctis ejus voto vos astringitis: quod transgredientes, reos vos violati voti absque dubio ostenditis. Promittitis siquidem secundum Regulam beati Benedicti, vos in castris coelestibus militaturos, atque juxta ipsius instituta, indeficientem obedientiam servaturos. Hæc promissio. Videamus utrum sic se habeat conversatio.

Et ut per ordinem cuncta aggrediamur, in suscipiendis novitiis quomodo Regulam servatis, cum non nisi post annum, spiritibus si ex Deo sunt probatis, eos suscipi præcipiat; vos autem ipso quo adveniunt, ut ita loquamur, momento, nulla ratione servata, eos suscipiatis? Unde contingit, ut quia incaute recipiuntur, incautius recepti convertentur, et quia ad quod veniunt venientes non intelligunt, jam cæteris sociati, quid agere debeant nesciunt; dumque in stadio more athletarum ante pugnam non exercentur, ad conflictum venientes, cum pugnare debeant, fugiunt, et cum fortiter dimicantes vincere, utpote talium inexperti, facilitate vincuntur.

Usum quoque pelliciarum et diversarum pellium qua auctoritate vobis defenditis, cum in eadem Regula nihil de hujusmodi reperiat?

Femoralia sane de vestiario hos, qui in via diriguntur, accipere, et revertentes ibidem reponere jubet, utique præter illos nulli ea ferre permittens.

De stramentis autem lectorum utrum magistrum sequamini ipsi videte, cum certe plura et diversa, quam Regula præcipiat vobis et supponatis et supponatis.

Ut duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant, et ut tertium de pomis aut leguminibus, si fuerit, unde addatur, in sæpe dicta Regula legitis, an ita teneatis agnoscitis.

Fratres transgressores et professionis suæ prævaricatores, illos videlicet qui collum jugo Regulæ subducentes et de monasteriis fugientes ad sæculum revertuntur, usque tertio si reverti et pœnitere voluerint, recipi jubet; et si postmodum hoc fecerint, omnem eis reversionis aditum denegari. Sed vos sicut cætera, sic et istud quoque contemnitis, et quotienscunque libet, advenientes contra Regulæ præcepta suscipitis.

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

legebant sanctum Benedictum hæc possedisse, nec feminas ejus monasterium intrasse, nec mortuas ibidem sepultas fuisse, excepta sancta Scholastica sorore sua, decimasque dicebant in quatuor partitiones distribui debere, primam episcopo, alteram presbytero et clerico, tertium hospitibus et peregrinis, quartam in restauratione Ecclesiæ. Et quia in hoc monasterio

A De jejniis vero regularibus quid dicemus, quæ sic abjecistis, sic pro velle mutastis, ut vix parvas ipsorum reliquias magis forte humano pudore quam divino timore retinueritis? Nam cum monachis præcipiatur ut a Pentecoste usque ad Idus Septembris, quarta et sexta feria jejunent usque ad Nonam, nisi labores in agris habuerint, aut æstatis fervor nimius fuerit, cumque ab eisdem Idibus usque ad caput Quadragesimæ, ut ad Nonam semper reficiant injungatur, vos e contrario tota æstate omnes ferias pares facitis, et jejuniorum eandem formam quotidie his comedendo servatis. Reliquæ autem tempore quando vultis jejunando, quando vultis jejunia solvendo, non vos ipsos Regulæ, sed Regulam vobis subjicitis.

B Opus manuum, quo sancti Patres eremitæ et antiqui monachi semper usi sunt, quo ipsi apostoli victum sibi et aliis ministrabant, de quo Deus reatum primi hominis hac quoque pœna plectens, ait: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (Gen. iii). De quo et David: *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit* (Psal. cxxvii), ita abjecistis, ut nec istæ omnes auctoritates ad operandum vos cogere possint, nec obedientia, quam, juxta Regulam, Deo vos exhibere promisistis, delicatas otio manus de sinu ad opus extrahere valeat.

Nostis etiam inibi præceptum esse ut omnibus advenientibus sive discedentibus hospitibus inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis a fratribus adoretur qui et suscipitur. Non ignoratis et illud jussum: *Aquam in manibus abbas hospitibus det. Pedes hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet.* Sed nec istud tantillum voti vestri contemptores servare curatis.

De ferramentis, et rebus monasterii brevem abbas habere præcipitur; sed vel negligentia habere non curat, vel superbia habere dedignatur.

Ad hæc, cum his, qui ob debitas laudes Deo decantandas ad ecclesiam occurrere non valent, præcipiatur, in loco ubi sunt cum divino timore genua flectere, more vobis solito legibus propriis utentes, et communes contemnentis, cum nec istud valde grave sit, tamen negligitis, et alia quædam inventitia facientes, parvum hoc præceptum sicut et majora vilipenditis.

Mensam quoque abbatis cum hospitibus et peregrinis esse semper jubet, ut videlicet Christum semper habere mereatur, qui dicturum se esse dicit: *Hospes fui, et suscepisti me* (Matth. xxv). Istud

personam monachi qui terras suas possidet, unde et per se, et per pecora sua laborando vivat, non reperiebant. Videndi Robertus de Monte, in Supplémento Sigeberti; Cæsar Heisterbachensis, et auctor Chronici Cisterciensis hoc anno primum excusi.

quoque tantum et tam leve bonum, quasi pro nihilo ducentes, contemnitis.

Ubicunque sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petere precipitur, nec apud vos tenetur.

Ad portam monasterii senex sapiens poni iubetur, nec ponitur.

Ut pulsantibus vel clamantibus Deo gratias portarius respondeat, aut benedicat, imperatur, nec observatur.

Illud autem, illud, inquam, omni rationi et auctoritati adversum, quomodo tuemini, quod jam semel stabilitatem et conversionem morum, et obedientiam uno in loco professos rursus alio in loco stabilitatem, rursus conversionem morum; rursus obedientiam vovere, et priorem fidem irritam facere compellitis? Ita quippe, ita inevitabili periculo vobis acquiescentes cingitis, ut ad quamlibet partem se verterint, pravaricatores non esse non possint. Nam si prius votum servaverint, secundi rei tenebuntur. Si secundum, prioris noxa constringentur. Nec soli hoc patientur, sed par catena vos ipsosque constringet, et fortasse vos durior. Debent enim deceptores, deceptis poenas habere majores.

Sed et inde si potestis sufficientem excusationem prætendite, quod contra eandem toties nominatam Regulam vestram, vestram certe, vestram, vel salvantem vel condemnantem; alterius et noti monasterii monachos, sine permissione abbatis proprii, aut litteris commendatitiis, indifferenter suscipitis, et quod vobis nolletis fieri, alteri facitis. Eapropter et respectum fraternæ charitatis amittitis, neque secundum divinum præceptum, quod dicit: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem (Joan. xv)*, proximum sicut vos ipsos diligitis.

Super hæc omnia, quod omnibus injustum et contra ecclesiastica decreta esse perspicue patet, et unde ab universis juste judicamini, nequaquam relinquere vultis, sed contra totius orbis morem, proprium episcopum habere refugitis. Quod quam sit absurdum, etiam imperitis manifestum est. Unde enim vobis chrisma? Unde sacri ordines? Unde ecclesiarum consecrationes et cœmeteriorum benedictiones? Unde ad postremum omnia, quæ sine episcopo aut episcopi jussu canonice fieri non possunt? Certe in his non solum monachorum, sed et omnium regulam exceditis Christianorum.

Ecclesiarum parochialium, primitiarum et decimarum possessiones, quæ ratio vobis contulit, cum hæc omnia non ad monachos, sed ad clericos canonica sanctione pertineant? Illis quippe, quorum officii est baptizare et prædicare, et reliqua quæ ad animarum pertinent salutem genere, hæc concessa sunt, ut non sit eis necesse implicari sæcularibus negotiis, sed quia in Ecclesia laborant, de Ecclesia vivant, ut Dominus dicit: *Dignus est operarius mercede sua (Luc. x)*. At vos quare hoc usurpatis, cum nihil horum quæ diximus facere debetis? Et cum

A illum non feratis laborem, eum laboris suscipitis mercedem?

Sed et de sæcularibus possessionibus a vobis more sæcularium possessis, quid respondebitis, cum in nullo in hac parte ab ipsis discrepare videamini? Nam castra, villas et rusticos, servos et ancillas; et quod deterius est, telonearia lucra, et fere cuncta hujusmodi emolumenta indifferenter suscipitis, non legitime tenetis, contra infestantes modis omnibus defenditis. Unde contra monastici ordinis instituta, causas sæculares religiosi tractant, monachi caudici efficiuntur, accusant et accusantur, testes fiunt, contra Apostolum, judiciis intersunt (*II Tim. ii*), atque sub prætextu juris proprii tuendi, cordibus in Ægyptum revertuntur, incendium Sodomæ a Sodomis jam egressi respiciunt, manum mittentes in aratrum, retro respiciunt, et idcirco regno cœlorum apti esse non possunt (*Luc. ix*). In his omnibus professionis et voti vestri transgressores vos esse, apertissime ostendimus. Si enim constat Regulam hæc præcepisse, et vos hanc servare vovisse, curæ constet hoc vos hactenus non fecisse, patet, ut diximus, non servatæ promissionis vos pravaricatores existere. Nos vero hæc omnia uti præcipiuntur observamus, et ex integro, quidquid in Regula tenenda Deo promisimus, custodimus.

Ad hæc nostri: O, o Pharisæorum novum genus, rursus mundo redditum! qui se a cæteris dividentes, omnibus præferentes, dicunt quod propheta dicturos eos prædixit: *Noli me tangere, quoniam mundus ego sum*. Sed ut his quæ in ultimis posuistis in primis respondeamus, dicite, veri observatores Regulæ, quomodo vos eam tenere jactatis, qui nec breve illud capitulum -ut ipsis vestris verbis ostenditur, servare curatis, quo dicitur, ut monachus omnibus se inferiorem et viliozem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu? Hoccine est inferiorem se credere et pronuntiare, aliorum facta deprimere, sua extollere, contemnere alios, sibi magnum videri, cum Scriptura præcipiat: *Cum feceritis omnia quæ vobis præcepta sunt, dicite: Servi inutiles sumus? (Matth. xvii.) Non justificabitur, inquit Propheta, in conspectu tuo omnis vivens (Psal. cxlii)*. Et Isaias: *Velut pannus menstruatae, omnes justificationes nostræ (Isa. lxiv)*. Et vos sancti, vos singulares, vos in universo orbe vere monachi, aliis omnibus falsis et perditis secundum nominis interpretationem, solos vos inter omnes constituitis, unde et habitum insoliti coloris prætenditis, et ad distinctionem cunctorum totius fere mundi monachorum, inter nigros vos candidos ostentatis. Et certe hæc vestium nigredo, antiquitus humilitatis causa a Patribus inventa, cum a vobis rejicitur, meliores vos ipsis candorem inusitatum præferendo judicatis. De magno tamen illo et admirabili, vereque monacho Martino non legitur, quod albo et curto, sed quod nigro et pendulo pallio processerit. Inde quoque et Regulam, cujus defensores magis quam observatores videri

vultis, valde transgredimini : qua jubente didicistis, ut de vestium colore aut grossitudine non causentur monachi. Cujus manifestissimi prævaricatores esse convincimini, qui colorem humilitati et abjectioni magis competentem abjicitis, et illum, quo etiam in Scripturis gaudium et solemnitas figuratur (Act. 1), album scilicet, contra jam dicta Regulæ mandata assumitis. Cumque in valle lacrymarum positos, quibus præcipitur, ut semper luctui, nunquam lætitiæ intendant, deceant vestimenta luctum et pœnitentiam designantia, vos econtra in miseris felicitatem, in mœrore gaudium, in luctu lætitiã, vestium candore monstratis. Sed ne magis injurias verborum verbis ulcisci, quam objectis ex ratione respondere videamur, his quibus vos juste impetere possemus ad præsens ommissis, ad ea quæ objecistis taliter respondemus. Et ut eo ordine quo a vobis posita sunt objecta diluamus, dicimus nos in observatione Regulæ, nequaquam devia quæque sectari, sed per omnia ducentis Regulæ rectitudinem sequi. Privatis legibus Patrum traditiones non supponimus, quoniam et ipsæ a sanctis Patribus inventæ sunt, quos Deo placuisse sancta vita et multa miracula testata sunt et testantur, quibus et licuit talia mandare et nobis licet talia observare. Plane licuit, semperque licebit, ut pastores ovibus suis quæ recta sunt præcipiant, et oves pastoribus ut Deo obediant. Voti nostri nos nitimini ostendere transgressores, ejus nos veros sic ostendimus observatores.

Nam in suscipiendis novitiis Regulam omnium servamus, quoniam illum sequimur qui dixit : *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet : et eum qui venit ad me non ejiciam foras (Joan. vi).* Quem non sequeremur, si eos, qui ad ipsum ab ipso inspirati veniunt, ejiceremus foras. *Nemo enim, ait, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum (Joan. iii).* Si igitur quem Pater trahit, et Filius suscipit, ac Spiritus, qui ubi vult spirat, inspirat, expelleremus, quid aliud quam Deo resistere videremur? Certe non tantum venientes suscipere, sed etiam non venientes ad veniendum invitare invenitur, dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. (Matth. xi).* Et de nostri ordinis jugo ferendo subinfert : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (ibid.).* Et ut nihil fingere, sed totum divinis auctoritatibus videamur firmare, dicite qui non nisi annum monachum vultis, nunquid illi, cui Salvator dicebat : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me (Matth. xix),* annum remorandæ conversionis indicebat? Nec refragari potestis totam summam ordinis nostri his brevibus verbis Domini contineri. Nam quid est aliud dicere: *Omnia quæ habes da pauperibus, et, veni, sequere me,* nisi esto monachus? Sed forte dicetis eum hoc non fecisse. Nunquid dicere potestis Dominum hoc non

A monuisse? Quod si iste non implevit, implevit ille, qui, cum ei diceret Dominus : *Sequere me,* et respondisset ut ad sepeliendum patrem eum prius ire permitteret, et Dominus addidisset : *Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu autem veni, et annuntia regnum Dei,* surgens secutus est eum (Matth. viii; Luc. ix). Nunquid non dicam annum, sed vel diem, aut horam, antequam converteretur, ei indixit : ac non potius remorari etiam pietatis causa volentem, ne moraretur coegit? Et certe sapientia Dei per Salomonem dicit : *Fili, ne tardes converti ad Deum, et ne differas de die in diem. Nescis enim quid superventura pariât dies. (Eccli. vi).* Et ut majora aggrediamur, quosdam apostolorum de mari, quosdam de teloneo, alios de diversis mundi commerciis vocatos cernimus, et illico apostolos videmus. Sed ne hæc magis veneranda miracula, quam imitanda exempla esse dicatis, ad vitam illam primitivæ Ecclesiæ recurrimus, quam esse eam, quæ apud nos servari debet, quis sanum sapiens negare potest? Quæ namque est vita monachica, nisi quæ tunc dicebatur apostolica? Hanc sane et illam eandem esse, ipse beatus significat, cum tractans qualiter debeant fratres necessaria accipere, ait, scriptum est : *Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat (Act. iv).* De proprietariis quoque idem sancit, quod Petrus apostolus tenendum esse decrevit, cum Ananiam et Saphiram propria habere volentes, terribili morte damnavit (Act. v). Ad hanc ergo conversationem, quam sive monachicam seu apostolicam dixerim, nil refert, quicumque veniebat, ab apostolis suscipiebatur, illico cæteris jungebatur, nec per annum, ut apud vos, differebatur. Nunquid his omnibus auctoritatibus non acquiescitis, nec adhuc hominibus aditum venienti ad Deum reserabitis? Sed forte adhuc perstatis; et dicitis : Regulam beati Benedicti tenere voluistis. Nos econtra. Nunquid jam dicta a professione exclusimus? Nunquid Regulam servaturos nos vovimus et Evangelia negavimus? Nunquid dicta et facta Domini et apostolorum ejus imitari beatus Benedictus prohibuit? Nonne Petrus ait : *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus (I Petr. ii).* Certe Christus omnibus quos vocabat, ut se sequerentur dicebat. Recolite Evangelia, et fere ubique sic invenietis. Sequi autem pro imitari positum a doctoribus nostris accepimus. Super hæc omnia matris charitatis regulam in his et in reliquis, nos sequi profitemur : quæ hoc sibi proprie vindicat, ut quidquid secundum eam fit, rectum, non distortum, æquum, non iniquum, justum, non injustum esse, manifestissimum sit. Ut enim Dominus ait, in ipsa universa lex pendet et prophetæ (Matth. xxii). Et beatus Gregorius : *Omne mandatum de sola dilectione est, et omnia unum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* Atque post pauca : *Præcepta Dominica, et multa sunt, et unum : Multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis.* Hinc beatus Augustinus : *Habe,*

inquit, *charitatem, et fac quidquid vis*. Hanc charitatis, ut diximus, Regulam sequentes, novitios, mox ut veniunt, suscipimus: imo etiam secundum Dominum ut veniant invitamus, et implemus quod Joannes in Apocalypsi ait: *Et spiritus et sponsa dicunt: Veni; et qui audit dicat: Veni (Apoc. xxii)*. Nec contrarii sumus Regulæ, quoniam charitatis oculus erga salutem proximi apertum habemus. Perpendimus quippe quia, si eum ab ordine nostro tam aspere deterreremus, ad sæculum revertens post Satanam converteretur; et qui ad salutem venerat, in perniciem laberetur. Cujus perniciem reos nos ante subtile examen districti iudicis inveniri formidamus, si quem salvare condescendendo possumus, perditum iri nostra austeritate permittimus. Petraetamus et hoc, quia sæpe etiam in vitis bona præstantur. Hoc dicimus quod apud nos sæpe contingere cernimus. Nonnulli huic jugo colla sua submittentibus, post aliquantum temporis diversis seu tentationibus seu tribulationibus oppressi, ad fæces mundi, quas dimiserant, revertentur, nisi cogitarent quod semel fecerunt non posse se absque damnatione æterna prævaricari. Qui si aliquando hoc præsumunt, postmodum tamen hoc timore compulsi, ad ovile proprium revertantur, et quia aliter salvari se non posse cognoscunt, velint, nolint, servant quod voverunt. Ipse quoque beatus Benedictus, quem nobis objicitis, pro nobis loquitur: *Sic, inquit, abbas omnia temperet atque disponat, ut animæ salventur*. Sed et Dominus in Evangelio: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit (Luc. xi)*. Hoc est, si intentio bona fuerit, et cuncta opera recta existent. His auctoritatibus, hac ratione confidimus nos juste agere, et beati Benedicti præceptum, qui in nullo Scripturis divinis contrarius esse potest, in suscipiendis novitiis optime conservare. His omnibus adjungimus illud, quod isto fraternæ charitatis intuitu licet plerumque magistris Ecclesiæ Dei Patrum instituta transgredi, et ad utilitatem animarum regularum præcepta moderari. Ad hoc enim omnium divinarum Scripturarum oculus tendit, et hæc ejus finalis causa est, ut sive arguendo, sive obsecrando, sive increpando, sive parcendo, sive corripiendo, sive quocunque modo agendo salus animarum providea-

atur, et homo, ad cujus doctrinam scripta sunt quæcunque scripta sunt, Deo, a quo disjunctus fuerat, iterum jungatur. De his multa in canonibus ecclesiasticis invenimus, a sanctis videlicet Patribus bene prius sancita, et a subsequentibus juxta rationem temporum, certis de causis mutata, ut est, verbi gratia, de illis qui in hæresim vel in aliquod damnable peccatum et publicum corruunt, quos primi canones ad pristinum clericatus vel dignitatis gradum accedere prohibent, sequentes vero, necessariis cogentibus causis, aliquando permittunt. Sic et de presbyterorum filiis, ne presbyteri fiant, et de episcopis ne ad aliam sedem transferantur constitutum est: sed in multis utilitatis gratia non servatum. Papa etiam Gregorius Anglos noviter ad fidem conversos, contra prædecessorum suorum, ac multorum conciliorum statuta, in quinta linea copulari permisit (45). Hæc et multa his similia a quibusdam Patribus statuta, ab aliis certa necessitate vel utilitate immutata, persæpe reperiuntur. Synodus Nicæna secundo capitulo dicit: *Frequenter sive ex necessitate, sive alio quolibet modo, transgredi contigit homines ecclesiasticos canones*. Et sanctus papa Leo: *Ubi, inquit, necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim sit mutatio legis*. Item Felix papa: *Contemplari oportet, inquit, quod ubi occurrit necessitas, sæpe constitutiones Patrum transgredimur*. Hæc diximus, istis vos expugnantibus exemplis et testimoniis cinximus, ut nullus jam evadendi vobis supersit locus. Cum enim audiatis necessitatis, sive utilitatis gratia posse Patres mandata moderari, negabitis hominem ad monachatum nisi potest annum posse suscipi? Et quæ major necessitas aut utilitas, animarum salute, potest inveniri? Illa necessitate, illa utilitate, ne dilati pereant, ad nos venientes aliquando sine mora suscipimus. Et quia jam dicto charitatis oculo salutem proximi sic agendo procuramus, nec Regulæ, quæ tantum salutem hominum requirit, nec alicui divinæ Scripturæ contrainimus, imo implendo quod volunt, eis in omnibus concordamus.

Post hæc requiritis qua auctoritate usum pelliciarum et diversarum pellium nobis defendimus (46), cum in Regula nihil de hujusmodi reperiatur. Sed

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(45) *Papa Gregorius Anglos noviter ad fidem conversos in quinta linea copulari permisit*. Bedæ lib. i Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, cap. 27. « Interea vir Domini Augustinus venit Arelas, et ab archiepiscopo ejusdem civitatis Etherio, juxta quod jussa sancti Patris Gregorii acceperant, archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est. Reversusque Britanniam, misit continuo Romam Laurentium presbyterum, et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi accepisse, ac se episcopum factum esse referrent. Simul et de eis, quæ necessaria videbantur, quæstionibus ejus consulta flagitans. Nec mora congrua quæstionibus responsa suscepit. » Et paulo post: « Interrogatio Augustini: Usque ad quotam generationem debeant fideles cum propinquis sibi conjugio copu-

lari? Respondit Gregorius: Quædam terrena lex in Romana republica permittit ut sive frater et soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omni modo debet abstinere. » Sed de quinto gradu nihil.

(46) *Qua auctoritate usum pelliciarum et diversarum pellium nobis defendimus*. Hunc pellium et pelliciarum usum monachis vicissim et laicis communem ab antiquo fuisse jam diximus, et nunc adhuc exemplis aliis ostendemus. Beatus Odo, libro ii

et nos requirimus qua auctoritate ea auferre conamini. Quam cum afferre non potueritis, quod revera non potestis, nos nostras in medium afferemus rationes, et ex his nos nil male agere vestiti pellicis demonstrabimus. Verba igitur Regulæ in primis discutiamus, et si nobis pelles abstulerit, illico dimittemus. Audite ergo, unde nos impetitis. *Vestimenta, inquit, fratribus secundum locorum qualitatem (47), aut aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus.* Hæc ergo consideratio penes abbatem sit. Hæc dicens, nullam vestimentis certam metam præfixit, nihil necessitati abstulit, in arbitrio Patris spiritualis totum posuit; et tam in his quam in cæteris similibus necessaria conservans, superflua tantum resecauit. Unde et alibi dicit: *Quod superfluum est, amputari debet.* Apostolus quoque idem confirmat: *Carnis, ait, curam ne feceritis in desideriis (Rom. XIII).* Inde beatus Gregorius. Cum carnis curam in desideriis facere prohibemur, in necessitatibus concedimur. Igitur secundum hæc Apostoli præcepta, juxta beati Benedicti supra scripta dicta, secundum illa quæ de Actibus apostolorum alio loco inducit, dicens: *Dividebatur singulis prout cuique opus erat (Act. IV),* juxta omnia quoque divinarum litterarum mandata, licet abbati superfluitate recisa, pellicias vel cætera indumenta fratribus largiri, et more boni pastoris omnibus sibi commissis cuncta necessaria providere. Et ne exempla deesse videantur, ipsum Deum primis hominibus post lapsum hujusmodi indumenta dedisse legimus. *Fecit, inquit, Deus Adam et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos (Gen. II).* Cum ergo hæc indumenta non pro gloria, sed pro ignominia, non pro deliciis, sed pro pœnitentia, non pro honore, sed pro dedecore, Deus eis contulerit, quare vos ac si delicias, et aliquid magnum pelles monachis auferre conamini? Hæc plane hujusmodi

A indumentâ in exsilio positos patriæ recordari commonent, quæ ab ea expulsi, in sustentanda fragilitate se accipisse recolunt. Sanctos quoque prophetas pellicibus usos Apostolus in laude martyrum memorat, dicens: *Circumierunt in melotis, in pellicibus caprinis (Hebr. II).* Elias namque propheta zona pellicea accinctus fuisse describitur (*IV Reg. I*). Et de Joanne Baptista Evangelium loquitur: *Erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicæ circum lumbos ejus (Matth. III; Marc. I).* Beatum Antonium eremitarum Patrem, pellicea usum fuisse legimus. Hinc et de ipso beato Benedicto legimus in Dialogo: *Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores invenerunt. Quem dum vestitum pellicibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt.* Si utique in usu pellium peccatum esse crederent, nequaquam tanti viri, qui omnibus imitandi proponuntur, his uti voluissent. Sed quia inter superflua et necessaria distinguere noverant, superfluis longe remotis, cum et ab ipsis necessariis majoris virtutis merito in multis abstinerent, ista tamen indumenta, quibus utentes monachi non esse dicuntur, sibi retinuerunt, et prophetæ et martyres sancti ea ferentes permanserunt. Sed et illud, quod de tunica et cuculla subsequitur, quam discrete, quam provide, quam charitative dixerit, quantumque a vestræ indiscretionis inhumanitate discordaverit, si nondum perpendistis, tandem animadvertite. *Mediocribus, ait, locis sufficere credimus per singulos cucullam et tunicam: Cucullam in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam.* Quod, quæso, hic præceptum? quæ coactio? Quid hic dicitur quod a nobis non servatur? Sufficere credit, non præcipit, nec omnibus in locis, sed mediocribus locis monacho cucullam et tunicam. Nunquid credere est præcipere? Nunquid mediocria loca sunt omnia loca? Hoc mandatum transgredimur, hinc

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

Vitæ sancti Geræaldi comitis Aureliacensis, cap. 5: « Vestimentis autem pelliceis super vestibus lineis utebatur, quia genus istud indumenti solent clerici vicissim, et laici in usum habere. Duas tamen pelliceas nunquam simul habebat. » De monachis docet additio ad capitulum. Car. Magni et Ludovici regum, cap. 22: « Ut si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit abbas causa necessitatis quidpiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camisias duas, et tunicas duas, et cucullas duas, et cappas duas unusquisque monachorum habeat, pelliceas usque ad talos duas, » etc. Et Goffridus abbas Vindocinensis lib. I, epist. 12, ad Calixtum papam: Hoc intersigno presentes litteras meas esse pater meus agnoscat, quod Armano monacho Romæ pro ejus amore bene servivi; et cum apud Turonum nocte nudatus esset a furibus, non dimidiam vestem ut beatus Martinus, sed grisiam pelliciam atque varias pelles obtuli patri meo, quem nimia charitate semper dilexi et diligo. De laicis vero testatur etiam Guillelmus Carnotensis in Vita sancti Ludovici, cum dicit eum, « ex quo prima vice viam arripuit transmarinam, nunquam indutum esse squalito, vel panno viridi, seu bruneto, nec pellicibus variis, sed veste nigri coloris, vel camolini, seu persei. » Unde et apud Ulpianum: « Vestis etiam ex pellicibus constabit, cum

et tunicas pelliceas nonnulli habeant. » Nec profecto viri tantum, verum et mulieres, tam sæculares quam velatæ, pellicibus illis ac pellicis quondam uti consuetæ. Notitia Mollendini de Cappa in Vindocino siti: « Notum fiat nostrorum posteritati successorum quod Hildiardis uxor Fulcherii de Vindocino emit unum molendinum, in Ledo fluvio in loco qui dicitur ad Cappam situm, ad opus Sancti Martini Majoris Monasterii, de quodam homine Guismando nomine, annuente uxore sua, nomine Emelina, quæ habuit ob hoc primo pelliciam XL solidorum, postea C solidos. » Et statuta vetera Domus Dei Paris: « Sorores habebunt singulæ tres camisias, et tres succinas talaris, unum pelliceum agninum novum, et suum vetus, si opus fuerit. »

(47) *Vestimentâ fratribus secundum qualitatem, etc.* Verba sunt capituli 4 Regulæ S. Benedicti. Quæ Cassinenses in suo declaratorio interpretantes, addunt, « Qui vero pellicea propter aliquam infirmitatem, seu necessitatem indiguerit, careat rata vestimentorum illo anno sibi contingente. Et hæ pellicæ ad necessitatem, non ad ostentationem aut luxum concedendæ sunt. In ipsis igitur cavendus est omnis ornatus, ne illis uti liceat loco tunicarum, aut sine tunicis, sed superinduantur illis utentes et tunica præsertim accedentes ad chorum aut refectorium. »

rei arguimur, hinc voti prævaricatores dicimur. Sed si nos pellicis utendo, quoniam de eis Regula reticet, prævaricamur, prævaricamini nobiscum et vos, qui simplici flocco et cuculla contenti esse non vultis, et ultra Regulæ metas, quæ nihil de his loquitur, multiples, et quotquotlibet tunicas induitis, et eas absque aliqua discretione fertis. Si vero responderitis quod quidam vestrorum nostris aliquando responderunt, videlicet hoc vos causa necessitatis agere, respondebimus et nos similiter, necessitate, hoc est frigoris importabili asperitate pellicium munimenta portare. Et si hac ratione immunes vos a Regulæ transgressione videri cupitis, eadem ratione nos Regulæ transgressores non esse, nihilominus declaramus. Cum ergo vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, aut aerum temperiem, dari Regula jubeat, cum hanc considerationem penes abbatem esse decernat, cum, secundum apostolicam sententiam, dividi singulis prout cuique opus est, præcipiat, cum carnis curam in desideriis Apostolus fieri prohibeat, sed in necessitatibus permittat, licet plane abbati, licet his, quos indigere viderit, necessaria subsidia, seu in vestibus, seu in quibuscunque libuerit rebus pro velle ministrare. Nec tantum licet, sed etiam prævaricatae Regulæ reus existeret, si quod Regula exhiberi egentibus charitative præcipit, non exhiberet.

Femoralia sane eadem ratione necessitatis, munditiæ et honestatis nobis defendimus, recolentes insuper Deum præcepisse ne summus sacerdos sine femoralibus lineis ad altare suum accedere præsumeret, ne si hoc faceret, poenam mortis incurreret. Et licet cuncta illa sacerdotalia, vel Levitica indumenta, sive ornamenta, Ecclesia Dei moribus magis quam corporibus coaptet, et non litteram mortificantem, sed spiritum vivificantem sequatur, sunt tamen quædam, quæ more illo antiquo adhuc in Ecclesia decoris causa observantur, ut quæ erant futurorum significativa, sint præteritorum representativa: sicut, verbi gratia, quædam in pontificalibus vestimentis morem pristinum imitari cernimus, quæ non ob superstitionis observantiam, sed ob utriusque legis spiritualem, ut diximus, consonantiam fieri intelligimus. Nam licet, secundum Apostolum, omnia illis in figura contingerent (I D Cor. x), sacramento tamen honestas seu utilitas aliquando conjungebatur. Et quamvis in feminalibus lineis ministris Dei castitas indiceretur, tamen honestas velandorum inhonestorum non excluderetur, imo sollicitè præcipiebatur. Unde et Apostolus: In-

honestas, inquit, *nostra abundantiori honore circumdamus* (I Cor. xii). Hujus ergo rei honestas quidem intelligitur, necessitas autem apertius exponeretur, si de talibus, sicut de cæteris, libere loqui permitteremur. Honestum tamen est, utile est, necessarium est: et idcirco contra Regulam, quæ nulla, ut sæpe jam diximus, necessaria interdicit, nec in hoc aliquid agimus.

De stramentis autem lectorum (48) quæ objecistis, miramur quomodo objicere potuistis. An enim obliti estis verba Regulæ, quæ dicit: *Lectisternia pro modo conversationis, secundum dispositionem abbatis sui accipiant*? Unde quod abbate permittente, nobis et supponimus et superponimus, si superflua desunt, juste secundum Regulam sine aliquo inobedientiæ periculo facimus. Eapropter quoniam argui de prævaricatione non possumus, injuste reprehendentes de non recta reprehensione, rectius reprehendere possumus.

Hinc ad duo pulmentaria quæ intulistis veniamus, et tam de ipsis quam de panis et vini mensura (49), quid Regula dicat videamus: *Panis, inquit, libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, tertia pars a cellarario reservetur, reddenda cœnaturis*. Ecce qui de iota uno, aut uno Regulæ apice calumnias machinamini, insurgite, irruite, invenistis quid dicatis, quid objiciatis, hic plane nos damnare, hic prævaricatores arguere, hic voti transgressores vocare, sine contradictione potestis. Si enim propensa libra panis in die monacho non suffecerit, si vel modicum supra libram, vel pro libra aliud sumpserit, nisi integram tertiam partem ad opus cœnæ sibi reddendam cellarario non alteri reddiderit, si plus vel minus de libra in prima refectioe comederit, quam ut tertia pars ad servandum residua sit, id est ut nec plus tertia parte, nec minus comedenti supersit, quid aliud quam a Deo condempnamur, a paradiso excludimur, ut perjuri et filii perditionis in inferno retrudimur? Quid tamen de illis dicetis qui extra equitant, et necessitate monasterii per diversa euntes, multo tempore a monasterio absunt? Nunquid semper panem suum trutinare poterunt? Nunquid semper et ubique cellararium monasterii secum habere valebunt, cui quando bis comederint, tertiam partem libræ suæ ad cœnam illam recepturi, nec de alio pane comessuri, commendare valeant? Vere liquantes culicem, et camelum glutientes, decimantes mentham, et anethum et cuminum, et relinquentes quæ sunt graviora legis,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(48) *De stramentis autem lectorum*. S. Benedictus, cap. 55, Regulæ, « Stramenta, inquit, lectorum sufficiant, matta, sagum, lena, et capitale. » Qui locus a Cassinensibus sic declaratur: « Prælati prohibeant ornamenta lectorum, et præsertim ne circumcirca sint panno lineo aut laneo septa cujusvis coloris et qualitatis, » etc. Et cum monachis usus lineorum interdicitur, hoc præcipue in stramentis lectorum servari debet. Licet etiam super sagum,

aut mattam pannum laneum habere, aut lineum grossiorem, qui possit removeri et abluui.

(49) *De panis et vini mensura*. Hanc nos alibi jam explicabimus, et de ea etiam Additio I ad capitulum regum, cap. 25: « Ut ea, inquit, quam monachi sui habent mensura, sint abbates contenti in manducando, in bibendo. » Et cap. 77: « Ut unicuique fratri in cibo et potu sua mensura separatim detur, et de tota mensura cibi alicui nihil tribuat. »

judicium, et justitiam, et veritatem (*Matth. xxiii*). Sic quippe sentientes, quid aliud quam Deum verborum venatorem magis quam cordium scrutatorem esse videri vultis? Cumque ad cor semper respicere dicatur, et simplicitate oculi totum corpus lucidum fieri, ipse confirmet (*Luc. ii*), vos e contra, magis eum linguæ motus, et sonum omnium auribus communem notare, talia dicentes, sentire videmini. Et cum probeatur materiam salutis nostræ propter suam immensam pietatem libentissime perquirere, quod ex multis Scripturarum locis conjicere, imo aperte cognoscere quilibet potest, ut verbi gratia, cum ad Abraham loquens, pro decem Sodomitarum justis se cæteris indulgere promisit (*Gen. xviii*), et viduam duo tantum minuta offerentem laudavit (*Matth. x*), et cum danti calicem aquæ frigidæ mercedem reddidit (*Luc. xv*), et bonæ voluntatis hominibus pacem annuntiat (*Luc. ii*), vos e converso velut ei insidiantem ipsum nitimini comprobare. Hoc certe facitis, cum hæc et alia Regulæ verba, non ut oportet, intelligitis, non ut decet, exponitis. Hoc facitis, cum profitentium verba, magis quam corda, Deum attendere dicitis. Non ita, non ita sensit sanctus, qui spiritu omnium justorum plenus fuisse dicitur, non ita sensit; sed audite quid senserit. Intellectum ejus verba sequentia demonstrant. *Quia si labor, inquit, forte major factus fuerit, in arbitrio et potestate abbatis erit; si expediât aliquid augere, remota præ omnibus crapula, ut nunquam subrepat monacho indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: Vide te ne graventur corda vestra in crapula (Luc. xxi).* Hæc dicens, quid aliud quam necessitatem retinuit, vitium amputavit, atque in arbitrio abbatis cuncta hujusmodi esse censuit? Sed et omnia verba ejus de mensura potus tractantis, nonne huic nostræ intelligentiæ astipulantur? Quæ brevitatis gratia libenter intermitteremus; sed quia his maxime ejus intentio, atque discretio cognosci potest, oportet ut ea ponamus. *Unusquisque, ait, proprium donum habet ex Deo; alius sic, alius vero sic (I Cor. vii).* Et ideo cum aliquâ scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus eminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quia si loci necessitas aut labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat satietas aut ebrietas, licet legamus vinum omnino monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius, quoniam vinum apostatare facit etiam sapientes (*Eccli. xix*).

Dicite ergo syllabarum discussores, nonne hæc omnia indiscretionem vestram condemnant? nonne sententiam nostram omnimodis approbant? Donorum diversitates diversis a Deo donari dicit, et ideo

A cum scrupulositate mensuram victus aliorum constituit: constituendo tamen nihil præcipit, sed eam mensuram quam ponit, posse sufficere fratribus credit. Si labor, aut ardor, aut quælibet necessitas amplius poposcerit, in arbitrio prioris constituit, superflua et vitiosa tantum more solito resecans, et idcirco satietatem, aut ebrietatem cavere in omnibus admonens. De pulmentariis etiam nihil affirmando, nihil præcipiendo, sed totum sub moderatione ponendo, ita scribit: *Sufficere credimus ad refectionem quotidianam omnibus mensis cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur.* Si ergo quisquam infirmitatis propriæ causa ex duobus illis non potuerit edere, non oportet eum ex tertio refici? Quod si nec ex tertio, non debet ei quartum offerri? Sic etiam diversa diversis pro qualitate infirmitatum, hoc est, prout cuique opus est, superfluitate semper et ubique recisa, non debent charitative impertiri? Hoc sanctus ille intellexit, hoc scripsit, hæc de causa nihil aliud de talibus diffinire, nil præcipere voluit; sed pro qualitate locorum, temporum, morum, infirmitatum, et diversorum accidentium, cibos, potus, vestes, et ad extremum universa, tam corporibus quam animabus necessaria, subditis a Patribus dari sancivit, animarum saluti tantummodo intentus, et eam, sive dando, sive subtrahendo, sive parcendo, sive corripiendo, procurare sollicitus. Hoc ostendit omnibus fere in locis Regulæ suæ, hoc specialiter dicit in capitulo superius dicto, quo tractat si omnes debent æqualiter necessaria accipere. *Sicut, inquit, scriptum est: Dividebatur singulis, prout cuique opus erat (Act. iv).* Ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, et non contristetur. Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia: et ita omnia membra erunt in pace. Huic rationi Regula charitatis, quæ ad universa se extendit, et omnia sua rectitudinè recta facit, attestatur, ubi beatus Augustinus in libro De moribus Ecclesiæ catholicæ, contra Manichæos scribens, dicit: *Continent se igitur hi qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, et a carnibus, et a vino, duas ob causas, vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter libertatem suam. Charitas præcipue custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in unam conspiraturque charitatem. Sciunt hanc commendatam esse a Christo, et apostolis, ut si hæc una desit, inania sint omnia; si hæc adsit, plena sint omnia. Hanc violare, tanquam Deum, nefas ducitur. Hanc si quid offendit, unam diem durare non sinitur.* His et similibus satisfacimus, nisi obstinata voluntas maneat vestra tuendi, et magis disponatis quæ vestra sunt litigando defendere quam probatæ rationi et auctoritati acquiescere. Transeamus ad reliqua.

Opponitis deinde nos contra Regulam plusquam

tertio fugitivos suscipere (50). Nos vero ad ista : A Miramur, valde miramur unde istud novum Evangelium ortum est, quod contra totius orbis fidem dimicat, et spem veniæ peccatoribus interdicit. Dicant qui post trinam prævaricationem reverti volentibus aditum claudunt, cur Christus Petro, postquam ter negavit, non tantum indulxit, sed et pasceñas oves suas tertio commisit, eumque majorum maximum et apostolorum principem constituit. Dicant utrum Scriptura mentiatur, quæ dicit : *Septies cadit justus, et resurgit (Prov. xxiii)* : Dicant quid eis de verbis Domini videatur, quibus Petro interroganti quoties peccanti fratri deberet indulgere, an usque septies, respondit : *Non dico usque septies, sed usque septuagies septies (Matth. xviii)*. Ostendant quomodo intelligunt quod alibi ipse Dominus ait : *Si dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra (Matth. vi)*; nec diffinitum numerum remissionis præfecit, sed indiffinitè posuit, dans intelligi, quod quoties quis fratri indulserit, toties ei Deus indulgeat. Hinc in oratione quam Ecclesiæ dimisit, addit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. vi; Luc. xi)*. Unde non dubitatur quod quoties quæ nostris debentur dimittimus, toties, ut diximus, nobis debita, hoc est peccata nostra, a Deo dimittuntur. Sed quare exemplis immoramur, cum nullum sanæ fidei lateat, converti ex corde volentibus janua misericordiæ usque ad ultimum spiritum semper esse reseratam; et fontem domus David in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zach. xiii*), per omne præsentis vitæ spatium indifferenter patentem, nulli negari? Verba quoque Regulæ, quæ prave vel parum intelligentes, ista dicere præsumpsistis, in nihilo vobis suffragantur. Et ut pateat verum esse quod dicimus, ipsa ponamus : *Si frater, inquit, proprio vitio de monasterio exierit, aut proiectus fuerit, in ultimo gradu usque tertio recipiatur; iam vero postea sciat sibi omnem reversionis aditum denegari*. Non, inquit, denegetur; sed, *sciat sibi denegari*. In qua sententia cum nihil præcepti inveniat, non obicem misericordiæ posuisse, sed terrorem temerariis intentasse cognoscitur. Ergo desinite talia loqui, et non Scripturas vestro sensui sed sensum vestrum Scripturis applicate; et converti veraciter cupientes, absque ulla retractione, etiam milles suscipite. Alioquin Deo contrarii et Regulæ adversarii inveniemi.

In jejuniis vero Regulam nos optime sequi credimus. Quod si non creditis, exponimus. A Pentecoste usque ad Idus Septembris, sicut ipsi opposuistis, quarta quidem et sexta feria usque ad

A Nonam jejulare præcipimur (51); et aliis diebus ad Sextam prandere. Hanc tamen prandii Sextam continuandam dicit si necessarium fuerit, et in abbatis ponit providentia, ut sic omnia temperet, atque disponat, qualiter et animæ salventur, et quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. Et quia horam illam refectionis sicut cæteris diebus, ita quoque duabus illis feriis continuandam dicit, hoc est, ad Sextam posse fratres ex necessitate comedere, quia hoc in abbatis providentia ponit, quia sic omnia abbatem temperare atque disponere præcipit, ut animæ salventur, quia ut fratres absque ulla murmuratione faciant, quod faciunt, providetur, cum a Pentecoste usque ad Idus Septembris omnem feriam ad Sextam ex præcepto abbatis comedendo continuamus, nil nos offendere credimus, neque a Regulæ statutis deviare existimamus. Ab Idibus autem Septembris usque ad caput Quadragesimæ, secundum Regulam ad Nonam semper reficimus; diebus Dominicis propter universalis Ecclesiæ decreta, et quibusdam duodecim lectionum solemnitatibus exceptis. Dies autem Dominicos etiam apud vos observari audivimus. Quia si nos in jam dictis festivitibus bis comedendo peccavimus, quoniam id Regula non permittit, peccatis nihilominus et vos, qui diebus Dominicis bis comeditis, quoniam nec ipsos a serie jejunii in Regula invenimus exceptos. Si vero honore Domini Dominicis diebus jejunia solventes juste agitis, et nos Domini et servorum ejus honore, bis in eorum solemnibus comedentes nihilominus juste agimus.

De opere manuum, quod superioribus capitulis adjunxistis, sufficientissimas habemus rationes: quæ et vestra objecta prorsus invalida demonstrantes, ea longe propellant, et quæ apud nos geruntur, approbent et manu teneant. Et ut hoc apertissime pateat, videamus non tantum quid de opere manuum Regula præcipiat, sed etiam quare illud præcipiat. *Otiositas, ait, inimica est animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum: certis iterum horis in lectione divina*. Ecce audistis quia operari jubet: animadvertite, ut diximus, ob quid jubeat. Otiositatem esse inimicam animæ prædicat et ideo ne animæ, cui inimica cognoscitur, nocere valeat, tam lectione quam manuum labore eam excludere satagit. Dicite ergo: Si aliis bonorum operum exercitiis idem potest fieri, non videtur vobis bene Regula servari? Si, inquam, aliis bonis operibus (nam multa alia bona opera præter opus manuum possunt inveniri) occupare semper totius diei spatium monachi possunt, cum ad hoc tantum ne otiosi sint operari præcipiantur, nonne illa agentes a prævaricatione Regulæ omnino alieni perma-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(50) *Opponitis deinde nos contra Regulam plusquam tertio fugitivos suscipere. De fugitivis recipiendis, præter textum Regulæ, qui legitur cap. 29, exstat et caput integrum in lib. Consuetudinum Cluniacensium.*

(51) *Quarta et sexta feria usque ad Nonam jejulare præcipimur. Additio 4 ad capitul. cap. 18: Ut quarta et sexta feria jejunantes ante Nonam, aut post Nonam, si necessitas fuerit, juxta prioris arbitrium levia opera exerceant.*

nent? Plane ita, certe ita, velint nolint adversarii. Quocunque bono exercitio, otiositate fugata, Regula custoditur, nemo hæc agentium juste transgressor dicitur, calumnia illata longe rejicitur. Nisi autem essent opera præter rusticationem Deo acceptabilia, nequaquam Judæis diceret Dominus : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (Joan. vi). Si sane corporalia opera spiritualibus exercitiis præferrentur, nequaquam Maria ad pedes Domini sedere, et verba ejus indesinenter audire a cæteris operibus otiosa elegisset, nequaquam sororem suam solam ministrare permisisset, nequaquam Dominus eam optimam partem elegisse dixisset (Luc. x). Ergo si orando, legendo, psallendo, injuncta religiose implendo, vel alia quælibet hujusmodi bona agendo animus occupatur. Regula, ut diximus, perfectè servatur, quoniam hæc operando, monachus non otiosus, sed bene negotiosus in omnibus comprobatur. Et ut aliquod supponamus exemplum, discipulum ipsius beati Benedicti sanctum Maurum, ad has Galliarum partes pro construendis secundum ipsius doctrinam cœnobiis ab ipso directum, legimus hunc morem in monasterio quod in Andegavensi episcopatu construxerat (52), tenuisse, ut quia eis sine proprio labore cuncta necessaria suppeditabant, omisso manuum opere spiritualibus, ut diximus, exercitiis exercitati, otiosi non essent, sicque sibi nuper a sancto traditam Regulam, bona semper operando, optime conservarent. Quod si se beatus Maurus contra professionis suæ votum agere intellexisset, cum in intellectu hujusce rei nullo modo falli potuisset, nequaquam sic suos vivere permisisset. Qui etiam si voti prævaricator esse non vereretur, et operari manibus, vel resolutione nollet, vel fastu dedignaretur, nec Deus pro ipso tam mira et multiplicia opera operari, nec ipsis mortuis ejus precibus vitam reddere dignaretur. Hinc ad sequens capitulum, cui non esset respondendum, quia nec esset opponendum, veniamus : et inde nos maxime transgressores, ne Cistercienses offendantur, cognoscamus. Sed dicite, qui hæc oppo-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(52) *In monasterio quod in Andegavensi episcopatu construxerat.* Glannafolium scilicet, ubi sanctus ipse Maurus obiit anno Christi 582 post regiminis annos 40 : Unde et *monasterium Sancti Mauri in Glannafolio* dicitur a scriptore Chronici Cassinensis, cap. 67 libri iv. De eoque refert Odo Fossatensis monachus libro i Miraculorum beati Mauri, cap. 5 : quod « Rorigo venerabilis comes, ne per succedentia tempora, habitatorum forte negligentia, a rectitudine regularis tramitis exorbitaret, præceptum imperialis edicti a serenissimo imperatore Ludovico ex sacro promeruit scripto, quatenus rectores Fossatensis monasterii, semper providentiam de eodem loco habentes, instantiam sollicitudinis suæ tam loco quam congregationi vigilantia cura in omnibus adhiberent, tales videlicet suæ congregationis eis magistros et præpositos ordinando fratres, quorum nutu et regimine cuncta illic perficienda, et interius et exterius studiose disponerent. » Verum et ipsis Fossatensibus in hac administratione non bene se gerentibus, tandem Urbanus II papa, sicut est in præfato Chronico Cassin. cap. 48, lib. ix : « pro

nitentis, utrum ludo, an serio hoc dicatis. Nam si ludo, frater a fratre deludi non debuit. Si serio, insulsa interrogatio deberet magis silentio contemni, nisi putaretur ei non posse responderi.

Objicitur nobis, cur omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus, tam abbas, quam cuncta congregatio in terra non prosternitur, vel cunctorum in conspectu omnium hospitum capita non inclinantur, cur aquam in manibus abbas hospitibus non dat, cur pedes hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio non lavat. Affirmatur ab objectoribus monachos salute fraudatos, nisi hæc ut sonuerunt, servare voluerint. Et, o homines puerorum more papiliones sequentes, pugnantes, sed non nos, sed aerem verberantes, inania opponentes, discretionis matris virtutum semitam non sequentes et ideo a rectitudine itineris deviantes, dicite, quæsumus : Voti prævaricatrix, et idcirco æterna salute defraudata judicabitur Cluniacensis, seu alia quælibet congregatio, nisi omnibus advenientibus vel discedentibus hospitibus cum abbate suo inclinaverit, aut ante eos prostrata jacuerit? Damnabitur, nisi pedes et manus hospitibus omnibus laverit? Oportebit igitur, aut conventum in domo hospitum assidue morari, aut hospites in claustris, et fratrum officinis hospitari. Neque enim aliter injuncta poterunt implere, nisi simul detur et manere. Assiduitas quippe advenientium assiduitatem expetet ministrantium. Unde fiet ut quos monachos esse vultis, jam monachi esse non possint, et cum sæcularibus commanentes, nomen monachi et vitam amittant; et dum hoc unum Regulæ mandatum indiscrete servare contenderint, cætera deserant, nec istud etiam obtineant. Sic plane, sic continget, sic eveniet clericis, militibus, rusticis, clientibus, mimis, et diversarum qualitatum hominibus, ipsis quoque, quæ ab hospitali charitate non excluduntur, mulieribus monachi cohabitabunt : et illi singulares, illi mundo mortui, illi, quibus nec ipse communis aeris usus libere hauriri permittebatur, communi hominum conversationi quam reliquerant, iterum commiscebuntur.

negotiiis ecclesiasticis in Gallias ingressus, » in Turonensi concilio, ubi « ipse præsidebat, monasterium Sancti Mauri in Glannafolio a Fossatensium monachorum abstractum tyrannide, pristinae dignitati libertatique restituit ; sub magisterio tantum Cassinensis cœnobii perpetuo mansurum. » Postea Calixtus II, « rogatus a cardinalibus, inquit idem Chronicon, cap. 66 : qui secum advenerant in Gallias, et monachis, et ab abbate Girardo, ejusdem confessoris Christi Mauri ecclesiam solemniter dedicavit. In qua etiam corpora sanctorum Antonii et Constantiniani, qui de Casinensi cœnobio ad Gallias cum beato Mauro perrexerant, cum maxima reverentia posuit. » Ac denique « dum possessiones illius monasterii a quibusdam diriperentur, Germaniæ episcopis scripsit, ut direptas restituendas curarent. » Et eo etiam prædictus Girardus Cassinensis abbas « concessit fratrum vestiario ecclesias Sanctæ Mariæ de Casaliplano, Sancti Benedicti in Peñinari, Sancti Nicolai in Castro, et Sancti Martini, cum omnibus pertinentiis ipsarum ecclesiarum. »

Tanta certe est advenientium fere semper frequentia, ut si omnibus inclinare, vel ante omnes prosterni oporteat, si omnibus manus et pedes abluere, expediat, cum eis ab ortu solis usque ad occasum, ut diximus, fratres omnes esse necessarium sit, et tam in metancæis quam in ablutione manuum et pedum totam diem expendere (55), cum nec multoties ad id operis per omne diei spatium valeant sufficere. Cessent igitur ab omni divino officio, cessent a servandis reliquis Regulæ decretis, cessent ab ipsa refectione corporea non Primam, non Tertiam, non Sextam, non Nonam, non denique Vesperas, non Completorium, non Missas celebrare curent. Hæc omnia pro manuum et pedum ablutione dimittant, et vel muta sit Ecclesia, vel quærantur qui fratrum in his omnibus suppleant vicem. Nonne hæc ridicula videntur? Nonne talia ipsi insensati detestarentur? Nonne hæc non debere fieri, ipsa bruta animalia vociferarentur? Facimus tamen quod possumus, et per totius anni spatium unaquaque die tribus peregrinis hospitibus manus et pedes abluimus, panem cum vino offerimus, abbate in ordine suo id faciente, nullisque, nisi infirmis, qui hæc implere non valet, exceptis. Sic de Regula quod valemus, implemus, ne reliquistorum causa dimittimus. Oportet enim, ut Dominus ait, et ista facere, et illa non omittere (*Luc. xi*). Et quoniam ipsa ratio, etiam nobis tacentibus, clamat et objecta vestra longe projicit, oportet ut ad illa quæ superius posuimus, recurramus, et inde a nobis Regulam integre conservari probemus. Sic, inquit beatus Benedictus, *abbas omnia temperet atque disponat, ut animæ salventur*. Omnia dixit, nihil excepit. Si igitur pro salute animarum, licet abbati omnia temperare atque disponere, licuit hæc quæ dicta sunt sic temperare, ut et hospitibus nulla necessaria deessent, atque honorifice, charitative et diligentissime susciperentur, et procurarentur, neque ecclesia Dei propriis officiis defraudaretur, aut regularis observantia, vel ad modicum, intermitteretur.

Quia brevem ferramentorum et rerum monasterii abbas non habet (54), eum vel superbum, vel negli-

gentem dicitis. Et quare alio in loco legitur: *Decani tales eligantur* (55), in quibus securus abbas partiatur onera sua? Non potest, inquam, abbas onera sua aliis imponere, et quod per se multis et diversis implicatus negotiis facere non valet, per vicarios implere? Et quare illud hic ei denegatur quod alibi conceditur? De significanda quippe hora operis Dei loquens, ait: *Significanda hora operis Dei, die noctuque sit cura abbati, aut ipse nuntiare, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam, qui aptus sit*. Quod igitur, ut diximus, hic et ubique illi ex necessitate conceditur, cur in jam dicto capitulo negabitur? Novimus certe episcopos sine presbyteris et coadjutoribus esse posse, si soli ad cuncta diocesis suæ utilia potuissent sufficere. Sic et abbatem, cellararium, et infirmarium, et eleemosynarium, custodem hospitum, et pro cæteris officiorum ministris solum esse oporteret, si sufficere ad omnia tenenda valeret. Sed quia unum ad universa dispartiri negotia, aut impossibile, aut multum difficile est, plures expedit facere quod unus non valet implere. Hinc Jethro culpans Moysen de talibus, ait: *Elige tibi viros, quos nosti ad hoc utiles esse, et esto tu populo in his quæ ad Deum sunt; illisque leviora permittens, graviora, quæ per alios diffiniri non poterunt, tu diffini* (*Exod. xviii*). Credidit Moyses sapienti, et sic fecit. Hoc imitar, et nostros Patres convenit, et ferramenta vel quaslibet res monasterii numerandas, sive conservandas fratribus ad hoc utilibus, quando sibi non vacat, committere. Bene ergo sic intellecta

Regula servatur

De genuflexionibus regularium horarum quidquid Regula jubet, omnimodis custodimus, et antequam Horam decantare incipiamus, ubicunque sinus cum timore divino genua flectimus. Prohibet hoc aliquando nimius imber, condensa nix, lutulenta tellus: et tunc loco metancæ, Psalmum, *Miserere mei, Deus* (*Psal. l*), decantamus; et tali commutatione, præceptum quod implere non possumus, recompensamus.

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(55) *Et tam in metancæis quam in ablutionem manuum et pedum totam diem expendere*. Vir clarissimus Nicolaus Faber Ludovici XIII regis Christianissimi præceptor, sequenti nota locum hunc illustravit. Metancæam, inquit, pro genuflexione ponit hic, et infra pag. seq. « tunc loco metancæ Psalmum decantamus. » Et in correctione Regulæ Cluniacensium nondum edita, cap. *De genuflexionibus*, cum inquit: « Sed et illa quæ fieri solet » genuflexio, « ab iis qui portant eucharistiam occurrunt quolibet loco, atque illis metancæis, quæ quotidiano usu in capitulo fiunt, et vulgo veniæ nominantur. » Ita etiam Græcos *παράνοιας* vocabulum usurpare adnotavit Anastasius Bibliothecarius in synodum vii, a se versam. Et in ea significatione accipitur initio missæ Chrysostomi editæ Romæ.

(54) *Quia brevem ferramentorum et rerum monasterii abbas non habet*. Brevis, vel breve, quod Græci *πύργιον* et *βρεβιον* dicunt, est album, sive registrum in quo aliquid describitur. Sic capitul. lib. iii, cap. 82. « Ut non solum beneficia episcoporum,

vel abbatum, abbatissarum atque comitum, sive vassorum nostrorum, sed etiam fisci nostri, describantur in breve. » Et qui Cisterciensibus objectionis hujus adversus Cluniacenses faciendæ ansam præbuit, S. ipse Benedictus cap. 32 Regulæ, « Substantiæ monasterii in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus, provideat abbas fratres, de quorum vita et moribus securus sit, et eis singula ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda, ex quibus abbas breve teneat. » Quem locum Cassinenses sic explicant: « Quilibet officialis intra mensem, a die publicationis suæ faciat inventarium de rebus monasterii quæ pertinent ad suum officium. Et prælatus habeat apud se inventarium universale omnium rerum tam mobilium quam immobilium monasterii ne perdantur. » Inde *brevet* et *bref*.

(55) *Decani tales eligantur*. De quibus et Additio I ad capitul. cap. 55: « Ut senior decanus reliquis decanis præponatur, et abbate vel præposito præsentem locum proprium teneat. »

Mensam abbatis nostri, juxta Regulam, cum pauperibus et peregrinis non esse causamini (56); sed juste inde arguimini. Est quippe cum hospitibus semper et peregrinis. Quoscunque enim abbas substantia monasterii relinquit, nonne mensæ propriæ participes facit? Et certe per Dei gratiam, omnibus pauperibus, omnibus hospitibus sufficiens apud nos pro posse charitas exhibetur, et unicuique congruus honor defertur. Quod si isto modo impleri a nobis Regula secundum vos minime potest, et hoc esse mandatum, ut cum abbate manducent, affirmatur; fit et istud quandoque de honestis personis. Nam indecens credimus ut, præsentem conventum, quarumlibet personarum; non cunctis placitura, incongruentia indiscrete introducatur, et ipsis forte bonis inde scandalum oriatur. Si vero opponitis non in conventu, sed extra conventum mensæ abbatis hospites sociari debere, respondemus hac occasione abbates a fratribus olim se sequestrare solere, et, sub prætextu hospitum, lautioribus sibi et familiaribus epulis indulgere, neque de ovium suarum pastu curare. Et, secundum prophetam (quod salvo mystico intellectu dicimus), quod crassum videbant assumebant, et quod debile erat projiciebant. Et cum limpidissimam aquam biberent, reliquam pedibus suis conturbabant, et gregem Domini turbida et cœnosa aqua potabant (*Ezech. xxiii*), hoc est, sibi optime providentes, de cæteris non curabant. Qui quoniam bono præcepto male abutebantur, novo ulceri novum emplastrum superponendum fuit, et præceptum quod aliquando salubre fuerat, salubriore consilio commutandum. Eapropter ut vitium de virtute ortum rursum virtute exstingueretur, cum de communi mensa ad singularem regulam transmississet, iterum de singulari ad communem regulam rationis et charitatis adduxit [reduxit]. Unde et abbates nostri, nisi infirmitas obstiterit, nobiscum semper comedunt, et aliquando cum hospitibus, quando tales adsunt, aliquando sine illis, a communi tamen mensa nunquam vel raro discedunt, hospitibus autem et peregrinis nihil deesse patiuntur. His de causis nos contra beati Benedicti statuta nil agere credimus, qui pro tempore et personis, ut sæpe jam diximus, hujusmodi mandata abbati commutanda permisit.

Sequentis capituli, quod proposuistis, facilis et congrua patet responsio. Ubicumque enim sibi obviant fratres, junior a priore benedictionem petit, *Benedicite*, dicendo, si extra regularia loca fuerit, et humiliter inclinando; sed nihil orè proferendo, si infra officinas regulares sibi occurrerit. Quod si semper loquendo hanc peti debere dicitis, videant discreti utrum superflue locutioni utile silentium

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(56) *Mensam abbatis nostri juxta Regulam cum pauperibus et peregrinis non esse causamini.* S. Benedictus, cap. 56: « Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. »

A imponi, an supponi debeat. Superfluum vero idcirco dicimus, quia ad id quod æque bene silentio potest fieri, linguam non esse necessariam, et ideo superfluum [superfluum] existimamus, maxime cum nullius sermonis propter hanc salutationem proferendi in Regula facta fuerit mentio. Sed et si hoc, prout vultis, indifferenter concederetur, forte ab aliquibus non plene maturitate fundatis, inania pro utilibus, ludicra pro seriis, maledictiones pro benedictionibus proferrentur. Hoc ne contingat, censura silentii prohibemus: unde his servatis rationibus, a Regula non deviamus.

B Ad portam monasterii senem sapientem poni dicitis Regulam præcepisse (57), nec nos hoc facere. Nos autem dicimus: Si portarius noster sapiens fuerit, senex autem non fuerit, prævaricatae Regulæ rei, et ob hoc inferno digni judicabimur? Quid si et senectutem et sapientiam in eadem persona invenire nequiverimus? An hac de causa nisi et senex ætate et sapiens moribus, ad portam monasterii non ponetur? Et quid est quod Scriptura dicit: *Canis sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata?* (*Sap. iii.*) Super hæc nisi pulsantibus et clamantibus idem portarius Deo gratias responderit, aut benedictionem vociferatus fuerit, etiam si cuncta alia humanitatis officia advenientibus exhibuerit, tamen secundum vos nihil proderit, nec etiam universa Regula optime in aliis conservata, nisi jam dictus ostiarius Deo gratias celsa voce insonuerit, sufficere poterit ad salutem. Hoc videat ratio, videat veritas, videant veritatis amatores, et nobis tacentibus quod inde sentiunt proferant. Nos autem ad portam portarium cur poneremus, qui nec portam habemus? Portæ quippe nostræ non clauduntur per diem, sed assidue patentes sine personæ discretionem introitum advenientibus præbent. Nec necesse est aliquem pulsare, nec necesse est aliquem clamare, quia non tantum murorum aditum, sed etiam hospitii introitum apertum invenit, et illico recumbens universa parata reperit. Ne cogantur vero fratres extra domos proprias manere, sapientem et honestum famulum juxta manere et jacere facimus, qui meridianis horis, sive illis quibus ostia cuncta monasterii ex consuetudine clauduntur, pulsantibus vel clamantibus, non tantum vocis clamore, quantum obsequii exhibitione respondeat. Sic certe, sic agendo, non prævaricatores, sed, pro posse nostro, Regulæ conservatores existimus.

Nunc tandem, nunc ad illa veniamus, quæ cum tanta admiratione protulistis, quæ omni rationi et auctoritati contraria esse dixistis. Illa discutiamus quibus inevitabili periculo nobis acquiescentes dicitis cinctos, ut ad quamcunque patrem se verterint,

(57) *Ad portam monasterii senem sapientem poni dicitis Regulam præcepisse.* Regulæ verba sunt hæc, cap. 66: « Ad portam monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere, cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere juxta portam, » etc.

prævaricatores non esse non possint. Hoc certe de illis dicitis qui post semel promissam alibi stabilitatem, conversionem morum atque obedientium rursus alio in loco stabilitatem, rursus conversionem morum, rursus obedientiam sub alio abbate promittunt, atque priorem fidem irritam, quantum in ipsis est, faciunt. His nos subjungimus: Cum pro Regula vos agere dicatis, quare contra eam vos esse monstratis? Et quam nos non tenere arguitis, quare nos ab ipsius tramite sequendo repellitis? Sic enim legimus, ubi, de monachis peregrinis, qualiter suscipiantur tractatur: *Si vero postea, inquit, voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas.* Ecce quem ante, utpote monachum, certum erat stabilitatem suam alibi firmasse, si rursus firmare alio in loco voluerit, non prohibetur: quin potius, ne talis voluntas renuatur præcipitur. Quem si reatu desertæ primæ professionis teneri cognovisset, certum est quia hoc minime laudasset: certum, quia nullo modo permisisset; certum, quia omnimodis prohibuisset. Neque vero tantum virum, tantâ scientiâ, spiritu quoque prophetiæ ita repletum, ut vix eum aliquid latere posset, in tali tantaque re culpa latere potuisset. Nam cui occulta manifesta erant, manifesta occulta fieri minime potuerunt? Quod si stabilitatem firmare monacho peregrino conceditur, ut in loco quem elegit stabilem se semper esse oportere intelligat, nec ultra inde sibi licere evagari, nihilominus Patri monasterii obedientiam illum promittere expedit, ut habeat cui loco Christi obedire debeat. Conversionem vero morum rursus polliceri quid oberit, cum non tantum bis in professione, sed etiam milies in confessione, tam Deo quam hominibus, quotidie morum conversionem et vitæ emendationem cum præteritorum malorum poenitentia promittere debeat? Si vero stabilitatem, conversionem morum et obedientiam ei post primam promittere licet, licet et professionem facere. Nam quid aliud in professione quam stabilitas, conversio morum et obedientia a monacho promittitur? Quod si hoc monacho peregrino non negatur, quare non omni legitime venienti concedetur? Sed neque timendum ne secunda professione prioris prævaricator judicetur quoniam non diversum, sed idem quod prius promittit. Si enim aliquid priori voto contrarium, aut minus continens Deo promitteret, sine dubio reus existeret. At quoniam idem quod prius promittit, ut diximus, in nullo delinquit, videat tantum ut quod se facturum Deo respondet implere omnimodis satagat. Sed forte opponitis: Quomodo secundam professionem omnem monachum posse facere, et conversionem morum atque obedientiam secundo posse promittere affirmatis, cum non reliqua, sed

solam stabilitatem firmandam, et non ab omnibus monachis, sed a solis peregrinis monachis Regula dicat? Ad quod nos: Quod a peregrinis monachis stabilitas firmari possit, ut ipsi cognoscitis, Regulæ auctoritate probatur. Quod vero ab omnibus aliis monachis, non tantum stabilitas, sed et conversio morum atque obedientia, hoc est integra professio iterum fieri possit, sumpta ex ipsius Regulæ verbis ratione probamus. Nam scilicet, juxta Regulam, secundo stabilitatem firmare licet, juxta rationem, secundo conversionem morum atque obedientiam promittere. Quod si prævaricatur qui conversionem morum et obedientiam secundo promittit, prævaricatur nihilominus qui secundo stabilitatem firmat. Nam si sequens votum priore quassatur, non in parte, sed in toto quassabitur. Si, inquam, conversionem morum, et obedientiam monachus secundo promittere non debet, quoniam idem alteri jam ante promisit, nec stabilitatem secundo firmare potest, quoniam jam ante se stabilem fore alio in loco firmavit. Sed certum est justum esse quod de stabilitate firmanda Regula mandat. Justum est igitur, quando monasteriis ad monasteria legitime venientes, cum stabilitate etiam conversionem morum et obedientiam, coram ipsorum cœnobiorum abbatibus profitentur. Sed et si recte peregrinis monachis hoc agere conceditur, non recte cæteris omnibus cum abbatum priorum concessione venientibus negabitur.

Cur autem noti monasterii monachos sine proprii abbatis permissione, aut litteris commendatiis suscipiamus (58), aut quam inde rationem prætendamus quæritis, atque nos in hujusmodi re contra charitatem fraternam agere dicitis. Nos vero sicut defendimus ea quæ recta putamus, sic nunquam excusandas excusationes in peccatis assumere volumus. Scimus namque non debere aliquem alicujus monachum, absque ejus permissione, suscipere, quandiu, ut verus pater filio et ut bonus pastor ovi propriæ, cunctatam animæ quam corpori necessaria, ea scilicet sine quibus nec anima salvari nec corpus potest sustentari, providerit. Quod si horum aliquod defuerit, licet fratri, etiam invito abbate, locum sibi tam inutilem, imo tam noxium et perniciosum deserere, atque suæ animæ interitum modis omnibus declinare, locumque alium in quo hoc quod prius non poterat implere possit quærere. Si enim oculus eruendus, si manus vel pes abscedendus est (*Matth. xviii*), si pater, mater, uxor, filii fratres et sorores sunt odiendi ne Christus amittatur (*Luc. xiv*), nihil plane relictum est, cui non debeat salus animarum præponi. Neque enim voti, vel professionis transgressor dici monachus potest, si loco qui votum implere non sinebat dimisso, ad

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(58) *Cur autem noti monasterii monachos sine proprii abbatis permissione suscipiamus.* Hinc et Goffridus abbas Vindocinensis Pontio Cluniacensi abbati scribens, conqueritur illum quemdam monachum suum Petrum, Goscelini nomine, ad se venientem

retinuisse, cum hoc sancti Benedicti Regula omnino contradicat. Epist. 2 lib. iv, quæ et integra Bibliothecæ huic inserta est. Qualis etiam argumenti est epistola prima sancti Bernardi ad Robertum nepotem suam, qui de Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat.

eum in quo votum persolvere queat transmigrat, ut cum Propheta dicere valeat: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* (Psal. LXV). Arguendus potius esset et dignus morte judicandus, si tantæ rei dispendium parvipendens, mortem suam stulta patientia sustineret. Hanc Ecclesia Cluniacensis ab apostolica sede concessionem retinet, taliter ad se venientes recipere (59): quod tamen non ut privatum, aut singulare, sed velut omnibus commune et licitum obtinet. Ita quippe venientes non solum illa Ecclesia, sed et universa Christi cœnobia suscipere, retinere atque fovere debent.

His additis et multa invectione extollitis, dicendo quod proprium episcopum habere refugimus. Nos vero respondemus istud veritati contrarium opposita fronte existere, quoniam patet nos proprium episcopum habere. Quis enim rector, quis verior, quis dignior Romano episcopo episcopus potest inveniri? Nonne ille est quem cæteris præesse non humana, sed divina auctoritas sanxit? Nonne ille

ANDRÆ CHESNI NOTÆ.

(59) *Ecclesia Cluniacensis ab apostolica sede concessionem retinet, taliter ad se venientes recipere.* Alexander II papa in diplomate ad sanctum Hugonem abbatem Clun.: « Decernimus etiam, inquit, et illius, cujus vice, quamvis indigni, fungimur, auctoritate sancimus, ut isdem locus omnibus ad se ob salutem confugientibus sit misericordiæ sinus, sit totius pietatis et salutis portus. Obtineat in eo locum justus, nec repellatur poenitere volens iniquus. Præbeatur innocentibus charitas mutuae fraternitatis, nec negetur offensis spes salutis et indulgentia pietatis. Et si aliquis eundem locum expectierit suæ humilitatis et salutis gratia, minime a venia et optata misericordia excludatur, sed oleo medicamenti salutaris fovendus benigniter colligatur, quia et justum sic est ut in domo pietatis et justo præbeatur dilectio sanctæ fraternitatis, et ad veniam confugiendi peccatori non negetur medicamentum indulgentiæ et salutis. Sit autem omnibus ibi advenientibus causa salutis, hic et in perpetuum divinæ miserationis et pietatis refugium, et apostolicæ benedictionis et absolutionis præsidium. » Et Urbanus II: « Hanc etiam vobis prærogativam concedimus, ut quisquis ad vos alieni monasterii monachus pro vitæ melioratione transierit, licenter recipiatur, remotis prioris loci querimoniis, ut largiente Domino, salutis quam quærere videtur, apud vos potiatur effectu. Clericos quoque regulares, quos canonicos vocant, qui vel in locis suis salvari non possunt, vel pro necessitatibus ad loca vestra confugiunt, suscipiendi, et vestrum propositum admittendi licentiam impertimur. »

(60) *A fundatoribus qui eam in proprio alodio construxerunt.* Guillelmus scilicet Aquitanorum dux, et Ingelberga ejus uxor, de quibus ad ipsas foundationis tabulas jam egimus.

(61) *Atque soli Romano pontifici in æternum subjacere decernentes pluribus hoc privilegiis confirmarunt.* Quod et nos etiam alibi fuse docuimus, et hoc adhuc Gregorii VII papæ-rescriptum clarius ac manifestius demonstrat.

Exemptio monasterii Cluniacensis, a Gregorio VII papa sancita Romæ anno 1077.

« Domnus ac beatissimus papa Gregorius VII, anno pontificatus sui VII, in basilica Lateranensi, quæ et Constantiniana dicitur in honore Salvatoris et beati Joannis Baptistæ, concilium generale celebrans, indicto cunctis silentio surrexit, et dixit:

A est, cui dictum est: *Tu conversus, confirma fratres tuos?* (Luc. xxii.) Nonne ille est cui dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum? Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum in cælis?* (Matth. xvi.) Hunc unum solum et maximum nos habere episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus: ab hec solo, si causa (quod absit!) exigeret, interdici, suspendi atque excommunicari possemus. Hoc ipsius sanctæ sedis irrefragabilis sanxit auctoritas: nec unius tantum, sed multorum decreta inde apud nostram matricem Ecclesiam conservantur. Hæc ipsi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacensem ecclesiam alteri episcopo prius eam possidenti auferrent, sed B a fundatoribus, qui eam in proprio alodio construxerant (60) rogati, in propriam retinuerunt, atque soli Romano pontifici eam in æternum subjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt (61). Præcepto vero ipsius, quoniam ab ipso utpote

Noveritis, fratres et consacerdotes nostri, imo tota hæc sancta synodus cognoscat et sciat, quia cum ultra montes multa sint monasteria ad honorem Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli nobiliter et religiose fundata, inter omnia quoddam illis in partibus habetur, quod quasi peculiare et proprium beato Petro et huic Ecclesiæ speciali jure adheret, Cluniacense videlicet, ad honorem et tutelam hujus sanctæ et apostolicæ sedis ab ipsis primordiis principaliter assignatum, et favente divina clementiâ sub religiosis et sanctis abbatibus ad id usque dignitatis et religionis pervenit, ut cæteris monasteriis, quamvis multis antiquioribus, quantum ipse cognosco, in Dei servitio et spirituali fervore præcellat, et nullum in terra illa, quod ego sciam, huic omnino valeat adæquari. Nullus enim abbas unquam ibi fuit qui sanctus non fuisset. Quin abbates et monachi hujus semper Ecclesiæ filii nullomodo degeneres exstiterunt, nec curvaverunt genua sua ante Baal et Baalim; nec Jeroboam, sed hujus sanctæ Romanæ sedis libertatem dignitatemque imitantes, quam ab origine traxerunt, nobiliter sibi per successionis seriem auctoritatem servaverunt. Non enim alicui unquam alienæ vel terrenæ potestati colla subdiderunt, in sola beati Petri et hujus Ecclesiæ subjectione defensioneque permanentes. Et idcirco volumus, atque apostolica auctoritate firmamus et contradicimus, ut nulla unquam persona, parva vel magna, sive potestas aliqua, non archiepiscopus, non episcopus, nullus regum, ducum, marchionum, principum, comitum, nec etiam aliquis legatus meus supra illum locum et monasterium unquam buccam suam aperiat, aliquamve exerceat potestatem. Verum juxta tenorem privilegii nostri, et antecessorum nostrorum auctoritatem, et libertatis immunitatem sibi ab hac sede concessam integram perpetuamque omnino possideat, et tantummodo sub alis apostolicis ab omni æstu et turbine impugnationis respiret, et in gremio hujus sanctæ matris Ecclesiæ, ad honorem omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli in perpetuum dulcissime quiescat. Et ita vertens se domnus papa ad dexteram partem synodalis conventus, percunctatus eos dicens: Placet ita vobis? laudatis? Responderunt: Placet, laudamus. Vertens se iterum in sinistrum eodem modo interrogavit. Eodem quoque modo responsum est a sancto conventu: Placet, laudamus. Post hæc verba stando in throno pontificali perorata domnus papa sedit. »

nimum remoto non valemus: a quolibet Catholico episcopo chrisma (62), oleum, sacros ordines (63), ecclesiarum et cœmeteriorum consecrationes (64), et cætera his similia suscipimus, atque apostolicæ sedi, cui non obedire nefas est, in his et in omnibus obedimus: et ideo nec monachorum, nec Christianorum regulam (quod nos facere dixistis) infringimus. Si autem adhuc perstatis et nos male agere jactatis, illum quem obtendimus impetite, et nobis dimissis de his cum ipso agite. Nos enim quia contraire non debemus, obedire volumus, nec de ejus unquam (quod nulli mortalium licitum est) iudicio iudicare. Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed et quampluribus datum cernimus; et longe ante Cluniacum conditam, multis aliis monasteriis ab eadem apostolica sede concessum videmus. Cujus sedis præ-

A in Dei servitio gratia illius suffragante, mente libera perseverent. Missas quoque publicas in cœnobio fieri omnimodo prohibemus, ne in Dei servorum recessibus, et eorum receptaculis, ulla popularis præbeatur occasio conventus, quia non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi episcopus cathedram collocare, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam, faciendi, nisi ab abbate fuerit rogatus, quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, ut, remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant. Item ipse alibi: Visitandi exhortandique gratia ad monasterium quoties placuerit, ab antistite civitatis accedatur. Sed sic charitatis officium illic impleat episcopus, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Sed et alio in loco: Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere et de eorum perpetua securitate tractare, antea nos officium, quod in cœnobii regimine exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse cognoscimus, oportet ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis, in Dei servitio, gratia illius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est, consuetudine, quisque monachis quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc, quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate beati Petri apostolorum principis

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(62) A quolibet Catholico episcopo chrisma. Paschalis II in litteris Pontio abbati Clun. scriptis, *Chrisma vero, inquit, si opportunitas exegerit, in vestro faciatis monasterio consecrari, vel a quibus volueritis episcopis accipietis.*

(63) Sacros ordines. Urbanus II ad Hugonem: « Decrevimus ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotes in eodem venerabili cœnobio, neque omnino in aliquo loco huic subdito pro aliqua ordinatione seu consecratione presbyterorum vel diaconorum, missarumve celebratione, nisi ab abbate ejus cœnobii vel prioribus eidem cœnobio subditis invitatus fuerit, venire ad agendum præsumat. Sed liceat monachis tuis ubicunque positus cujuscunque voluerint ordinationis gradum suscipere ubicunque tibi et illis vestrisque successoribus placuerit. » Et Paschalis itidem II: « Illud etiam libertatis Cluniacensi cœnobio firmum haberi sancimus, ut vestri monasterii monachi, qui ad sacros sunt ordines promovendi, a quibus malueritis episcopis promoveantur. » Imo, quæ prærogativa major adhuc est, Urbanus et ipse papa, quintus nomine, Simoni abbati Clun. et ejus successoribus primam clericalem tonsuram conferendi privilegium concessit anno pontificatus sui quinto, qui fuit Christi 1066 hoc diplomate. « Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Simoni abbati monasterii Clun. ad Rom. Ecclesiam nullo medio pertinentis, Matisco-

con. diœcesis prærogativam et honores respiciunt, favorabiliter [annuamus]. Hinc est quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu et successores tui abbates dicti monasterii, qui erunt pro tempore, tam in eodem monasterio quam in prioratibus et ecclesiis, sive locis tibi et eidem monasterio immediate subjectis, infra metas tamen exemptionis monasterii ejusdem consistentibus, omnibus et singulis scholaribus volentibus clericali caractere insigniri, qui de locis hujusmodi oriundi fuerint; primam tonsuram clericalem conferre valeatis, constitutionibus apostolicis, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, tibi et eidem successoribus auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis etiam hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Avinione Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno quinto. »

(64) Ecclesiarum et cœmeteriorum consecrationes. Calixtus II ad Pontium. « Ecclesiarum vestrarum consecrationes, si diœcesani episcopi gratis voluerint exhibere, a quolibet Catholico suscipietis episcopo. » Et Honorius etiam II ad Petrum ipsum Venerabilem, « Ecclesiarum vero seu altarium consecrationes ab episcopis, in quorum diœcesibus sunt, locorum vestrorum fratres accipiant: si quidem gratis ac sine pravitate voluerint exhibere. Alioquin a Catholico quem malueritis episcopo consecrationum ipsarum sacramenta suscipiant. »

prohibemus, *cujus vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, ut nullus episcoporum aut sæcularium ultra præsumat de redditibus, vel rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocunque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere.* Si ergo illis hac de causa licuit quod in anterioribus canonibus non inveniebatur sancire, plane et istis licitum fuit eadem ratione ea de quibus nos impetit decernere et constituere, ut sicut illi ex parte, ita isti ex toto, quia sic expedire videbant, monachos ab episcoporum oppressionibus liberarent. Nam quidquid potestatis vetustissimi et primi obtinuerunt, id totum in recentissimos et novissimos transfuderunt. Quod igitur Ecclesia Dei tantis temporibus sub tot et tantis Patribus ratum habuisse cognoscitur, irritum fieri debere quis judicare audeat, nisi qui se sanctis Patribus meliorem tumente superbiam spiritu judicat? De his ita.

Deinde subjungitis interrogando: Quæ ratio vel auctoritas possessiones ecclesiarum parochialium, primitiarum, et decimarum nobis contulerit (65), cum hæc non ad monachos, sed ad clericos canonica sanctione pertineant. Nos vero, sicut in supradictis, sic et in istis Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus atque ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, et idcirco ipsarum primitias et decimas legitime possidere confirmamus. Nam si tribui Levi hæreditas inter fratres suos data non est, ut expeditiores ad Dei cultum et circa divina mysteria redderentur, neque ab eis sæcularibus impedimentis revocarentur, atque ideo primitiis, decimis et oblationibus aliorum alerentur, recte eadem monachis conceduntur, qui, sicut illa tribus, rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac divinis servitiis die noctuque insistunt. Qui namque justius fidelium oblata suscipiunt, monachi qui assidue pro peccatis offerentium intercedunt, an clerici, qui nunc, ut videmus, summo studio temporalia appetentes, spiritualia, et quæ ad animarum salutem pertinent, omnino postponunt? Et qui de suis non curant, quomodo aliorum animas salvare contendunt? Male quippe medebitur alteri, qui suo languori subvenire non prævalet. Et ut Dominus ait: *Cæcus cæco si ducatum præbuerit, ambo in foveam cadent (Matth. xv).* Hoc dicimus, salvo intellectu illo, quo novimus per officium clericorum divinis quidem mysteriis Ecclesiam salvari; sed quorum-

A dam talium parum orationibus adjuvari. Quia ergo monachi ex maxima parte fidelium salutem invigilant, licet sacramenta minime ministrent, æstimamus ipsorum primitias, decimas et oblationes, et quæque beneficia eos digne posse suscipere, quoniam et reliqua populo Christiano necessaria a presbyteris et clericis faciunt exhiberi. Ista vero dicendo, nequaquam clericos ab ecclesiarum et ecclesiasticarum rerum possessionibus excludere volumus, sed monachos hæc omnia legitime posse obtinere istis rationibus et auctoritatibus approbamus. Si enim ipsi pro officio baptismatis, poenitentiae, prædicationis, ac cæterorum sacramentorum populo exhibitorum de redditibus ecclesiasticis vivere volunt, cur monachi pro orationibus, pro Psalmis, pro lacrymis, pro eleemosynis ac multiplicibus bonis, ob salutem populi Deo oblatis, rebus ecclesiasticis et devotorum oblationibus non utantur?

Et ut hæc non a nobis commentata ratione, sed magis canonum auctoritate roborata videantur, eorumdem canonum verba in medium deducantur: *Si, inquit (can. xii, q. 2, Si ep.) episcopus unam de parochialibus ecclesiis suis monasterium dedicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi.* Item: *Cum præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus parochialium ecclesiarum pars episcopo conferatur, opportune tamen duximus decernendum ut, si episcopus tertiam partem, quam de rebus eisdem sanctione sibi debitam novit, aut ipsi ecclesiæ, cujus res esse patebit, aut alteri ecclesiæ, cui elegit, conferre decreverit, et licitum maneat, et irrevocabile robur ejus sententia ferat.* In quo ultimo capitulo, licet suam partem episcopus cuilibet ecclesiæ dare posse dixerit, de tota eum idem posse facere non negavit. Quod plene demonstrat superius scripta auctoritas. Ergo secundum hæc et similia, quæ ob prolixitatem hic ponere recusamus, ecclesias et eorum universa bona ab episcopis absque venalitate nobis collata, libere, juste, canonice possidemus.

Post ista, peregrina quædam et inaudita nobis opponitis, ut ad hæc prius stupere quam respondere cogamur. Culpatis siquidem, et in nullo a sæcularibus differre dicitis, quoniam castra, villas et rusticos, servos et ancillas habemus (66), et (quod deterius est) telonearia lucra et fere cuncta hujusmodi

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(65) *Quæ ratio vel auctoritas possessiones ecclesiarum parochialium, primitiarum, et decimarum nobis contulerit.* Agapitus II, pontifex Rom. Aymardo Cluniacensi abbati III, scribens, « Decimas, inquit, quæ olim ad vestras capellas pertinerunt, et per modernam quasi auctoritatem sive licentiam a quolibet episcopo subtractæ sunt, vobis ex integro restitimus. Capellas autem, si aliquæ jam factæ, vel faciendæ inibi sunt, ita manere concedimus, ut vestris ecclesiis nihil ex decimis minuatur. » Idem concesserunt, seu confirmarunt potius Urbanus II, Paschalis, Calixtus, Honorius, Innocentius utique

secundi omnes nomine, Eugenius III et alii, quorum diplomata jam in variis hujus Bibliothecæ locis integra descripsimus. Imo et nonnulli Franciæ reges ut Ludovicus Transmarinus, in cujus præcepto de Salustriaco et aliis ad Cluniacense cœnobium pertinentibus locis hæc leguntur: « Decimas suas indominicatas ad Hospitale habeant. Ecclesias vero suas cum omnibus decimis, sicut per privilegium Romanum et per scripta episcoporum acquisierunt, teneant et possideant. »

(66) *Castra, villas et rusticos, servos et ancillas habemus.* Idem Ludovicus in præfato regali præce-

emolumenta indifferenter suscipimus, non legitime tenemus, contra infestantes modis omnibus defendimus. Additis quod hac de causa proposito, religionis seposito, officium causidicorum assumimus, accusamur et accusamus, testes ex nobis producimus, contra Apostolum, judiciis intersumus: et idcirco regno cœlorum apti esse non possumus. Congruum autem esset ut ipsi qui proposuistis, ea quæ proposuistis vera esse, non tantum nudis verbis, quibus parum movemur, sed, cui cedere cogimur, Scripturarum auctoritate firmaretis. Sic quippe jus postulat ut qui aliquem impetit, quod objicit probet, quoniam actori probatio semper incumbit. Nos tamen contra hunc judiciorum morem hic agemus, et vobis parcentes, quos sua non posse probare novimus, nostra taliter approbavimus. Scimus quidem Domini esse terram et plenitudinem ejus, orbem terrarum et universos qui habitant in eo (*Psal. xxiii*). Sed et alibi in eisdem psalmis legimus: *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum* (*Psal. cxiii*). Constat igitur Domini esse cœlum et terram: hominibus autem terram cum dedisse ad tempus, ut si ea bene uterentur, post terram mererentur et cœlum, et quæ sua erant ex potestate, hominum fierent ex ipsius benignitate. Quam misericordissimam benignitatem et benignissimam pietatem, licet appendat tribus digitis molem terræ, et libret in pondere montes, et colles in statera (*Isa. xi*), eandem tamen terram et terrena dona ab eisdem hominibus, quibus ea dederat, suscipit, et, ut ita loquamur, suis sumptibus cœleste regnum emittit, nec inde lucrum suum, sed hominum salutem requirit, atque eam, ut proprium quæstum, amplectitur. Hinc est quod cum cibum esurientibus, cum potum dari [sitientibus] præcipiat, prius tamen panem in segetibus, vinum creat in vitibus, fructibus arbores, fetibus animalia onerat. Aquam ipsam, qua replenti calicem atque indigenti danti mercedem repositam esse confirmat (*Matth. x*), ex fontibus oriri, atque per universa defluere flumina facit, et ad extremum omnia, propter quæ bonam voluntatem largientium remunerat, ipsis largitoribus primum ipse largitur. Inde Dei Ecclesia tam ex Veteri Testamento, quam ex Novo sumpta auctoritate, cuncta non sibi, sed Deo oblata, ejus vice suscipit, atque inde quosdam suorum qui talibus egent, quique nil in mundo proprium possident, clericos videlicet et monachos, sive pauperes, vel quoscunque necessitatem harum rerum pati cognoscit, charitative sustentat. Unde monachi (nam de his tantum nunc sermo est) cuncta fidelium oblata, sive in mobilibus, sive in immobilibus suscipiunt, atque orationum, jejuniorum et cæterorum bonorum instantiam benefactoribus recompensant.

A Sed quia de rerum immobilium susceptione in præsentiarum arguimur, de his ad præsens respondeamus. Regulam igitur in primis obtendimus. Tractans quippe de novitiis suscipiendis, ait: *Res si quas habet, aut erogat prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio*. Dicendo ergo *res si quas habet*, nullam rem exceptit. Quod si rem nullam exceptit, nec fundum aliquem, nec villam, nec rusticos, nec servos, nec ancillas, nec aliquid hujusmodi exceptit. Sed constat nihil exceptum esse. Patet igitur hæc, quæ posuimus, excepta non esse. Huic decreto Regulæ consonant beati Gregorii dicta superius descripta quibus interdicit ut nullus episcoporum, aut sæcularium, præsumat de redditibus vel rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Nam interdicens ne de his quisquam aliquid minuere, vel in his dolos aut immissiones aliquas facere præsumat, aperissime ostendit redditus, res, cellas, vel villas monachos legitime posse possidere. Nam nequaquam molestari eos de talibus interdiceret, si illa eos injuste retinere cognosceret. Et cum terrarum multiplices sint redditus rerumque diversarum diversa varietas comprobetur, cumque villæ sine incolentibus, viris scilicet ac mulieribus, diversarum conditionum esse non possint, nec aliqua in istis beati Gregorii dictis exceptionis determinatio inveniatur, plane sine aliqua exceptione quoslibet redditus, quaslibet res, quaslibet villas pariterque diversarum conditionum, hoc est vel liberæ vel servilis, incolas, monachos recte habere posse ostenditur.

Sed forte opponitis, sine adminiculo harum omnium rerum, ex propriis laboribus et agricultura monachos necessaria sibi providere debere. Hoc vero quam indecens et impossibile sit neminem credimus latere. Et ut primo impossibile demonstremus quomodo fieri potest, ut gens languida, oleribus et leguminibus fere nullas vires corpori dantibus, imo ipsam vitam vix sustentantibus nutrita, et idcirco non parum debilitata, asperrimum ipsis quoque rusticis et bubulcis agriculturæ laborem ferat, et tam duram ruris eversionem et subversionem, aliquando æstus ardore, aliquando imbrium, nivium et frigoris importunitate sociata patiat? Et qui sibi ipsis ipsum etiam vilem et debilem cibum abstinentiæ causa plerumque subtrahunt, quomodo tanti laboris asperitatem et assiduitatem ferre poterunt? Qui si hæc omnia corporis viribus ferre possent, quando sine aliorum adjumento necessaria victus et vestitus sufficienter sibi parare sufficerent? Post impossibile, indecens quoque ostendamus: Annon videtur indecens, imo in-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

pto. « Homines eorum liberos ac servos nemo sine ipsorum voluntate dstringat. Cortes vero quas per præcepta antecessorum nostrorum sive aliorum regum acquisierunt, inconvulsas teneant ac possi-

deant. » Et Agapitus: « Præterea villas omnes quæ pertinent ad idem cœnobium Cluniacense soliditate apostolica roboramus, » etc.

decentissimum ut fratres, qui assidue in claustro morari, silentio, orationi, lectioni ac meditationi ac cæteris regulæ præceptis et ecclesiasticis ministeriis intentissime operam dare præcipiuntur, his omnibus dimissis, rusticationi et vulgaribus operibus intendant; et qui, ut byssus tabernaculi, interiora sua pretiositate et subtilitate, hoc est celestium subtili contemplatione ornare debuerant, ut cilicium extrinsecus positum, ventorum impulsiones, imbrium inundationes et universas aeris perturbationes, hoc est mundanorum operum nimias occupationes, eos ab intimis extra trahentes, sustineant? Quod quoniam et indecens et impossibile, ut diximus, esse probatur, necessario alia, quibus sine multa indigentia ordini suo studere valeant, monachis vos permittere oportebit. Quod si permittere non placuerit, nos, sanctorum auctoritate permittentem, ea obtinebimus. Audistis sane superius beatum Gregorium hæc monachis concessisse; audite etiam et dedisse. Sic namque in ejus Vita legitur: *Ubi Gregorius liberam disponendarum rerum suarum nactus facultatem, sex monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulavit. Quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari.* Sed et de beato Mauro ita legitur: *Beatus vero Maurus altera die ad invendum recipiendumque fiscum, quem isdem rex ad ipsum contulerat monasterium, est egressus.* Et alibi: *Per idem tempus Clotarius Andegavis veniens, viro Dei ad monasterium se ire velle mandavit. Cui cum a viro Dei ut veniret remandatum fuisset, paucis secum assumptis, ire perrexit. Cumque venisset, tradidit ad ipsum locum fiscum regium, qui blazon nuncupatur. Villam etiam quæ Longuscampanus dicitur, ibidem auctoritate regia delegavit.* Beatum nihilominus Columbanum fere universa, quæ monachos habere improbatis, habuisse invenimus, multosque alios sanctos monachos, quorum merita multis et magnis miraculis divinitas approbavit, quorumquæ memoriam solemniter Ecclesia recolat.

Et ut his, quæ præmisimus, aliquid adhuc rationis adjungamus; quis non judicet rectius, melius et utilius esse, ut cuncta illa superius sigillatim posita illi possideant, quos assumptus ordo et religionis propositum cogit legitime possidere, quam illi qui et negligentia et minoris propositi securitate sibi a Deo concessa, non tantum salubriter regere contemnunt, sed etiam incongruenti circa ipsas res amore et incauta ordinatione seipsos interimunt? Nam quandiu a sæcularibus obtinentur, uti fere et in omnibus cernimus, sæculariter disponuntur. At postquam ad religiosos eorum [earum] jus transfertur, si non solo nomine, sed et ipso effectu religiosi sunt, profecto a religiosis religiose tractantur. Et ut, verbi gratia, nominatim aliqua subjungamus, si castrum aliquod monachis detur, jam castrum esse desinit, et esse oratorium incipit. Nec ultra

A quisquam exinde adversus corporeos hostes in corporali acie dimicat, sed spirituales spiritualibus jaculis propellere consuescit. Itaque fit ut quod ante diabolo militabat, jam Christo militare incipiat, et quod ante fuerat spelunca latronum, domus efficiatur orationum. Eandem rationem de rusticis, servis et ancillis afferre possumus, qua monachos ista similiter legitime posse possidere, optime comprobamus. Patet quippe cunctis, qualiter sæculares domini rusticis servis et ancillis dominantur. Non enim contenti sunt eorum usuali et debita servitute; sed et res cum personis, et personas cum rebus sibi semper immisericorditer vindicant. Inde est quod præter solitos census, ter aut quater in anno, vel quoties volunt, bona ipsorum diripiunt, innumeris servitiis affligunt, onera gravia et importabilia imponunt; unde plerumque eos etiam solum proprium relinquere, et ad peregrina fugere cogunt, et (quod deterius est) ipsas personas, quas tam caro pretio, hoc est suo Christus sanguine redemit, pro tam vili, hoc est pecunia, venundare non metuunt. Monachi vero, tametsi hæc habeant, non tamen similiter, sed multum dissimiliter habent. Rusticorum namque legitimis et debitis solummodo servitiis ad vitæ subsidia utuntur, nullis exactionibus eos vexant, nihil importabile imponunt; si eos egere viderint, etiam de propriis sustentant. Servos et ancillas, non ut servos et ancillas, sed ut fratres et sorores habent, discretaque ab eis pro possibilitate obsequia suscipientes, nihil gravaminis eos incurrere patiuntur; sicque secundum apostolicum præceptum: *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes existunt (I Cor. vi).*

Præscriptis ergo auctoritatibus et rationibus, jam ut credimus, ipsis quoque cæcis claret non solum juste, sed etiam laicis justius monachos supradicta habere posse. Telonearia autem lucra cur prohibemur habere, cum ea sæculi principes legitime inveniantur tenere? An non legitime tenere videntur quæ Apostolus eis a subditis reddi præcipit, dicens: *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal? (Rom. xiii.)* Legitimum sane nobis videtur quod, cum ubique terrarum fiat, ab Ecclesia Dei, quæ nihil injustum patitur, non reprehenditur. Nemo inde excommunicatur, sed nec aliquis in causam vocatur. Quod cum ipsi absque alicujus contradictione, sicut et cætera sui juris obtineant, quare non similiter ea ecclesiis et monasteriis Dei largiri, quare non et monachi sicut reliqua, sic et ista ab illis recte suscipere valeant? Si vero beatum Matthæum opponitis de teloneo a Domino vocatum, post ad illud, utpote ad injustum officium, non fuisse reversum, cum Petrus et alii apostoli piscari periti, atque inde similiter a Domino vocati, postmodum inveniantur piscati fuisse, atque ob hoc piscationem justam esse probasse, respondemus hoc in nullo partem vestram juvare, neque nostram in aliquo infirmare, quoniam non exactiones violentas, quas Matthæus reliquit, sed justas censuum consue-

tudines, quas Ecclesia recipit, nobis defendimus.

His omnibus additis, et monachos causidicos esse causamini. Tria ergo objecistis, et accusatores, testes ac iudices eos fieri prohibuistis. Hæc vero tria sigillatim perscrutemur, et utrum sic constet ut dicitis subtiliter indagemus. Accusatores itaque, sive actores in propriis causis, quæ lex, quæ ratio monachos fieri prohibet? Si enim ea quæ prædicta sunt, monachis concesseritis, necessario oportet ut et istud concedatis. Nam si præcesserit rerum mundanarum possessio, consequens erit ut contra infestantes possidentium sequatur et actio. Alioquin si calumniatoribus et inuasoribus sua exponere voluerint, mox possessores esse desistent. Quod si et istud egerint, offensam mox largitoris Dei incurrant, quoniam illa quæ juris ipsius fuerant, alienis relinquentes tacendo, nec inuasoribus resistendo, ei auferre non timent. Hoc ne proveniat, ne Ecclesia Dei, quæ juste possidet, impiis diripientibus perdat, ne servi Dei amissis propriis egeant, et idcirco Deo servire nequeant, licet monachis causas proprias honeste, simpliciter, religiose, absque litigio injurias quas patiuntur vindicari potestati exponere, et non ut ultionem de adversario, sed ut quæ ab adversario ablata sunt recipiant, ut monachos decet querere. Si vero ad hæc dicitis debere monachos secundum canonica instituta per advocatos causam suam agere; nec nos huic auctoritati contraimus, si tamen advocati semper adesse potuerint, per quos causæ ipsorum bene, quantum justitia permiserit, defendantur. Quod si aliquibus præpedientibus causis (nam frequenter hæc solent accidere), advocatos habere non valuerint, videtur ante per monachos id debere fieri quam rem ecclesiasticam permittamus amitti. Testes autem veritatis monachos quis esse prohibeat, cum, innumeros sanctos Dei conspiciamus tam constantissime testimonium veritati perhibuisse, ut nulla mors, nullus corporis cruciatus silentium eis imponere quiverit; unde et martyrum, hoc est testium nomen meruerunt; et Joannem Baptistam legamus venisse in testimonium, *Ut testimonium perhiberet de lumine* (Joan. 1), et Dominum ipsum audiamus in Evangelio dicentem: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater* (Joan. v); atque de Spiritu sancto: *Cum venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me* (Joan. xv); et de apostolis: *Et vos testimonium perhibebitis* (ibid.). Ista posuimus, ut ostendamus monachos non celare, imo, secundum congruentias causarum et temporum, veritati testificari debere, quia, juxta quod quidam sapientium olim dixit, æquum non est mentiri et veritatem abscondere. Cur etiam a judiciis arceantur, cum Apostolus dicat: *Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?* (I Cor. vi.) Et sicut ipse alibi ait: *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (I Cor. ii). His igitur universis auctoritatibus et rationibus, quæ objecistis, cassamus; quod tenemus approbamus;

A sed vestra improbare nolumus, quamvis in quibusdam valeamus.

Hoc tamen reducere ad mentem charitas vestra debet quod divina mandata, partim mobilia, partim sunt immobilia. Divina vero mandata diximus, non solum ea quæ per seipsam in carne divinitas apparet hominibus tradidit, aut ea quæ per apostolos teneri constituit, sive illa quæ ante susceptam carnem per patriarchas vel prophetas mandavit, sed etiam illa, quæ post apostolos apostoli viri apostolica vestigia secuti, unanimi multorum Catholicorum consensu servari præceperunt. Idem enim divinus Spiritus, qui priorum Patrum cordibus se infundens, humanæ saluti congruentia per eos dedit præcepta, per hos quoque, qui recentiores videntur, hominum salutem operari, salubria jubendo, non destitit. Per diversos igitur præcones Domini verba edita veneramus, in diversis organis ejusdem spiritus flatum agnoscimus. Horum ergo præceptorum, ut diximus, quædam pro ratione causarum et temporum mutantur, quædam se mutari nulla ratione permittunt. Et ut ea quæ ultima dividendo fecimus, quia digniora sunt, exponendo prima faciamus. De immobilium numero dicimus esse; nam cuncta non vacat colligere, illud maximum et primum dilectionis Dei mandatum, secundum quoque huic simile de proximi dilectione; sed et humilitatis, castitatis, et veritatis præcepta, quibus licet similia multa sint alia, hæc tamen ad elucidandum quod volumus nobis sufficere credimus. Ista namque nulla inveniuntur ratione, nulla unquam dispensatione immutata. Quis enim catholicorum Patrum, ne Deus ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente diligeretur præcepit, vel parum quid mandato huic detraxit? Quis proximum non ut seipsum a se diligendum esse negavit? Quis vel in modico superbiere indulsit? Quis fornicari, quis mentiri, quis furari, quis rem proximi concupiscere unquam permisit? Patet ergo hæc et multa talia esse prorsus immobilia. Inter illa vero, quæ moveri dispensative possunt, Patrum auctoritatem sequentes, ea esse dicimus quorum pleraque in ecclesiasticis canonibus invenimus, quæ sicut pro communi totius vel propria alicujus Ecclesiæ utilitate, cum non existent, inventa sunt, sic rursus pro communi totius vel propria alicujus aut gentis, aut Ecclesiæ salute, prævia in omnibus charitate mutata sunt. Et quia nec ista omnia facile numerari possunt, sufficiant illa quæ in superiori hujus opusculi parte posuimus. Quæ, quoniam jam scripsimus, iterum scribere recusamus. Nam qui nosse voluerit, ibi scripta reperiet.

D Ad hoc autem nos ita ponere legentes noverint, ut ostendamus ea Regulæ decreta, quæ nos prævaricari dicitis, inter ista quæ mobilia vocamus ponenda, atque ideo, cum charitas præcipit (cui in omnibus obediendum est), absque illius prævaricationis timore movenda. Quid enim coegit Regulam de non transferendis episcopis a præcedentibus Pa-

tribus datam immutari, nisi melius providens Ecclesiis charitas? Quid hæreticos et criminosos, post condignam de criminibus pœnitentiam, quod primi Patres prohibuerant, Ecclesiis Dei præfecit, nisi multorum salutis consulens charitas? Quid presbyterorum filios episcopari, contra sanctorum apostolicorum antiqua decreta, aliquando jussit, nisi earundem personarum utilitatem Ecclesiæ utilem esse judicans charitas? Quicquid Anglis conjugia indulset, a quibus cæteros inhibuit, nisi novellæ eorum fidei timens charitas? Quid multa in hunc modum vetusta præcepta mutavit, quid nova instituit, quid nunc ista, nunc illa mandavit, nisi pro moribus, temporibus, locis, nunc generaliter, nunc specialiter, semper tamen humanæ salutis sollicitè inserviens charitas? Cum igitur sub jure charitatis omnia canonica mandata, imo secundum Domini sententiam universa lex contineatur et prophetæ, quis vestrum dicere audebit beati Benedicti Regulam charitatis dominio non subjacere? Quomodo charitati Regula subdita non est, a qua per sanctum illum condita est? Si enim sine charitate condita est, sine Deo condita est. Deum vero esse charitatem Joannes apostolus dicit: *Deus charitas est (I Joan. iv)*. Sed et si sine Deo facta est, sequitur quia jam nihil est. Nam Deus Christus ait: *Sine me nihil potestis facere (Joan. xv)*. Quod si hoc credere errare est, sequitur ut charitati velut doctrici Regula cedat, ac se pro dominantis arbitrio regi permittat. Nam si præter eam quidquam sibi vindicare voluerit, nihil jam se sequentibus proderit. Sed forte adhuc ad priora recurritis, et dicitis: Quoniam beati Benedicti Regulam vos servare vovistis, oportet ut vota reddatis. Ad quod nos: Si millies istud iteraveritis, id millies a nobis responsi accipietis. Regulam vovimus, charitatem a voto non exclusimus. Si charitatem exclusimus, Regula dici non potest quod vovimus. Si enim rectitudo Regulæ desit, Regula jam constare non poterit. Rectitudo autem Regulæ, charitas est. Si ergo charitas excluditur, rectitudo excluditur. Si rectitudo excluditur, restat ut tortitudo sequatur. Si tortitudo sequitur, necesse est ut Regula destruat. Simul quippe rectum et distortum consistere nequeunt. Jam Regula destructa, quid vos sequi profiteamini judicate. Aut enim Regulam cum rectitudine, aut sine rectitudine tortitudinem vos sequi oportebit, id est aut cum charitate Regulam, aut sine charitate Regulam retinere necesse erit. Sed sicut nebulam impossibile est teneri, sic sine charitate patet Regulam a nemine posse servari. Unde constat quod, quando non ficta charitate quam Apostolus damnat, sed vera quam ipse celebriter collaudat (*I Cor. xiii*), proximo aliquid impendimus, beati Benedicti Regulam absque ullo errore sequimur, quoniam aliter de ea sentire nihil est aliud quam errare. Nec Regulam igitur sine charitate vovemus, nec eam sine charitate, ut hac ratione probatur, tenemus. Tenemus itaque Regulam. Tenemus eam plane hac ratione, etiam in omnibus illis,

A propter quæ nos eam prævaricari, in vota vestra invectione dixistis.

Cujus invectionis capitulis singulis licet superius sigillatim responderimus, nunc tamen universaliter respondemus, quia in novitiis quos infra annum suscipimus, Regulam optime conservamus, quoniam charitate providemus, ne cum fervore spiritus ad Deum venientes liceat Satanæ ad sæculum, imo ad interitum retrahere. Unde ejus tentationibus longum dare tempus nolumus, nec diu protrahi pugnam permittimus, quoniam periculosa est pugillis infirmi congressio cum robusto, incauti cum doloso, ejus qui tertiam partem stellarum cœli trahere dicitur in terram, cum homine in terra posito; illius qui ipsi invictæ divinitati, et prius in cœlo et postea in terra resistere conatus est, cum vase fictili, concite ab illo, nisi Deus juverit, conterendo. Ex ore itaque ejus cibum rapere quærimus, ac, secundum Job conterere molas iniqui, et de dentibus ipsius auferre prædam contendimus (*Job xxix*). Et quia, ut præfati sumus, charitate hoc facimus, Regulæ per charitatem conditæ, atque animarum tantum salutem, quoquomodo, non uno secundum vos modo quærenti, in nullo contrarii sumus. Nam et nos cum expedire videmus, illo uno vestro modo libenter utimur, hoc est annum ad novitii susceptionem integrum expectamus. Aliquando post dimidium annum cæteris illum fratribus aggregamus. Multoties non tantum mensem aut hebdomadam, sed nec biduum præstolamur. Semper tamen quod animabus utilius esse perpendimus, facere non differimus. Sic charitatem sequentes, Regulam sequimur, Deo obsequimur. Vestibus vero pellicis eadem charitatis Regula nos ideo vestit, ut corpus a frigore, anima defendatur a murmure. Quamvis in hoc capitulo ipsius Regulæ datum de vestibus præceptum, ac simpliciter, ut ponitur, susceptum, nobis ad hujusmodi vestes habendas sufficiat. Quod quia nos jam plene supra ostendisse credimus, nunc iterare refugimus. Femoralia quoque, necessitudini et honestati consulendo, quæ nulla necessaria prohibet, cuncta honesta amplectitur, sæpe dicenda charitas nobis concessit. Unde regulariter nos ea habere cognoscimus. In stramentis lectorum, si qua ex necessitate addita supposita vel superposita nobis sunt, certum est quia ex charitate sunt, et idcirco regularia non esse veraciter dici non possunt. Nam nos uti semper in superioribus diximus, superflua modis omnibus detestamur, contra Regulam esse dicimus, amputanda penitus profiteamur. Absit enim ut de charitate virtutum omnium fonte purissimo cœnum vitiorum nos velle deducere quisquam suspicetur, quia juxta Apostolum, *Non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati! (I Cor. xiii)*. Et quia omnia suffert, et omnia sustinet (*ibid.*), videant utrum eam habeant qui non solum malorum malitiam ferre nequeunt, sed nec fratrum indigentiam sustinere, vel necessaria ministrando eam supplere, cum possint, nolunt.

Hæc eodem charitatis scuto ab impugnantium A ictibus in cunctis subsequentibus capitulis nos munimus : quod certe tantæ soliditatis ac fortitudinis est, ut nullo quantumlibet valido irruentium impetu penetrari valeat. Hoc et in pulmentariorum objectione obtendimus, eoque nos, si mediocris et necessaria pro infirmitatibus et qualitatibus fuerit adjectio, bene munimus. Hoc in fugitivorum multiplici susceptione utimur, ne scilicet non suscepti, ad porcorum siliquas revertantur, et quam evangelicus ille fugitivus, patre propitio reperto evasit, fame consumpti male pereant. Hoc protecti, ab opere manuum meliora ei opera præponendo quiescimus, quoniam ut de multimodo spiritualium operum exercitio taceamus, nullo, nisi insano, contradicente, melius est orare quam arborem secare; testante B Apostolo qui dicit : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia (I Tim. iv)*. Hinc est quod non omnibus advenientibus hospitibus pedes abluimus, non ante omnes prosternimur, quoniam incongrua pedum ablutione nolumus molestare, quos charitas in omnibus præcipit lætificare. Sed nec frequentia hospitum numerus fratrum plerumque sufficeret, ut omnibus pedes ac manus abluere absque reliquorum præceptorum detrimento prævaleret. Quod quia charitate mutatum, aliquando apud nos fit, aliquando non fit, irregulare non est. Sed quid universa, quæ supradicta sunt, percurrentes, lectori forte tædium generamus? Sic de jejuniis, sic de mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis, sic de C ferramentis vel rebus monasterii, sic de universis, ut cuncta breviter explicemus quæ in superioribus objecta sunt, quibus et tunc latius respondimus, charitas per Patres nostros, prout temporibus et moribus ac locis congruere vidit, dispensavit, neque in his voluntatibus vel voluptatibus hominum, sed æternæ eorum saluti inservire studuit. Hoc sane uno ea quæ justa esse defendimus injusta monstrare potestis, hoc uno nos victos vobis victoribus cedere compelletis, si quæ lege charitatis nobis defendimus, ad charitatem non pertinere rationibus certis ostenderitis. In his enim omnibus, ut sæpe jam diximus, ea solum protectrice tuti, hostibus cunctis inexpugnabiles permanemus. Nam quia, secundum Dominum, *Hæc est in qua universa lex pendet et propheta (Matth. xxii)*, et, secundum Apostolum, *Plenitudo legis ac finis præcepti est (Rom. xiii)*, omnem legem plenam, omne præceptum finitum, hoc est perfectum ea dispensante existere, quis Catholico sensu audeat negare?

Sed forte vos ad ista : Sic Regulam charitate vos mutasse dicitis, ac si sine illa a sancto illo conditam affirmare velitis. Quod si sentitis, certum est quod erratis. Quomodo enim condendo Regulam charitate carere potuit qui spiritu omnium justorum plenus fuit? Si vero hoc sentire ac dicere refugitis, cur quod charitate a tanto viro institutum fuerat mutare contenditis? An fortasse vestram charitatem ejus charitati præponendam esse judicatis? An illum

oculum, qui sub momento temporis totum mundum collectum conspicerere potuit, videndi et providendi acumine vos vincere posse putatis? Si igitur, ut diximus, Regulam sanctus condere sine charitate nullo modo potuit, patet quod a nemine mutari debuit. Quapropter aut injuriam sancto, ejus scripta mutando et superordinando, facietis, aut, eum venerando, præceptis ab eo datis in omnibus obedietis. Super hæc ipsum nomen Regulæ quomodo stare queat ignoramus, si non eam ut Regulam et præviam sequimur : sed ad placitum inflectimus ac mutamus, et, ut sic loquamur, regula Regulæ facti, non eam, ut diximus, sequamur, sed ipsam nos sequi cogamus. At nos econtra. Optimos certe beati Benedicti vos defensores ostenditis, cui defendendo majores injurias irrogatis. Injurias vero irrogatis, quando sic eum tentatis laudare, ut laudi aliorum sanctorum videamini detrudere. Neque enim sancti crescere de aliorum imminutione volunt, ut aliorum detrimentum, ipsorum videatur incrementum. Hoc namque apud illos quos charitas unit, contingere solet. Sed ut quod dicimus manifestius fiat, interrogamus. Sanctis illis, quos prædecessorum Patrum statuta mutasse supra diximus, licuit ea mutare an non? Si dixeritis : Non licuit, respondemus : Male igitur egerunt quicumque priora decreta mutaverunt, male egit illicita concedens Anglis matrimonia sanctus Gregorius; male egit mutans Catholicam synodum Catholica synodus; male egerunt quamplures et noti sanctitate Romanæ sedis præsules, aliorum sanctorum pontificum Romanorum præcepta mutant, male egit ipse Paulus, sibi que ipsi exstitit contrarius, quando quod prius Timotheum discipulum circumcidendo fecerat, postmodum ad Galatas scribens, terribiliter prohibuit dicens : *Ego Paulus dico vobis, quoniam, si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit (Gal. v)*. Hoc concessio, quod justum putabatur injustum deprehenditur; qui sancti hactenus fuerant sancti esse cessabunt; Ecclesia tanto tempore errorem secuta, errasse judicabitur, et nunc tandem, vobis prædicantibus, ad semitam justitiæ reducta, vera sequi incipiet. Si hoc dicere superbum et blasphemum judicatis, sapienti consilio prima eos mutare potuisse statuta dicetis, aut forte (quod solum superest) tacebitis. Sed si tacueritis, Phariseorum vos usos consilio monstrabit, qui nec fateri veritatem volentes, nec eam impugnare valentes, interrogati a Domino de Joannis baptismate, utrum de coelo esset, an ex hominibus, silentium elegerunt (*Matth. xxi*). Quod si tacere refugientes, hoc quod modo præmisimus responderitis, eis scilicet licuisse, istis vero non licuisse, interrogamus causam. Respondebitis Romanos pontifices, tam pro insigni et nota sanctitate qua præditi erant, quam pro totius Ecclesiæ regimine sibi commissio hoc agere potuisse; concilia quoque Catholica ob collectorum auctoritatem et sanctitatem idem meruisse; nostris autem, quia similis sanctitatis et auctoritatis non sunt, similia non licuisse. Si sanctitas et auctoritas

in causa est, et hæc illis sanctis dispensandi priorum statuta licentiam contulerunt, conferent hanc et nostris, quos sanctitas et forte similis sanctos effecit; par quoque pro commissis a Deo officiis auctoritas eis non defuit.

De sanctitate, rectos mores Deumque ipsum testem habemus, qui eos sibi placuisse, et viventibus ipsis, et etiam mortuis, miraculorum multorum ostensione declaravit. Testis est et Ecclesia, eorum inter Patres sanctos memoriam recitando et festa solemniter celebrando. Parem vero auctoritatem pro sibi commissis a Deo officiis eos habuisse diximus, quoniam licet majorem aliis Ecclesie Patribus Romani pontifices, hoc est etsi per omnem Ecclesiam Petri auctoritatem habeant, parem tamen in hoc ii, quos defendimus, habent, ut sicut Romani præules omni, et sicut alii pontifices singulis Ecclesiis præsumt, ita isti monachis suis pari per omnia potestate et auctoritate principantur. Nam licet Romanus præsul aliorum errores corrigere speciali potestate valeat, habent tamen illi suam super suos integram potestatem, et, culpis remotis parem in præcipiendo, ut diximus, auctoritatem. Et si ita est (quod plane ita est), constat, si non est aliud quod objiciatur, quia plenam Patres nostri in mutandis pro salute commissorum Regulæ quibusdam, quæ pro tempore datæ sunt, observantibus, potestatem habuerunt, quamvis eorum sanctitatem ad hoc probandum afferri nulla coegerit necessitas. Quid enim? Et si sancti non fuissent, magistri esse desisterent? Anne modo, nisi sanctus fuerit, Ecclesie præesse poterit? An necesse semper erit miracula consulere, ut qui præferri cæteris debeat, possimus agnoscere? Et quid est quod Dominus ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei, Omnia quaecunque dixerint vobis, servate; secundum opera vero eorum nolite facere?* (Matth. xxiii.) Dicendo enim secundum opera vero eorum nolite facere, non sanctos, sed sceleratos eos fuisse ostendit; nam nullo modo eorum opera imitari prohibuisset, si bona esse cognovisset. Quæ quia imitari prohibuit, certum est quia mala esse judicavit. Patet ergo quia etiam malis rectoribus omnis a subditis exhibenda obedientia est.

Ex quibus colligitur quia, etsi sanctitas supradictis Patribus deesset, auctoritas sola prælationis ad exhibendam eis obedientiam sufficeret. Licuit ergo eis etiam, sanctitate remota, subditis suis quæ dicta sunt imperare; licuit et subditis imperata servare. Sed adhuc vestrum responsum poscimus. Dixistis, pro insigni et nota sanctitate et pro commissi a Deo regiminis auctoritate, sanctis sequentibus priorum sanctorum statuta licuisse mutare. Quæ ratio insufficiens nobis videtur. Quomodo enim sanctitas et auctoritas subsequentium sanctitati et auctoritati præjudicare potuit præcedentium? Quomodo sane sanitas [sanctitas] sanctitati, auctoritas auctoritati, absque alterutriusque sanctitatis et auctoritatis detrimento quidquam auferre potuit? Auferre vero dici-

mus, cum quod priora constituit sequens commutat. Quod autem de præcedentium decretis subsequentium mutavit auctoritas, aut melius prioribus, aut deterius fecit. Si melius, non plene bona fuit priorum institutio. Unde sequitur deteriores fuisse. Si deterior fuit, deteriores institutores habuit. Si vero subsequentes deterius priorum instituta mutaverunt, constat quia ipsi deteriores fuerunt. Apparet ergo priores vel posteriores Patres, nisi defendantur, laudis incurrere detrimentum. Aut enim priores optima instituerunt, et mutari optima a subsequentibus non debuerunt; aut si mutantem mutando juste egerunt, patet quia illa optima non fuerunt. Jam error institutionum in caput redundat instituentium. Ut enim ait Scriptura: *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (Matth. xii). Si ad ista alioqui charitatis scuto sanctos a culpa defendere volueritis, Dei nos gratia juvante nec vos ipsos defendere prævalebitis. Sed quousque audiamus, respondere quid possumus? Sine hoste quippe pugnare, nihil est aliud quam aerem verberare. Restat igitur charitas. Hac si hunc nodum solvere volueritis, citissime, facillime, rectissime poteritis. Hæc est enim, ut sæpe diximus, in qua universa lex pendet et prophetæ. Hæc est quæ plenitudo legis et finis præcepti est. Hæc est quæ, ut Apostolus ait, *diffusa in cordibus sanctis per Spiritum sanctum qui datus est eis* (Rom. v), diversis temporibus per diversos sanctos diversa loquens, ipsa non varia, non divisa, non multiplex, sed simplex, stabilis, inconcussa, semper eadem perduravit. Ut enim materfamilias, tota domus propriæ utilitati intenta, quosdam famulorum ad terram bobus exercendam, quosdam ad fodiendam vineam, alios in silvam ad ligna cædenda mittit, alios ignem succendere, alios aquam afferre jubet, hunc ad nundinas commercii causa dirigit, illum cur piger sit increpat, istum de strenuitate collaudans ad meliora hortatur: ipsa tamen, quamvis diversa sint quæ præcipit, diversa non efficitur, nec diversitas jussionis diversitatem facit utilitatis, quoniam ad unum quiddam et simplex, hoc est ad domus utilitatem, omnis illa officiorum varietas se colligit, et illud unum innumera ministeria operantur; nec reprehendenda est, si huic istud, et illi aliud præcipiat, quia, ad unum illud quod præmisimus perficiendum, multa illa præcipit, nec sibi adversa, quia est diversa, judicanda: sic charitas, quoniam ad domus Dei tantummodo utilitatem cuncta jubet, sibi adversari non est dicenda, sed per quoscunque, et quæcumque, et quæcumque jusserit, est absque retractatione sequenda. Nam et si diversa mandata per diversos nuntios diversis temporibus ab illa data sunt, adversa tamen non sunt in mandatis, nuntiis et temporibus: quædam quidem videtur diversitas, sed quia divinæ voluntati et humanæ salutis universa famulantur, nulla in his potest esse adversitas, quæ cuncta ad hoc unum dispensat ignorans falli charitas. Et sicut contumax, et damnandus servus judicaretur, si dominæ aquam afferri

præcipienti responderet : Quia heri præcepisti ut ligna de silva succidens, domum deferrem, jam ulterius nec aquam deferam, nec aliquid alterius ultra operis agam, sed semper ad silvam vadam, et ibi ligna succidens domum deportabo : et illa dicente : Illud heri fuit necessarium, et ideo jussi : jam quia necessarium non est, fac istud quod modo necessarium est ; illeque præcipientis reverentiam ac domus utilitatem parvipendens, nullo pacto obedire vellet, imo ad augmentum contumaciæ conservos aquam deferre volentes prohiberet. Sic judicandus est qui magistræ charitati, omnia, licet diversa et diverso tempore per diversos, ad Ecclesiæ tamen utilitatem cuncta præcipienti, obedire refugit. Sic plane judicandi sunt qui jubenti charitati, et modis omnibus salutem tantum hominum quærenti, ut novitios infra annum, cum viderint expedire, suscipiant, ut vestes necessarias fratribus largiantur, ut magis spirituali quam corporali exercitio occupentur, ut multa his similia de animarum tantum salute solliciti faciant, respondeant : Quia olim hæc mandata per sanctum Benedictum tradidisti, illa mutari non patiemur, neque tibi aliquando de his obediemus. Qua dicente, tunc temporis ad tolerandos labores fortior erat natura hominum, utpote sæculo valentiore ; nunc vero mundo senescente et jam morti proximo, quidquid in mundo est elanguit, et ideo pleraque tunc necessaria modo facta sunt contraria, quod nunc necessarium est facite. Non enim est meum aut hujus temporis sic novitios deterrere, ut dum volo per annum probare, sequatur reprobare. Non est, inquam, meum cibi, et potus, atque vestitus, vel cæterarum rerum indigentiam, pro diversitatibus infirmitatum, regionum ac temporum non supplere, ne, dum non reddo homini quod suum est, non possit ipse reddere Deo quod ejus est. Superba superstitione salutaribus monitis obtemperare dedignantur, nec contenti a jure charitatis se solum subducere, alios ei parere cupientes, qua valent instantia, suæ tentant transgressioni sociare. Sic vos, o Cistercienses, agere : sic charitati resistere ; sic nec Regulam, pro qua vos certamini objeceratis, probamini tenere. Sed redeamus ad quæstionis vestræ solutionem. Quam ut lucidius solvere possimus, ipsam rursus quæstionem solutioni, sed brevioribus verbis præponamus.

Dixistis : Aut sine charitate beatus Benedictus Regulam, aut cum charitate condidit. Sed sine charitate eum illam condidisse, nemo vestrum audet affirmare. Cum charitate igitur eam non negatis conditam. Jam quia per charitatem condita constat, mutanda non fuit. Si mutanda non fuit tenenda fuit. Aut ergo mutando injuriam sancto infertis, aut tenendo ei in omnibus obeditis. Et nos adhuc : Quia per charitatem Regula condita est, constat quia ideo mutanda non fuit, non constat. Imo, quia per charitatem condita est, sequitur quia mutanda fuit. Et ut hoc pateat, charitatis officium requiratur. Et quod est charitatis officium ? Unum et solum charitatis officium huma-

nam salutem modis omnibus quærere. Hoc ejus esse officium ipse Dominus, hoc apostoli, hoc omnes sancti ejus clamant. Justum esse quidquid illa præcipit, omnes, ut sæpe jam diximus, divini libri testantur. Et quod majus argumentum ? In ipsa universam legem, et prophetas pendere Dominus dicit. Hanc plenitudinem legis et finem esse præcepti Apostolus testificatur (*Rom. xiii*). De hac beatus Augustinus ait : *Si hæc una desit, inania sunt cuncta ; si hæc sola adsit, plena sunt omnia.* De hac et ipse alibi : *Fructus autem totus est charitas, sine qua nihil est homo, quidquid aliud homo habuerit.* Atque alio in loco : *Habe charitatem, et fac quidquid vis.* Igitur ut salutem humanæ consulat, facit quidquid vult. Quod si ei licet quidquid vult facere, licuit Regulam facere, licuit et mutare. Nec injuria sancto facta dicenda est, quia non ab alio mutata est, sed ab ea, quæ diffusa in corde ejus per Spiritum sanctum, qui datus erat ei, ipso in condendo Regulam tanquam organo usa est. Et quia non æmulatur, non inflatur ; non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt (*I Cor. xiii*), ii qui ea pleni sunt nihil horum sciunt. Et quia æmulatione, inflatione, ambitione carent, indignari nesciunt. Injuria ergo sancto facta non est, quia suam charitatis Regulam pro temporis illius congruentia fecit : ac postquam utile fore vidit, quod fecerat immutavit, quodque servari decuit de eadem Regula reservavit. Sicut ergo non esset consequens dicere injuriam notario factam, si quod prius scripserat, vel ab ipso, vel ab alio immutari dictator certa de causa faceret, quam causam forte ipse solus nosset : sic nec sequitur beato Benedicto factam injuriam, si vel cuncta vel aliqua eorum, quæ per eum charitas scripserat, vel per ipsum, si sic voluisset, vel per alium quia sic voluit, ratione præmissa mutavit. Sed nec indignum est sancto charitatis vocari notarium. Joannes enim in Epistola sua Deum charitatem vocat (*I Joan. iv*). Et Gregorius sanctus in Homeliis ait : *Spiritus sanctus amor est.* Amor vero charitas est. Ergo Spiritus sanctus charitas est. Non est igitur ei indignum Spiritus sancti esse notarium. Nam et ejus notarii prophetæ omnes fuerunt. Non dedecet autem eum similem esse prophetis. Si igitur sancto illi Regula immutata ab immutantibus injuria facta est, et prioribus quos supra memoravimus sanctis a subsequentibus, et eorum decreta mutantibus injuria facta est. Et ut majora dicamus, legi ab Evangelio, Moysi a Christo injuria facta est. Quod si ideo nec Moysi, nec legi, nec canonicis statutis, nec alicui divino mandato, nec his per quos ipsa mandata promulgata sunt, aliqua est facta injuria, quoniam per Spiritum sanctum, quem charitatem esse probavimus, quid salutem hominum per diversa tempora congrueret provisum est ; et licet quædam in mandatis sint mutata, et ipsa mandata per mutatos sint data, ipse tamen mutatus non est, quia incommutabilis est, patet quia Regula sancti Benedicti in quibusdam suis capitulis, absque ipsius injuria, vo-

dis, quamvis invitis, concedentibus, mutata est. Per charitatem namque mutata est, per quam Verbum caro factum est, ut ait Apostolus: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati* (Rom. VIII).

Quia igitur mutata sunt quædam in Regulâ, charitas fecit; et quia absque injuria sancti mutata sunt, charitas fecit. Nec putet aliquis quod nos justificare volentes, ista dicamus. Non enim nos justos videri volentes hæc dicimus, sed Patrum nostrorum instituta a vero non deviare, et eos, qui illa, ut ab eis præcepta sunt, servaverint, non errare, tam ratione quam divinis auctoritatibus comprobamus. Nobis ergo transgressionis nævo a vobis objecto purgatis, jam pro vobis agite, et ab ipsius Regulæ prævaricatione vos, si potestis, immunes monstrate. Prævaricari quippe vos Regulam dicimus, quando ejus rectitudine non servata, hoc est, charitate, quæ plenitudo legis ab Apostolo dicitur (Rom. XIII), neglecta, vestræ potius voluntati eam in plerisque inservire cogitis. Unde in quibus Regulam sine charitate servatis, ut ex præcedentibus colligitur, non jam Regulam, sed rectitudine remota tortitudinem servatis. Ad ista forte vel verbis, vel cogitatu respondetis. Et ubi nos a præceptis Regulæ charitatem excludere dicitis? Ubi animarum saluti providere negligitis? Et ubi nos animarum saluti providere negligimus? Ut exempli causa aliqua ponamus. Nonne animarum salutem, atque idcirco charitatem negligitis, quando fratribus necessaria negatis, quando eos frigore usu pellicearum nerato affligitis, quando hac violentia (nam multi vestrum hoc inviti sustinent) eos vel ad murmurationem, vel ad fugam compellit? Sed et si sunt aliqui, qui hoc quoquomodo sustineant, procedente tempore corrupto corpore morbis, sanitatem frigore perdunt, et languidi sæpe perpetuo facti, Deo servare nequeunt. Sic certe discretiva charitate relicta, in murmurantibus, fugientibus et languentibus, animarum saluti providere negligitis. Hoc quoque vestrum propositum nos magis mirari faciunt ipsius verba Regulæ, in quibus monachos pellicis uti non esse prohibitum, etiam negligenter legentes advertere possunt. Sicut enim superius, quando de hoc capitulo agebamus, diximus, nulla prohibitio, nullum præceptum ibi super hac re legitur, cum potius ut pellicias monachi habeant, ibi præcipiatur. Nonne cum Regula dicit: *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, aut aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indiget, in calidis vero minus, et hæc consideratio penes abbatem sit*, pelliceas et cætera indumenta necessaria duntaxat fratribus largitur? Si hoc secundum Regulam aeris qualitas, hoc est regionis frigiditas poposcerit, præcepto Regulæ eas dari debere dicimus. Nam quod regionis poscit frigiditas, poscit necessitas. Quod necessitas, hoc plane et charitas. Jam si quis dicit charitati non cedendum, Deo utique judicat contradicendum. Dei igitur et

A Regulæ mandato contradicit, qui monachos pellicis uti non debere dicit.

Sed adhuc fortasse opponitur: Licet hoc Regula non jubeat, monet tamen ut monachus ad meliora transeat. Bene certe dixisti, monet. Nam plane monet, non præcipit. Quod si tantum monet, non compellit. Qui enim monet ut fiat quod vult suadet. Sed qui præcipit, ad faciendum quod præcipit præcipiendo compellit. Suadet itaque regula meliora, non ad ea violenter compellit. Cur ergo vos compellit quod compellere Regula non vult? An forte sanctiores illo, qui eam composuit, estis? Unde, inquam, tanta vobis auctoritas? Dicit Apostolus: *Vellem omnes homines esse sicut meipsum* (I Cor. VII). Et Dominus in Evangelio: *Non omnes capiunt verbum istud. Qui potest capere, capiat* (Matth. XIX). Et alibi euidam: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et veni, sequere me* (ibid). Nihil certe horum præcipiendo, sed commonendo. Et cum hic mos sit omni divinæ Scripturæ, ut quandoque quæ præcipienda sunt præcipiat, quandoque illa, quæ magis ardua videt, moneat, vos hanc ejus Regulam scilicet dedignant, ad quod tantum monitis provocandi essent, eos cogere non formidatis. Sed et mihi videtur quod ad pelliceas non ferendas non solum non cogendi, sed nec monendi sunt, in his duntaxat regionibus, monachi. Quomodo enim inde aliquem monere debeo, unde illum ad deteriora lapsurum vel novi vel timeo? Si enim proximum ut meipsum diligo, ejus saluti in omnibus, ut propriæ, consulere debeo. Nam aliter, non eum ut me diligo. Et hæc certissima charitatis regula est, ut quod fratri video esse necessarium, non prohibeam, non eum ad ferendum incongruum, et noxium laborem violenter impellam; sed si valeo, omnia, quibus indiget, ei studeam impendere; si non valeo, ejus necessitati compatiendo, pietatis studio noverim condescendere. Quid vero prosit sine charitate corpus laboribus conficere, Apostolus docet dicens: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I Cor. XIII). Et ne prohibere eos, qui non compulsi, sed sponte carnem suam quibuslibet austeritatibus pro Deo domare contendunt, videamur, agnoscant legentes, non hoc nos ista dicendo intendere, nec a bono spontaneo aliquem velle revocare, sed ne inviti ad ista cogantur quæ sui propositi non sunt, vel quæ nociva sunt, præcedentibus auctoritatibus prohibere. Sicut enim eos, qui oblectamenta mundi fugientes, ejus aspera ob majus meritum discrete amplectuntur, omnino scimus esse laudandos, sic illos, qui alios ad id, quod non proposuerunt, et quod non expedit violenter cogere volunt, dicimus non esse prorsus audiendos. Hæc tibi, frater charissime, epistolarum brevitatem rerum necessitate supergressus scripsi, in quibus aliorum verbis meum quoque intellectum expressi. Nam præter austeritatem verborum, quæ ad partium latentem simultatem designandam posui, reliqua

omnia ut edita sunt intellexi. Erit amodo tuum, si A
aliter senseris, et hoc quoque mihi tuo per omnia
revelare, ut re diligenter discussa, et per te maxime
diffinita, et eorum qui super hac re scandalum
patiantur dubietas auferatur, et charitas, quæ re-
vera in multorum cordibus et linguis quotidie læ-
ditur, longe remota omni invidiæ rubigine confir-
metur.

EPISTOLA XXIX.

Venerabili et intimo mihi domino BERNARDO abbati
Clarevallensi, frater PETRUS, humilis Cluniacensium
abbas, sinceræ charitatis affectum.

Revertenti mihi nuper de Pictaviensi pago, Lin-
gonenses canonici (67) occurrerunt, et nil tale su-
spicanti, unum ex fratribus nostris, cum universo
clero et populo Ecclesiæ suæ, se in episcopum con-
corditer et canonicè elegisse, Lugdunensi metropo-
litano id consulente et confirmante, dixerunt. Insti-
terunt toto nisu, tam precibus suis quam mandatis
et litteris domini Lugdunensis, ut, quia monachus
noster erat, quod de eo fecerant et ipse confirma-
rem. Hæsi aliquandiu, nolens carere utilitate per-
sonæ, concessi ad ultimum, cedens importunitati
rogantium. Sic a me quod petierant impetrantes,
præterito beatæ Dei Genitricis festo, apud Anicium
regalem curiam, cui ipse necessitate, non voluntate
interfui, adierunt; et a domino rege Francorum,
electum suum, quantum in ipso erat, confirmari
rogaverunt et obtinuerunt. Nam audita rex electio-
ne, et visa quæ forte tunc ad me venerat persona,
quod de ea Lingonensis Ecclesia fecerat, collauda-
vit, et de regalibus, sicut solet fieri, manu propria
solemniter investivit. Cumque ita cleri, populi, me-
tropolitani, ipsius quoque, ut dixi, principis in hanc
unam sententiam, in hunc unum electum vota con-
venerint, quosdam Lugdunenses voluntatem ve-
stram a communi omnium proposito, nescio quibus
rumoribus avertisse, et contra id quod factum fue-
rat irritasse, ante paucos dies accepi. Quod ut
comperi, maluissem super his præsens cum præ-
sente conferre quam litteris cogitata mandare. Hoc
quia et remotio vestra, et mea non interpolata ne-
gotia impediunt, facio quod possum, quia quod volo
non possum. Non sane miror, nec mirandum est,
si bono viro mala audita displicuerunt; sed adver-
tendum fuit, quia sicut vera, sic et falsa esse po-
tuerunt. Unde priusquam id cognosceretur, non
erant vel tribunalibus iudicium, vel cathedris pon-
tificum inferenda. Cogitandum fuit (quod tamen
apud unanimis amici aures familiari querela de-
pono) hunc de quo sermo est, vestræ Cluniacensis
Ecclesiæ monachum et dilecti vobis abbatis esse fi-
lium. Attendendum fuit personas illas, a quibus hoc
quod vos movit, dilectio vestra accepit, jurata ad-
versus Cluniacum bella, tanta animositate ex ali-

quanto tempore suscepisse, ut nec linguas ab in-
juriis, nec manus a sacrilegiis continere potuerint.
Videndum fuit si fidem prudentiæ vestræ illorum
maledicorum verba facere debuerunt, quorum os
locutum est vanitatem (*Psal. CLIII*), impudenter
mentiendo, et dextera eorum dextera iniquitatis,
irreverenter innocentes monachos verberando.

Quapropter tantis tamque manifestis inimicis
credere, tantis tamque manifestis hostibus fidem
dare, nec vestrum, nec aliquorum honorum est.
Credite magis domesticis quam extraneis, notis
quam ignotis, amicis veridicis quam inimicis male-
dicis. Credite mihi, qui et domestici, et noti et amici
apud vos nomine glorior; qui etsi a communi men-
dacio, quo omnis homo mendax est, immanis esse
non possum, absit tamen ut ibi non caveam men-
dacium, ubi cavere possum! Conveni ipse hominem,
audito quem supradixi rumore, et quæ dicebantur
proponens, ne veritatem diffiteretur paterne rogavi,
admonui, adjuravi. Dixi me non ut perfidum my-
sterii rectorem, sed ut fidum commissorum custo-
dem ad conscientiam ejus velle accedere, nolle me
patefactis animarum vulneribus illudere, sed me-
deri. Adjeci quidquid ad eliciendam veritatem utile
occurrere potuit, nec dissimulavi intima parietis,
acutæ interrogationis fossorio perscrutari. Post quæ
omnia id responsi accepi, nunquam se amictu men-
dacii cor suum mihi velasse, nunquam velare pro-
posuisse; certum se esse quod, si mentiretur mihi,
mentiretur et Deo; de fide commissorum nil se du-
bitare; eorum quæ dicebantur ita se esse immunem,
ut, si velim, injecta omnia securissime sacramento
expurget. Novi ipse a quibus, et quare et qualiter
verba illa, quæ scandalum vobis pepererunt, exorta,
aucta, disseminata fuerunt. Quæ si vobis per me
ipsum libere colloqui licuisset, ad unguem expo-
suissem; et quam tenebrosa abysso, perspicuam
mentis vestræ faciem, caligosa [caliginosa] menda-
cii nubes offendere conata sit, ad liquidum indi-
casset. Quod, cum potero, faciam. Interim im-
plectendam mihi semper dilectionem vestram
rogo, et per eam, quæ nos in domo Dei una-
nimes fecit, obsecro, ne nævo mendacii Clu-
niacensis congregationis corpus deformare, non
dico velitis, sed nec patiamini, quoniam non
hoc illi uni ascribere, sed nobis, et singulis,
et omnibus imputare, pudor ipse objectæ infam-
iæ compelleret. Quia *cum dolet unum membrum,
condolent omnia membra, et cum patitur unum mem-
brum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor. XII*). Nec
æstimet sanctitas vestra, me ad defendendum mo-
nacho nostro episcopandi gradum hoc dicere, quo-
niam episcopari monachos nostros, nec novum, nec
admirabile nobis est, cum tot, ut ipse nostis, de
Ecclesia illa, famosa Ecclesiarum fulserint et ful-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(67) *Lingonenses canonici*. Lingonæ, seu Lingones
civitas provinciæ Lugdunensis in quam veteres geo-
graphi *Andomatunum Lingonum*, chronicon S. Be-

nigni Divionensis, *civitatem lingonicam* et Frodo-
ardus *lingonum urbem* appellant.

geant sidera, sed quia malum nomen diffamari super filia Israel, nec verus Israelita facere, nec verus Israelita potest sufferre. Quod si Lingonensi Ecclesie multi sæculares clerici, quorum nec multa religio, nec multa scientia eminebat, episcopali nomine non tantum patiente, sed etiam laudante Ecclesia olim principati sunt, quid indecens, si religiosæ Ecclesie religiosus, [sapiens, litteratus monachus, inde in pontificem Lingonensem electus est, unde episcopales, archiepiscopales, patriarchales, et ipsa omnium vertex Ecclesiarum apostolica et Romana sedes, Patres sibi assumere consuerunt? Quod si forte, ut totum quod sentio exhauriam, monachi monachos, religiosi religiosos, Cistercienses Cluniacenses verentur, et minus de illis, de quibus magna confidere deberent, confidunt, purgetur ista suspicio, et omne animal consimile sibi diligere, eique magis adhærere, natura ipsa docente, discat. Unde si in animalibus tantum natura prævalet, in hominibus, et hoc monachis, non tantumdem auctor naturæ valebit? Diliget ergo, si monachus fuerit, Lingonensis episcopus Cistercienses et cæteros monachos, quia diligendo majus sibi lucrum, non diligendo majus sentiet detrimentum. Nec noster monachus aliud audebit quam nos facere diligendo videbit.

EPISTOLA XXX.

Honorando et sæpe nominando THEOTARDO meo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, totum quod est.

Memoria tua semper, ut nosti, mihi suavis et grata dum occurrit (quod pene assidue fit), cor meum spinis curarum dilaniatum, vepribus sollicitudinum exasperatum, ut hausta pigmenta, ut unguenta fragrantia sic leniunt [lenit], sic refovent [refovet], ut me jam me non esse sentiam, et eum qui fueram oblitus, in virum alterum me mutatum gaudeam. Quid fiet ergo? quid fiet, charissime, in re illa quam spe felici sustinemus? in vita dico immortalis et beata, quando in hac mortali, et misera, plenaque vomituum sordiumque humanis mentibus innasci hoc adhuc infelicitum affectibus inesse potest. Quid fiet, quando anima sanctorum, ignoto illius supernæ dulcedinis pastu, sicut adipe et pinguedine replebitur, quando adhuc jejuna et squalens macredine, imo, juxta Evangelium, fame male periens (*Luc. xv*), tantopere, tantillo gustu lætatur? Quid fiet, quando illi, supra quam felices inebriantur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabuntur, quoniam apud eum est

A fons vitæ (*Psal. xxxv*), si guttula illius abundantia huc delapsa hoc operatur? Hæc tamen est, dilectissime, qua te, ut nosti, semper dilexi, semper colui, semper tibi etiam absens adhæsi. Hæc est, quæ magnis spatiis, multis temporibus, à me sejunctum, nunquam ab animo meo avelli passa est, quæ animæ meæ conspectibus te frequenter, imo pene continue, ingerens, nunquam absentem esse permittit. Hæc est, quæ toto hoc anno cor meum assidue stimulans, et diuturnæ absentia tuæ impatiens, ad scribendum charitati tuæ quotidie invitat: quæ nisi curarum obice, sæpe repulsa fuisset, antequam plures dies cogitata implesset. Facit ergo, etiam nunc vix permessa, quod potest, et dilectum absentem requirens, dormientem suscitans, venire differentem invitans, monet, hortatur: et quia differentem huc usque sustinuit, etiam ex imperio præcipit, ut vel antequam ad Montem-Pessulanum (68) iter aggrediar, vel postquam reditum cognoverit, statim venire festinet. Et quia novum casum fratrum Luparciaci (69) morientium audivi, volo ut maturius, imo quam citius poteris, iter acceleres, et usque ad proximam Dominicam Septuagesimæ, tuam nobis Cluniaci præsentiam exhibere non omittas. Non autem idcirco quod plus solito nunc tibi timeam, aut mori jam te plusquam soleam formidem, maxime cum nec mortem alicubi fugere, utique mortalis, possis, et longe amplius tibi exspectanda, exoptanda, quam fugienda sit, sed ut videam Aaron meum, stantem inter mortuos et viventes (*Num. xvii*), et istis quidem curæ, illis autem sepulturæ operam impendentem. Veni ergo, veni: et ne te leviter invitari aestimes, iterum dico: Veni.

EPISTOLA XXXI.

Venerabili et dilectissimo domino, Bethlehemitico episcopo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Frater quidam montis Thabor, ut dicebat, monachus, habitu peregrini nuper ad nos veniens, de beatitudine vestra bonâ plurima nobis retulit, et inter omnes Orientis ecclesiasticas personas, Cluniacensis monasterii vos singularem amicum referens, animos omnium nostrum, ad diligendam et amplectendam reverentiam vestram magnifice incitavit. Quem enim non incitaret, quem non ex intimis commoveret, non cujuscunque, sed Bethlehemitici episcopi, in humiles et remotos pauperes Christi, ab ejus spiritu excitata dilectio? Bethlehemitici, inquam, episcopi, præsepis Dominici custodis, illius præsepis ad quod custodiendum vix justus Joseph et virgo

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(68) *Antequam ad Montem-Pessulanum.* Mons Pessulus, vel Pessulanus, quem et aliqui montem Puellarum dicunt, præclara Volcarum urbs, in quam anno 1536, episcopatus a Magalona proxima insula translatus est, assensu Francisci primi Francorum regis.

(69) *Et quia novum casum fratrum Luparciaci.* Luparciacus, vel ut aliqui rectius scribunt, Luperiacus, burgus Nivernensis diocesis, in quo priora-

tus ordinis Cluniacensis in honore SS. Gervasii et Protasii constructus, cujus et aliquando dominus Gelduinus, ex nobili stemate Puteacensium procerum editus, post voluntariam in Cluniacense cœnobio paupertatem arreptam, prior factus est, ut ex actis delationis reliquiarum S. Stephani protomartyris in Cluniacum tempore Pontii abbatis patet, vulgo *Leurcy-le-bourg*.

Maria admissi fuerunt, illius quod æterna majestas A mortali carne induta, et ad humanos oculos prodiens primum elegit, et in quo præ omnibus terræ locis, cœli Rex primitus requiescere voluit, sicut legitur, *Reclinavit eum mater in præsepio?* (Luc. II.) Gratias igitur illi, cui nato in Bethlehém gloria in altissimis Deo ab angelis cantatum est, qui inter homines bonæ voluntatis vos computans, charisma pacis illius, quæ omnem sensum exsuperat (*Philipp. IV*), cordi vestro inspiravit, et ut etiam ad longe positos, charitatis latum mandatum nimis, per immensa terrarum et pelagi spatia extenderetis, animavit. Hoc nos experti sumus, qui in occiduo et pene ultimo orbe, hoc est Cluniaci, positi, Orientalium specierum fragrantiam sensimus, et in odore unguentorum, hoc est, pretiosarum virtutum vestra- B rum, velut adolescentulæ, hoc est infirmiores, currere cœpimus. Curremus ergo, nec nisi comprehenderimus, currendo deficiemus, donec per affectum, quo currimus, ad domum non transeuntem, sed æternam in cœlis, pertingamus, ubi non tantum de inchoata, sed jam de consummata dilectione et perpetua cohabitatione in Christo lætantes, ei vobiscum sempiternæ cohæreamus. Sit ergo sublimis mater Bethlehém, Cluniacensi filiæ in sempiternum conjuncta, ut quod corporali nequeunt visione, hoc spirituali et sincera expleant dilectione.

EPISTOLA XXXII.

Summo Ecclesiæ Dei pastori, et nostro speciali Patri, domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, filialem in Christo dilectionem. C

Apostolicæ majestati vestræ humilitas mea sæpe scribens, et sæpe rescribens, auribus vestris totius mundi audiendis vocibus occupatis, procax aut nimia esse formidat. Sed solet paterna pietas non solum verbosantem sed aliquando etiam delinquentem filium tolerare. Quem interdum ut corrigat, pro excessibus verberans, non potest tamen ipsa inter verbera non amare. Inde, sumpta audacia, pro domno Lugdunensi archidiacono paternam benignitatem filialis præsumptio rogat, licet quantum ad ipsum nulla petitionis præsumptio, sed justa videatur esse precatio. Meretur hoc, ut sæculare loquar, honestas personæ ejus, meretur hoc erga sublimi- D tatem vestram obedientia et famulatus ejus, meretur hoc circa vestros sedulitas et devotio ejus. Honestas personæ ejus, quia inter Lugdunenses constitutus, non quidem ut Job in terra Hus, sed pro modulo suo, si tamen maximis liceat minima comparare, ut Stephanus diaconus inter condiaconos, ita hic ejusdem nominis archidiaconus, inter con-

canonicos prudentiæ et honestatis vexillum sublimius extulit, et eo tempore, quo apud hujusmodi homines omnia pene corrupta sunt, insigne clericalis ordinis inviolatum servavit. Quis enim unquam ejus vitam infami aliquo nomine foedavit? Quis ejus honestatem inhonesta aliqua suspicione, ne dicam accusatione, tentavit? Quis ejus a puero conversationem, quod perrarum est, aliquo susurro, non dico probro, sollicitavit? Meretur hoc, ut dixi, obedientia et famulatus ejus, quia, ut aliis omissis, de instanti tempore loquar, pene solus, imo solus, injunctam per legatos vestros in Lugdunensi Ecclesia apostolici præcepti servavit obedientiam, et quod jam non accusans dico, solus universorum vitavit contumaciam. Meretur hoc circa vestros sedulitas et devotio ejus, quibus omnes vestros, et specialiter Cluniacenses, quos specialius vestros credit, amplectitur, juyat, defendit. Non tantum vero illos, sed quoscunque nota aliqua religionis religiosos esse præsumit, colligit, sustinet, obsequitur, domumque vel domos suas, non solum hospitium, sed eorum esse asylum, assidua pene eorum receptione vel procuratione, demonstrat. Ista omnia sanctissimo Patri bonum filium, etiam absque commendatione mea, scio quia gratum exhibent; sed utinam testimonio meo, quod videndū et audiendū perhibeo, gratiorem paternæ pietati exhibeant! Est ei causa coram Patre cum quibusdam, quos quia et ipsum nostis, non est necesse inde sapientiam vestram instrui, maxime quia ejus vos vicarium esse cognoscitis, qui reddet unicuique secundum opera ejus.

EPISTOLA XXXIII.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et obedientiam.

Magna materies multa me loqui cogeret, sed auribus majestatis vestræ importunus, aut nimius esse formido. Eapropter, dilectæ et diligendæ paternitati vestræ humiliter suggero, litteras nuper a vobis mihi directas, me filium vestrum, et totum semper vobis subditum et devotum conventum, quoniam insolita et damnosa præferēbant, graviter vulnerasse. Insolita, inquam, et damnosa præferēbant, quia decimas, quas usque ad hæc tempora, per ducentos et eo amplius annos vestra Cluniacensis Ecclesia indifferenter ab omnibus suscepit, et indifferenter omnibus reddidit, auferebant. Insolita, inquam, et damnosa præferēbant, quia quod vere nunquam de quolibet parvo Cluniacensis Ecclesiæ membro factum audivimus, in magno monasterio Gigniaco (70) post quadraginta dies divina offi-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(70) *In magno monasterio Gigniaco.* Gigniacum monasterii Clun. membrum, de quo et S. Bernardus epist. 283 ad Eugenium papam: « Apud Cluniacum, inquit, occurrimus Gigniacensibus spe pacis, pro qua laboratum multum, elaboratum nihil. Nam totum quatruiduanum laborem nostrum sola demum secuta est ruina spei. Si quidem abbatia

una, ne per singula vagemur, tota destructa est. » Et ipse Petrus Venerabilis infra, epist. 55: « Jam de sententiâ super Gigniacenses absque vocatione, absque audientia prolata, quid dicam, non invenio. Nam nunc primum in monachos Clun. excommunicationis vel interdicti sententiâ ab apostolica sede promulgata est. »

cia propter repetitas parochiæ suæ decimas interdicerant. Et cum a sanctis prædecessoribus vestris multis privilegiis confirmatum sit, ut fratres Cluniacensis, non solum omnium parochiarum suarum decimas (71) absque alicujus contradictione suscipiant, sed etiam quas propriis excolebant sumptibus relinerent : noluerunt tamen uti hac potestate, scièntes scriptum esse : *Væ illi per quem scandalum venit* (Matth. xxiii). Unde humiliter ac modeste decimas tam rusticorum quam mancipiorum suorum, non solum monachis, canonicis, sed etiam quibuslibet clericis, presbyteris, militibus raptoribusque persolvunt. Cumque ipsi universis debitas, atque indebitas decimas, vel quælibet alia pacifice reddant, cur non et ab aliis quiete suscipiant? Dedit ipse Cisterciensibus fratribus, teste domino Clarevallensi abbate, quibusdam in locis decimas, sed tanta jain est, per Dei gratiam, ipsorum et aliorum religiosorum ubique terrarum in circuitu nostro numerositas, ut si omnibus decimas indulserimus, jam decimam fere numeri nostri partem perdamus. Nam si brevitatis pateretur, ostenderemus quamplura monasteria nostra ita a diversis religionibus circumsepta, ut ad duas vel unam leucam, unum vetus quinque vel septem novis monasteriis sepiatur. Quæ in parochiis nostris, et cum assensu, et sine assensu nostro contra jus canonicum constructa, majorem partem jam parochiarum nostrarum obtinent. Quibus omnibus si decimæ concedantur, oportebit ut nostri, aut, sicut dixi, numerum suorum minuant; aut forte in quibusdam locis loco pariter et domibus cedant. Rogat igitur, venerabilis Pater, fidelis et semper subjecta majestati apostolicæ congregatio vestra, ut ab amore paterno novi filii veteres non expellant, quoniam et si novi diligendi, non tamen propter novos, nisi promeruerint, sunt veteres abjiciendi. Recordamini quantum ab antiquis in populo Dei primogenitis deferretur, ut nisi Esau primogenita vendidisset, nunquam ei licet sanctior Jacob in primogenitorum dignitate, non dico præferretur, sed nec etiam conferretur. Si ergo primogeniti sumus, dignum est ut quod non vendidimus, pro junioribus non perdamus. Si aliter res processerit, quod salva Patris gratia dico, aut sua mecum Ecclesia retinebit, aut sine me hucusque juste possessis carebit. Nostis ipse cor meum, cujus, utinam! vel hac, vel quælibet occasione non subitum, sed antiquum compleatur desiderium. Unde iteratis precibus precatur universitas filiorum vestrorum, rogo et ipse qualiscunque tamen vester, ut si aliud ad præsens non placet, sententiam saltem interdicti usque ad Pascha Domini differatis, quatenus infra

A hoc spatium sapientes fratres ad vos mittere, et per eos tam de his quam de aliis vobiscum agere possim.

EPISTOLA XXXIV.

Venerabili fratri et dilectissimo amico, domno AIMERICO apostolicæ sublimitatis cardinali et cancellario, frater PETRUS humilis Cluniacensis abbas, salutem.

Cum naufragium imminet, nusquam tutius quam ad portum; cum pericula formidantur, nusquam salubrius quam ad amicum recurritur. Eapropter quoniam ventis e regione propellentibus navis nostra naufragium perpeti reformidat, vos potissimum elegit, cui et pericula nota facere, et per quem contraria universa valeat evitare. Quod si multa materies multiplicare me verba coegerit, rogo vos, patienter ferte, quia nemo potest breviter dicere, quod verborum multitudo vix valet explicare. Possunt quidem quandoque multa breviter dici, sed ubi brevitatis sententiarum pondera non extenuat, non ubi intellectui multa necessario intelligenda defraudat. Invaluit et seguitia modernorum, quæ mox superfluum vocat, quidquid cum ejus desidiâ non concordat. Non sic apud antiquos, quorum si sapientia vestra recordari voluerit, etiam longissima nostra novissima reputabit. Accepi litteras a majestate Patris, humilitati meæ transmissas : quæ si, ut mihi soli missæ sunt, me solum læderent, facilis unius hominis læsioni consolatio subveniret. At nunc in communem monasterii nostri interitum litteræ militant, quæ tanto amariores videntur, quanto præter solitum apparuisse probantur. Nam quæ olim mel et lac a paternis uberibus filiis profundeabant, meo nunc tempore, quod humili corde, sed non sine intimo dolore dico, myrrham absinthiumque propinant. Quod si propter peccata mea (quod non discreto), tempestas hæc contra Christi naviculum, quam ipso committente perita manus illius regit, insurrexit, ut voce prophetæ utar : *Tollat me, et mittat in mare, tantum cesset mare a naufragantibus* (Jon. 1). Quid enim? Nonne illa est, de qua nunc agitur, Cluniacensis Ecclesia, illius, cui Deo auctore præsidet, dicta et credita præ totius mundi subditis Ecclesiis singularis filia? Nonne illa est, qua etsi quælibet alia gradu ecclesiastico celsior, nulla tamen inventa est in Patris gratia prior? Nonne illa est, quam summi Ecclesiæ Dei pastores, sancti ejus prædecessores, a primo, ut dicitur, foundationis lapide velut in gremio suo foverunt (72), dilexerunt, auxerunt, provexerunt? Nonne illa est, quam fovendam, diligendam, augendam, provehendam, ab illis officio suscepit, verbis promisit, in ge-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(71) *Ut fratres Clun. parochiarum suarum decimas.* Supra epist. 28.

(72) *Nonne illa est Clun. Ecclesia, quam summi Eccl. pastores a primo foundationis lapide in gremio suo foverunt.* Willelmus Aquitanorum dux in testamento de constructione Cluniaci, Ludovicus

Transmarinus Fr. rex in præcepto De Salustriaco et aliis ad Cluniacum pertinentibus locis, Urbanus II in Libertate Cluniacensis cœnobii, et alii Rom. pontifices, quorum diplomata jam alibi descripta sunt.

nerali capitulo confirmavit? Sed hunc novo ordine de luce tenebræ ortæ sunt, dies in noctem mutatus, serena cœli facies in horrendam tempestatem conversa. Et ne forte suspicemini me hæc velle verbis exaggerare, noveritis me amico in veritate loquentem, non solum ad exaggerandum nihil dicere, sed ipsum aggerem perturbatarum cogitationum vix posse explicare. Novi ipse cor meum, novi et sacri conventus plusquam dicere possim moestificatum animum, quoniam ea isto tempore audierunt, quæ nunquam ante audita nullo pacto sperare potuerunt. Quando enim solo arbitrio, sine iudicio, quælibet non dico Clun., non dico Ecclesia, sed saltem vilis muliercula suo jure ab apostolica justitia spoliata est? Quando res aliena aliis absque illorum, cujus est assensu, vel voluntate concessa est? Quando de aliorum bonis violenter extortis, grata Deo oblatio facta est? Hoc præcipiunt nobis litteræ apostolicæ, ut a monachis vel canonicis regularibus decimas non accipiamus, cum nos monachis, clericis, canonicis regularibus, et, si dici posset, sæcularibus, monialibus, militibus, raptoribus etiam persolvamus. Nec de illis decimis loquor, quas de agricultura sua rustici seu agricolæ reddunt; sed de illis quas fratres nostri propriis manibus, vel sumptibus excolunt. Inde habent Cluniacenses plura et vetera: unde Cistercienses singularia et nova se dicunt habere privilegia. Sed scientes sententiam Domini: *Væ illi per quem scandalum venit (Matth. xviii)*, nolunt uti potestate concessa, ne existentes origo et causa scandalorum, digni iudicentur ut suspendatur mola asinaria in collo eorum, et demergantur in profundum maris.

Sed aiunt quidam de alieno munifici: Illi pauperes sunt, illi divites. Debent ergo divites pauperibus subvenire. Et recte. Sed attendant quod ait Salomon: *Ubi multæ divitiæ multi et qui comedunt eas (Eccl. v)*. Et quia *quandoque ditior est pauper in tugurio, quam rex in solio*, quia ille si satur est, jam nullius eget; iste multis millibus dum providere non sufficit, mendicat. Novit mundus, in quos usus Cluniacus redditus agrorum, in quos pecunias, in quos decimas, in quos quæ habet expendat. Requirit prius et conferat diligenter curiosius indagator Cluniacenses, et Cistercienses redditus cum expensis, et demum de divitiis vel paupertate sententiam ferat. Sed esto. Pauperes illi, divites isti. Agatur iudicio. *Non accipies, inquit lex æterna, personam*

A pauperis, nec honores vultum potentis (Levit. xix). Item in Exodo: *Pauperis quoque non misereberis in iudicio (Exod. xxxiii)*. Si misericordia impendenda est pauperi, nunquid irroganda est injuria a paupere? Si danda est ei eleemosyna, nunquid exercenda est ab eo rapina? Monstruosum prædæ genus, si laborent divitibus sancti pauperes extorquere, quod pessimi divites pauperibus solebant auferre. Nec blandiantur sibi illi fratres nostri, si hæc propriis manibus non faciunt, quia non ascendit in montem Domini, nec stat in loco sancto ejus tantum innocens manibus, sed mundo corde (*Psal. xiv*). Unde qui verbis de corde prodeuntibus aliorum manus exagitat, alienum se ab eorum opere nulla dissimulatione excusat. Contuli ego, dum ex charitate rogaverunt, quasdam eis decimas; sed aliud est quod sponte Deo offertur, aliud quod violenter auferitur. Fuisset utcunque tolerabile certis hoc et paucis locis concedere; sed tanta est per gratiam Dei multiplicatio novæ segetis, ut si, velut illi exigunt, novis veteres coguntur cedere, antiquos labores oporteat deperire. Dilexi ego, et semper diligere volo fratres illos, sicut mihi nostra et ipsorum congregatio attestatur, sed attendendum eis est, si servi Deo sunt, ne eorum occasione, vel (quod pejus est) studio, charitas virtutum omnium perfectio et finis lædatur. Nam, ut quod verum sentio dicam, tale inde scandalum præparatur, quod nostro quidem tempore incipere, sed nostra nunquam ætate valeat terminari. Non unde obedientia subtrahatur; sed unde, quod majus est, charitas perimatur. Perimatur dico, non lædatur, quia vere non tantum apud nostros sed apud universos, in quos decretum hoc prolatum est, non solum læditur, sed etiam extinguitur. Novit prudentia vestra Ecclesiam Dei unguentó, non cauterio indigere, baculo sustentandam, non impulsu præcipitandam esse, maxime hoc tempore, quando viribus exhaustis magna pars ipsius membris trementibus nutat, et late jam patente scandalorum campo, dies instare videntur, de quibus Dominus ait in Evangelio, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (Matth. xxiv)*. Jam de sententia super Gigniacenses absque vocatione, absque audientia prolata, quid dicam, non invenio. Nam excepta tempestate, quæ per dominum Pontium excitata est, nunc primum in monachos Cluniacenses excommunicationis, vel interdicti sententia ab apostolica sede promulgata est (75). Sed et

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(75) *Nunc primum in monachos Clun. excommunicationis vel interdicti sententia promulgata est.* Unum ex præcipuis Cluniacensium privilegiis ab apostolica sede quondam impetratis reperitur, ut nullus episcopus vel sacerdos in eorum loca vel in eos excommunicationis aut interdicti sententiam ferat, Alexander II papa in rescripto ad Hugonem abb. Clun. « Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione ut isdem locus sub nullius cujuscunque episcopi vel sacerdotis deprimatur interdictionis titulo, seu excommunicationis vel anathematis vinculo. Non enim patitur sanctæ sedis apo-

stolicæ auctoritas ut nullius cujuscunque personæ obligatione proscindatur a se cuilibet concessa liberalis libertas, neque ipsius loci fratres ubicunque positi cujuscunque episcopi maledictionis vel excommunicationis vinculo teneantur astricti. Inhonestum enim nobis videtur ut sine nostro iudicio a quoquam anathematizetur sanctæ sedis apostolicæ filius, veluti cujuscunque subjectæ Ecclesiæ discipulus. » Et Urbanus etiam II ad eundem Hugonem scribens: « Porro sicut a beatæ memoriæ papa Gregorio in Romana synodo, et a nobis nuper in Placentina statutum est, præsentis privilegii aucto-

illud, quod in eadem Domini nostri epistola continebatur, quasdam sibi litteras fraudulenter extortas, non parvum mihi et his, qui audierunt, stuporem, ingessit.

Quis enim fraudem hanc fecerit, quis extorserit, quis tanti criminis auctor fuerit, cum diu inter nos quaereremus, invenire non potuimus. Hoc tantum recolo me a sancto Ambrosio cursorem domino papae, et vobis misisse, atque per eum scriptum huiusmodi capitulum, sicut ex eadem, quam misi, membrana postea collegi, in haec verba transmississe. Ut monachis de Miratorio (74), qui decimas auferunt fratribus nostris Gigniacensibus, et a potentibus faciunt eos deprecari [depraedari], scribatur, ut decimas reddant. Cujus hic, rogo, fraus esse potuit? Si cursoris, mirum est, quod tantillus hominulus, tantos orbis iudices fallere potuit; si capituli, neque hoc minus mirum: nam cum fraus dicatur, quando studio fallendi falsitas praetenditur, veritas occultatur, quomodo fraudulenter litterae extortae sunt, quae nihil veritatis, studio fallendi occultaverunt nihil falsitatis praetulerunt? Quod si quilibet hoc Patris nostri auribus insusurravit, tunc ei dignum erat credere, quando eo praesente, qui scripsit, falsi eum aliquid conscripsisse potuerat comprobare. Ante autem de indiscussis sententiam ferre, quid est aliud quam solo arbitrio absentem damnare? Non se putabant nostri tale apud suum dominum meritum reposuisse, pro cuius obedientia et servitio dicuntur se, suaque pene omnia expendisse. Sed ne jactare propria videar, ista interim conscientiae ipsius dimitto, pro universis quae numerare possem deprecans, ut Ecclesia sibi a Deo commissa, et si non augmenta, saltem nulla quae non meruit, sentiat detrimenta. Memor sit propriis se manibus illam Ecclesiam consecrasset, quod ejus praedecessores nonnullos valde certum est praepoptasse. Quam si diminuerit, videbitur destruxisse

ANDREAE CHESNII NOTAE.

ritate decernimus, ut nulli sit archiepiscopo, nulli episcopo, nulli apostolicae sedis legato facultas, sine certo Romani pontificis praeepto, adversum vos, aut vestrum coenobium excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam. Imo et ipsis abbatibus Clun. aliquando concessum malefactores ac depraedatores rerum suarum, si ad satisfactionem compelli non possent, in provincia praesertim Lugdunensi, candelis etiam accensis excommunicare. Sic enim Innocentius papa: « Nos, inquit, monasterium vestrum contra molestationes indebitas speciali volentes libertatis privilegio communire, ad exemplar felicitis recordationis E. papae praedecessoris nostri praesentium auctoritate statuimus, vobisque benignius indulgemus, ut universos malefactores vestros, et hominum vestrorum, qui de provincia fuerint Lugdunensi, si eorum episcopi et Ecclesiarum praelati a vobis tertio requisiti eos ad satisfactionem vobis congruam exhibendam non duxerint compellendos, licitum vobis sit, vestrisque successoribus illos candelis accensis auctoritate apostolica excommunicationis sententiae atque interdictionis subjicere. quos tandiu nuntietis excommunicationis et interdictionis vinculo innodatos, donec de perpetratis excessibus satisfecerint competenter; et si delicti qualitas hoc exegerit, ad apostolicam

A quod visus fuerat construxisse. Insultabunt, quod jam ex parte coeperunt nobis inimici ejus, quorum multitudo ubique, et si non aperte contradicit, tamen aperte odit, nec cessabunt dicere quod solent dicendo frequentare: Ecce, Cluniacenses, habete papam vestrum, quem vobis spreto monacho vestro elegistis. Talem spem talis digne sequitur merces. Sed quia, charissime, magni, quam semper in vobis habui, amoris fiducia me diffusius forte quam debui loqui compulit, rogo ne miremini, quoniam et magnum Ecclesiae nostrae super hac re murmur, et lingua, quae deerat, mediatoris nuntii, me tanta imprimere chartis verba coegit. Nunc igitur ea spe, qua vobis post dominum papam universa Ecclesia Dei, et specialiter Cluniacensis innititur, laborate obsecro, ut in melius sententia commutetur, quia miram sapientibus videri non debet, si homini tantis totius mundi curis in diversa distracto, quilibet sua quaerens subripere potuit; sed valde mirum videbitur, si postquam perniciosum cognoverit, tantus pastor ovibus non providerit. Quod si praesens aliud non placet, sicut eum litteris propriis rogavi, illius novi interdicti asperitatem usque ad proximum pascha differat: quia usque ad tempus illud mittere ad eum, etiam antequam ista audirem, nuntios idoneos proposueram. Sed tempus praefixum tam breve est, ut nisi cito cum indulgentia nuntius remittatur, Gigniacense monasterium in ipsa Domini Nativitate (quod vix sine lacrymis dico), divinis officiis careat, et corda fratrum nostrorum nunquam delendus saevae amaritudinis dolor inurat. Has familiares litteras illi tantum post vos, rogo, videant, qui negotium nostrum non impedire, sed pro viribus studeant adjuvare.

EPISTOLA XXXV.

Charissimis et venerabilibus fratribus nostris, domno abbati Cisterciensi (75), Clarevallensi, Pontiniensi,

D sedem cum litterarum vestrarum testimonio venerint absolvendi. »

(74) *Ut monachis de Miratorio.* Cujus et abbatem consanguineum suum vocat epistola ult. libri vi, his verbis, « De consanguineo meo abbate Miratorii mirando et admirabili, quid dicam, non invenio. »

(75) *Domno abbati Cisterciensi.* De primis ordinis Cisterciensis initiis nemo melius quam Caesarius Heisterbachensis lib. i Miracul. cap. 1: « In episcopatu, inquit, Lingonensi situm est coenobium, nomine Molismus, fama celeberrimum, religione perspicuum, viris illustribus nobilitatum, possessionibus amplum, virtutibus clarum. Et quia divitiis virtutibusque diuturna non potest esse societas, viri nimirum sapientes, et virtutum amatores, alius intelligentes, licet honeste in praefato coenobio viverent, minus tamen ipsam quam professi fuerant, Regulam qualiter observarent considerantes, habito inter se communi consilio viginti et unus monachi una cum patre suo Roberto, unanimi assensu, eodem spiritu venerunt in locum horroris et vastae solitudinis, nomine Cistercium, ibi vivere cupientes de opere manuum suarum secundum Regulam praeeptum. Anno igitur Dominicae Incarnationis 1099, venerabilis Hugonis Lingonensis Ecclesiae episcopi,

et aliis (76) in Christi nomine congregatis, frater A
 PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et
 veram in Domino dilectionem.

Quo affectu, dilectissimi, inter omnes religionis
 professores universitatem vestram semper dilexerim,
 quo honore veneratus sim, quibus, quod non impro-
 perans dico, beneficiis quosdam vestrum, pro posse
 et tempore, prosecutus sim, novit testis et conscius
 meus in excelso, novit et integra ubique terrarum
 posita nostrae Ecclesiae congregatio, noverunt, et si
 non omnes, tamen multi vestrorum, quos aut per
 me ipsum agnoscere, aut quorum notitiam aliis
 mediantibus quolibet modo accipere praevalui. Causa
 hujus meae erga vos dilectionis, non retributio per-
 cepti, vel spes percipiendi alicujus temporalis com-
 modi fuit, sed ille totius negotii origo et materies B
 exstitit, quem quia in se non poteram, in vobis ta-
 libus officiis excolebam. Venerabar in vobis novae
 institutionis fervorem, laboris instantiam, victus
 parcimoniam, vestitus vilitatem, et alia innumera
 monastici propositi sonantia humilitatem. Ample-
 ctebar totius animi brachiis sanctorum exercitia
 operum, et bonum nominis vestri odorem inhians
 hauriebam, nec aliquem sinistra de vobis interpre-
 tantem pacatus audire valebam. Non eram conten-
 tus ista solus de vobis sentire, sed vester praedica-
 tor effectus, nostris et alienis conversationis vestrae
 praeconia praedicabam, et privatim ac publice mul-

lis laudibus quae vestra sunt efferens, etiam aversos
 ad vestrum amorem multorum animos convertebam.
 Et quia per gratiam Dei cum invidia tabescente iter
 non habui, dederat ipse efficaciam sermonibus meis,
 et fratrum nostrorum corda ille qui facit utraque
 unum (*Ephes. ii*), ita unitate spiritus sui vobis uni-
 erat, ut sicut fide, sic et charitate, jam non duae, sed
 una congregatio credi posset. Instabam ego augendo et
 confirmando amori, ut salus, quae sine charitate
 servari non potest, illaesa maneret, et signum disci-
 pulatus Christi in nostris appareret, quo suos disci-
 pulos ab alienis distinguendes docuit dicens, *In*
hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si di-
lectionem habueritis adinvicem (*Joan. xv*). Gaudebat,
 ut credo, de concordia nostra ordo caelestis, et
 evangelistae pacis, pacis spiritus hominibus bonae
 voluntatis collaetabantur (*Matth. xiii*). Sed non
 tulit invidus hostis aliorum se diutius felicitate tor-
 queri, et inimicus homo semini divino nocturnum
 superseminavit zizania (*Luc. ii*). Jecit inter nos po-
 mum discordiae, ut recedente una et sola charitate,
 universa virtutum genera minore labore valeat ef-
 fugare, et praeciso honorum omnium capite, mem-
 bra simul omnia cogantur interire. Sic plane, sic
 fecit, quando ne a vestris decimae Cluniacensibus
 fratribus, vel aliis redderentur, et hoc privilegio
 apostolico firmaretur, nescio quibus, quia scio non
 omnibus, persuasit. Quis enim credat hoc vobis

ANDREAE CHESNII NOTAE

et tunc sedis apostolicae legati, atque religiosi viri C
 Walteri Cabilonensis antistitis, nec non et claris-
 simi principis Odonis ducis Burgundiae, consilio et
 auctoritate roborati, in praedicto loco abbatiam
 construere ceperunt. Et quia coenobium, de quo
 exierunt, constructum fuerat in honore beatae Dei
 genitricis Mariae, tam ipsi quam eorum successo-
 res de eodem novo monasterio propagati, omnes
 suas ecclesias in honore ejusdem gloriosae Virginis
 censuerunt esse dedicandas. » Robertus igitur ab-
 bas Molismi primi Cisterciensis ordinis innovator
 exstitit; et licet non multo post monachis Molis-
 mensibus cum instantia suum abbatem requirentibus,
 jussu secundi Urbani, consensu Walteri Cabilonen-
 sis episcopi reductus sit; attamen quia sanctitatis
 tantae fuit, ut etiam post obitum in sanctorum nu-
 mero collocari meruerit, nec ejus bulla canoniza-
 tionis, quam Honorius III decrevit in Chronico
 Cisterciensi nuper edito, reperitur, illam humani-
 tate D. Nicolai Camuzatii Trecensis canonici nobis D
 suppeditatam hic attexere peropportunum judica-
 vimus. Est autem hujusmodi: « Honorius episco-
 pus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et
 conventui Molismensi salutem et apostolicam bene-
 dictionem. Cum olim per litteras et nuntios vestros
 supplicassetis instanter, adjuti testimoniis et inter-
 cessionibus plurimorum, ut sanctae memoriae bea-
 tum Robertum, cujus corpus in vestra requiescens
 Ecclesia multis et magnis miraculis coruscabat,
 sanctorum catalogo ascribere deberemus; Nos, ne
 in tanto negotio videremur uti aliqua levitate, tam-
 de vita ipsius quam de miraculis per venerabiles
 fratres nostros Lingonensem et Valentinensem
 episcopos mandavimus inquiri: cum ad id ut ali-
 quis habeatur sanctus in Ecclesia militanti, necesse
 sit ut et verae fidei, quae per dilectionem operatur,
 sana merita cum perseverantia finali praecedant, et
 clara miracula subsequantur, nec alia sine aliis

plene sufficiant ad indicium sanctitatis, eo quod
 nonnulli faciunt opera sua, ut videantur ab homi-
 nibus, et nonnunquam angelus Satanæ se in lucis
 angelum transfigurans hominibus frequenter illudit,
 sicut de Magis legitur Pharaonis. Cum itaque inqui-
 sitores praedicti nobis super his plene rescripsis-
 sent veritatem, quia licet nobis quaedam miracula
 quae post mortem fecerat intimarint, de his tamen
 quae in vita fecisse dicitur fidem plenariam non
 fecerunt; nos ne precibus vestris videremur om-
 nino deesse, concedimus vobis ut cum tanquam
 sanctum in vestra Ecclesia venerantes, ejus apud
 Deum suffragia fiducialiter imploretis. Datum Late-
 rani vi Idus Januar. an. vi. »

(76) *Claravallensi, Pontiniensi, et aliis.* « Pri-
 mae Cistercii propagines, inquit praefatus Caesarius,
 Firmitas, Pontiniacum, Claravallis, Morimundus.
 Istarum quatuor domorum abbates tantae auctoritatis
 sunt, ut abbatem Cisterciensem visitent simul, et
 singillatim ab eo versa vice visitentur. » De Clara-
 valle jam diximus supra. Nunc de Pontiniaco quae-
 dam addere sufficet ex Roberto Sancti Mariani mo-
 nacho, qui de ejus fundatione et abbate primo sic
 in Chronologia sua loquitur: « Anno 914, Pontinia-
 cense coenobium fundatum est in alodio Hildeberti
 canonici Antissiodorensis matris ecclesiae, eodem
 Hildeberto rogante sub Umbaldo venerabili episcopo
 tunc Antissiodoro praesidente. Hujus coenobii primus
 abbas exstitit dominus Hugo vir religionis eximiae
 et praecipuae honestatis. » Nec alienum fortassis a
 veritate fuerit, hunc Hugonem ipsissimum esse
 Pontiniensem abbatem suspicari, cui Petrus noster
 hic, ut et sanctus Bernardus, epist. 53 scribit, cum
 praesertim idem Bernardus Claravallensis abbas, ad
 quem etiam haec Petri epistola dirigitur, una quo-
 que cum dicto Hugone scribat et Honorio papae
 epist. 46 et 49, et Odoni Majoris-Monasterii abbati
 in calce epistolarum Ivonis Carnotensis episcopi.

omnibus persuasum? Quis, inquam, credat semel mundo mortuos, ei iterum vivere velle? Quis credat sanctum collegium vestrum luxus et sæculi delicias pro Christo sprevisse, et nunc pro egestate, sordibus et miseriis litigare? Sed non debent, aiunt quidam ex vestris, laborum nostrorum decimas alieni accipere. Parco longissimis et ex divinis auctoritatibus congestis responsionibus, quæ epistolari brevitate facile comprehendi non possunt [possent]. Hoc tantum infero antiquis modernis patribus filios justitiæ ordine subdi: et quod Ecclesiam constat salva fide et charitate hactenus tenuisse, periculosum, si mutetur, existere. Patrum temporibus decimas, non tantum laici, sed Ecclesiæ Ecclesiis, monasteria monasteriis, et de rusticorum operibus, et de propriis laboribus persolvunt.

Si igitur horum metas exceditis, quid nisi maledicis detrahendi occasionem datis? Sed de lucro res agitur. Quod certe, quod lucrum putatur, ubi et fama læditur, et charitas periclitatur? Nam, ut quod verum est, fratribus et amicis fatear, hoc uno verbo velut uno jaculo amicorum pariter et æmulorum pectora terebrastis, et episcopos, clericos, abbates, monachos, ipsos etiam ad quos pervenire potuit, laicos, adversum vos unanimiter concitastis. Nec potuit Satanas nequitiae suæ utilius invenire consilium, quam ut eos, quos mundus admirabatur, ne admirans imitaretur, nota cupiditatis inureret, et alios læsionis suæ dolore stimulos, ab eorum amore revocaret. Sed angit nos, inquiunt aliqui vestrorum, paupertas. Et ubi est quod Dominus ait: *Væ illi per quem scandalum venit. (Matth. xviii)* Et iterum: *Expedit ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris? (ibid.)* Ubi est, quod ait Apostolus: *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem? (I Cor. viii.)* Nonne et hæc vox vestra esse deberet: Non manducabo ex decimis his in æternum, ne fratrem meum scandalizem? Et Apostolus quidem ne idolothyta manducasse putaretur, hæc dicebat. At vos quid dicetis, quos, ut salvo fraterno amore loquar, illicita comedere non fert dubietatis opinio, sed iudicii certitudo? Sed forte dicitis hanc scandalorum sententiam nostros magis arguere, qui quod eis superfluit, nolunt pauperioribus erogare. Concedo, quod ditiorum copia aliorum debet inopiam sublevare. Sed quis nostrum, vel vestrum ditior, an pauperior sit, nec tempus est quærendi, nec facultas disserendi. Hoc tantum interrogo. Si ditior non vult pauperiori propria tribuere, pauperior debet ditiori sua auferre? Quis magis videtur injustus, dives parcus, an pauper violentus? Quis majore dignus est supplicio, retentor priorum, an raptor alienorum? Sed hæc ego, dilectissimi, non amaro animo dico, sed sicut fratres meos charissimos moneo. Nec tantum ad hæc scribenda me coegerunt lucra decimarum, quam damna animarum. Quæ enim vobis vel nostris ultra spes in laboribus, quæ in jejuniis, quæ in vigiliis, quæ in

castitate, quæ in eleemosynis, quæ in aliis sacrorum operum exercitiis, remota, ut supra dixi, charitate esse poterit? Quid memorem apostolica verba, quæ semper mente tenetis? Quid replicem, quæ assidue ruminatis? Nostis, quid Apostolus de linguis hominum et angelorum, quid de facultatibus erogatis in pauperes: quid de trahendo corpore ita ut ardeat (*I Cor. xiii*), quid ipse Dominus de munere ad altare oblato dicat (*Matth. v*). Hæc ideo brevissime tango, ut cum ista, quæ digniora sunt, absque charitate nihil esse probantur, reliqua omnia quæ inferiora sunt, nihil penitus sine illa valere monstrentur. Et ne diu longioribus epistolis aures sanctitatis vestræ detineam, legatione functus gregis mei oro pariter et consulo, oro ut supplex, consulo ut amicus, ut in causa ista, quæ nunc agitur, decimarum, vobis pariter et nobis consulatis, vobis ne infamiam, nobis ne violentiam inferatis, et ne nobis simul, ac vobis charitatem Christianarum animarum unicum remedium auferatis. Nihil sacer-conventus vester poterit consultius invenire, quam si charitatem, quæ Deus est, inter nos non permittis interire.

EPISTOLA XXXVI.

Charissimis et venerabilibus fratribus in Christi nomine apud Cistercium congregatis, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, ob quam convenerunt, æternam.

Relatum mihi est a pluribus quod litteræ quas præterito anno charitati vestræ mea humilitas destinavit, quosdam vestrorum læserint, et a stabilitate non jam novitiæ, sed antiquæ dilectionis eorum animos paulum commoverint. Quæ postquam didici, ferre non valui: ut tanta tandiu inter nos habitata charitatis dulcedo, quibuslibet occasionibus, vel in modico amarescat. Unde iterato præsentem epistolam mitto, ut, si ita est ut audivi, læsioni, quam prima intulit, sequens medeatur, et glutino sancti Spiritus diversa conjungente, quantalibet nostrarum scissura mentium uniat. Viderint primæ illius epistolæ lectores, quo eam spiritu legerint, quo sensum ejus interpretati sint. Novi ego me (quod tamen sine fastu aliquo dictum accipite) non superbiam, sed humilitatis, non discordiæ, sed pacis, in dictando spiritum habuisse, et teste eo quem fallere non possum, charitati quam in cordibus nostrorum, decimarum illarum occasione, periclitari videbam, eo modo providere voluisse. Et quia, *Væ peccatori, dicitur, terram ingredienti duabus viis (Ezech. ii)*, nolui, juxta Prophetam, in corde, et corde loqui (*Psal. xi*), nec coram amicis, inter quos omnia nuda esse debent, duplicitatis velamine cor velare, ut dum nodum sine tegmine sapientiæ vestra videret, communi congregatorum consilio ad dissolvendum efficacius laboraret. Hæc tota fuit causa scribendi, quæ si tunc ignota aliquos scandalizare potuit, nunc saltem me manifestante relecta, opto, et precor, ut fratribus charissimis ad plenum satisfacere possit.

Quiesco enim et quiescam in vobis, delector et delectabor in vobis; etiam læsus non discedam a vobis. Quod tamen tantopere cupio servare vobis, servate nihilominus et nostris et nobis.

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA PRIMA.

Petrus humilis Cluniacensium abbas, nec nominandæ faci hæresum.

Licet bestialis insipientia, profunda stultitia, et omnimoda ineruditio tua erraticos sensus tuos contemnere, nec saltem vili responsione dignos esse persuadeant, sunt tamen duo, quæ ad tibi respondendum, animum erga te nauseantem instigant. Unum, quo gregis mei infirma curare, confracta solidare, perdita requirere, debilia confortare præcipior; alterum, quo consociatas tibi simplices oviculas diutina cohabitatione tabe tua infectas esse formido. Non quod talis sis, cui fidem accommodare aliquis, aut possit, aut debeat, sed quia tuo illo insulso, et ridiculoso eloquio, sicut nullum attrahi potuisse confido, sic forte incautis aliquibus te materiam illicita cogitandi talibus næniis dedisse, non nego. Unde vel te, si legere volueris, et intelligere valueris, scriptura hæc brevis ad salutem, a qua excidisti, revocare poterit, vel ab aliis conceptam forsitan scâdalorum materiam amputabit. Vetustissima hæc tua hæresis est, et ab Apollinari quodam erroneo antiquitus adinventâ. Quæ mox, ut spirare visa est, Patrum est validis rationibus et innumeris auctoritatibus suffocata. Quas quia nec ad manum habere, nec forte intelligere bruto pectore posses, hunc tibi brevem, satisque, ut æstimo, cuilibet clarum confeci tractatum, ut aut meo, si fieri potest, labore a tam scelestâ opinione resipiscas, aut si in reprobum sensum datus es, absque meo discrimine pereas. Et ne ultra rem differam, velut scarabeus de veteri putredine creatus mussitas, et stridore dissono aurès fratrum exasperas, dicens Salvatorem nostrum humanam non habuisse animam, cum in eo carnis humanæ non neges naturam. Monstruosum quidem hoc tempore de fide disputare, quando jam princeps mundi de mundo ejectus est, quando jam dominatur Christus a mari usque ad mare, quando jam omnes docibiles Dei facti sunt, postquam secundum Isaiam: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis* (Isa. xi), postquam Satanas diuturno tempore paganis impugnantibus, hæreticis disputantibus fidem Christi persequens, ita pharetram nequitie suæ exhaustit, ut nulla, qua eam lædere possit, ei jam sagitta supersit. Ita ejus omnibus resecta est fraus, sic maligni spiritus dolus ad lucem sancto Spiritu prodeunte perductus, ut simplices quique dolosissimo illi quasi avi illudant, et ille fortissimus jam nec dignus a viris superari, juxta beati Job verba, *ancillis Dei ligatus, et subditus ingemiscat* (Job xl). Quod si te, aut servum Dei, aut ancillam talia suggerens

invenisset, sicut ab aliis, sic a te labore victus, facili recessisset. Sed quia te neutrum, hoc est nec virum, nec feminam reperit, ut jumentum vilissimum incustoditas mentis tuæ fores effringens, a stabulo Samaritani fur nocturnus abegit, et per vallium concava, per montium aspera cursitare violenter coegit. Ea de causa dum te ad gregem, a quo aberrasti, reducere satago, præsumptuosus forsitan fio, dum eam fidem, quæ super Christum Dei vivi Filium fundata, prophetarum vocibus prædicta, apostolorum ministerio tradita, martyrum sanguine consecrata, gentium plenitudine, angelorum congratulatione est celebrata, meis velut rudem firmare rationibus quæro. Sed excusabit, ut credo, temeritatem meam charitas, quam, si de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta procedit, nulla poterit temerare iniquitas. Audi ergo jam, et si homo es, humanos saltem indue animos, ut si ea, quæ Dei sunt, non potes, vel ea quæ tua, id est hominis sunt, advertas.

Hominem te esse, ut credo, agnoscis; ex quibus substantiis constes, intelligis. Dei Filium ad terras descendisse de coelis, et hominem assumpsisse, nec ipse diffiteris. Hominem, inquam, eum ad salvandum hominem factum, ut et nos te credere dicis. Cum hæc ita sint, tua te credulitate convenio: Hominem Dei Filius assumens, totum an dimidium assumpsit? Respondes: Dimidium. Rursum interrogo: Hominem Dei Filius salvans, totum an dimidium salvavit? Respondes: Totum. Vide jam saltem bovinis oculis, in quod te barathrum nefanda professio projecit. Dicis Filium Dei hominem dimidium, hoc est solam carnem, absque rationali anima induisse; totum vero hominem, hoc est simul animam et carnem, salvasse. Et quæ ratio, ut interim auctoritates Scripturarum taceam, o hominum stolidissime, quæ, inquam, ratio patitur, ut quod non assumpsit, Salvator salvaverit, cum tota ratio salvationis fuerit veritas assumptionis? Nam nihil humanitatis divinitas assumpsit, nisi quod salvare disposuit; nec rursus aliquid salvare disposuit, nisi quod assumpsit. Paria sunt hæc duo, nec ab alterutro sejungi possunt, dum nec natura salvatur, nisi quæ suscipitur, nec econverso suscipitur, nisi quæ salvatur. Unde tuam satis mirari non possum insaniam, et animum altissima stoliditate sepultum, qui cum corpus et animam humanam a Christo salvanda fatearis, solam eum carnem suscepisse contendis. Elige tibi horum alterum quod volueris, quia quidquid elegeris, pari a me laqueo constringeris. Quoniam quidquid hominis a Deo est susceptum, totum necesse est esse salvatum; vel quidquid salvatum,

totum necessario oportet fuisse susceptum. Sed scio quia hoc ultimum eligis, ut non omnia quidem hominis suscepta, sed omnia dicas esse salvata. Si ergo secundum te omnia salvata sunt, secundum me omnia suscepta sunt. Nam si nihil salvatum est, nihil susceptum est. Si aliquid salvatum est, aliquid susceptum est. Si totum salvatum est, totum susceptum est. Sed te etiam, ut dixi, concedente, totum salvatum est. Igitur, velis nolis, invincibili ratione cogente, totum susceptum est. Quod si totum susceptum est, anima dignior pars hominis exclusa non est. Dignior, inquam, carne anima est. Sine qua quid aliud caro, quam truncus inutilis est? Et ut melius intelligas quam perverse desipias, scrutare quid carni, quid animæ Creator utriusque indiderit: et tunc forsitan quod volo suggerere apparebit. Distinguens quippe Auctor naturæ rerum visibilium et invisibilium partes, multiplicem rerum creaturarum infinitatem sub speciebus tantum quatuor coarctavit, ut quibusdam essentiam, aliis vitam, melioribus sensum, optimis largiretur rationem. Quæ tria sequentia et potiora animæ, primum, solum et vilius carni humanæ concessit. Fecit ut esset anima vitalis, sensibilis, rationalis, cum nihil carni præter luteam originem, et membrorum corporalium congruentem harmoniam tribuerit. Cumque ab humo ejus materiam sumens, hominem in principio sic orsus esset, nihilque humana caro nisi otiosam essentiam retineret, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* (Gen., ii.) Quo facto, collatum est carni ab aliena, quod ex propria substantia non habebat, ut vivere, sentire, atque uti ratione ad omnia posset, sine qua non solum ista non habere, sed nec etiam illam suam vilem diu integram conservare materiam valuisset. Nam quid carnalis remota spirituali substantia valeat, ipsa humana caro spiritu absente declarat. De quo si non meis rationibus, tuis saltem, ut puto, obtutibus credes. Quomodo ergo fieri potest ut ad salvandum totum hominem Deus hominem assumens, partem, quæ minima est hominis, assumpsit, et eam, quæ excellentissime major est, dereliquerit? Quo certe ordine fieri potuit ut summa contemnerentur, infima susciperentur? Qua ratione fieri potuit ut natura, quæ per se, nec ratione intelligere, nec sensu sentire, nec qualibet vita vivere potest, summæ illius majestatis capax esse valuerit, cum constet quod nulla creatura Creatoris susceptibilis esse possit, nisi eum et intellectu agnoscere, et amore diligere, et spontaneo valeat obsequio venerari? Et cum secundum Scripturam, non corpus, sed *Anima justi sedes sapientiæ* esse dicatur, nec nisi per imaginem suam, quæ non in corpore, sed in anima humana est, Deus in sanctis hominibus sedere, ambulare, inhabitare, gratia mediante scri-latur, quid de homine illò sentiendum est, quem non ut alios sanctos sola gratia replevit, sed in quem, secundum Hieronymum, tota divinitatis unda se contulit, et in quo secundum Apostolum, *Omnis*

plenitudo divinitatis inhabitat (Coloss. ii), et ipsæ personaliter totus Deus totum hominem de massa hominis assumptum replet. Nunquid ita apud rationale animal ratio sopitur, ut gratiam Dei non nisi rationali anima mediante hominibus credat infundi: ipsum autem Deum remota anima brutæ carni in sempiternum personaliter fateatur uniri? Sed quid ego ad ea, quæ forte non intelligis, declaranda laboro? Attende ipsum hominem quem confiteris: et ex verbis tuis te condemnari agnosces. Hominem certe Salvatorem esse fateris. Quod si hominem fateris, cur hominem negas? Cur in eodem verbo, tibi te contrarium non advertis? Hominem enim, ut dixi, fateris, et hominem negas. Negas plane hominem, dum animam negas. Quando namque stulte, ut aliquid secundum te dicam, hominem sine anima vidisti? Aut igitur ostende mihi sine anima hominem, aut si Christum dicis hominem, ex carne et anima eum fatere hominem. Nisi enim æquivoce dicatur, quando solum nomen commune est, ut cum dicitur, aut pictus, aut sculptus, aut synecdochice, ut exanimis homo, nulla ratione vocare poteris hominem, quem anima subtracta facis semihominem.

Vide ergo quam apostatico spiritui te hucusque deludendum præbueris, quantisque te nesciens diabolicæ impietatis laqueis implicaveris, ut eam in Christo neges substantiam, qua remota, non pars tantam fidei adimatur, sed tota simul humanæ restaurationis veritas perimatur. Si enim Christus animam humanam non habuit, aut belluinam habuit, aut ipsa divinitas (quod te sentire persensi) vitalis et sensibilis spiritus officia explevit. Quod utrumque ita consimili absurditate horrescit, ut qui alterutrum de Christo senserit, Christianus jam esse non possit. Nam si eum belluinam habuisse animam dixerò, belluam quantum ad animam fuisse fatebor. Belluam vero Christum dicere, quis vel infidelium auditus poterit tolerare? Hoc concessò, et bellua Christus erit, et sicut bellua humana ratione carebit. Quod si humana ratione caruerit, quis nostræ fidei veritatem, quis salutis humanæ spem, quis coelestium litterarum auctoritatem defensabit? Ait enim Evangelium: *Jesus proficiebat sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines* (Luc. ii). Ait item: *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane* (Luc. iv). Et propheta: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (Isa. xi). Et alius: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (Psal. xlv). Item et Petrus apostolus: *Quem unxit, inquit, Deus Spiritu sancto et virtute* (Act. x). Et ætatis quidem incrementis, naturæ ordine paulatim corpus animatum et sensibile augeri, anima quoque bruta, quoniam vitalis et sensibilis est, ipsorum mutorum animalium corporibus cōfert. Quæ si et in Christo fuit, idem carni ejus præstare potuit. Sed nunquid

sapientia et gratia apud Deum et homines proficere potuit? Nunquid Spiritu sancto plena ab Jordane reversa est? Nunquid spiritum sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, et pietatis, et timoris Domini super bestialem animam requiescisse; et eam tantis gratiae donis replevisse fatebimur? Nunquid, juxta Prophetam, unctam oleo laetitiae, hoc est, secundum apostolum, Spiritu sancto et virtute praese consortibus, id est praese cunctis electis hominibus dicemus? Oportet sane ista quae dixi, et innumera alia quae praetermissi, aut carni, aut animae, aut deitati Salvatoris tribuere. Nam nihil in Christo praeter haec tria fuisse quisquam haereticorum ausus est, vel potuit commentari. Sed carni soli ista dare quis poterit, quae non dico sanctum Spiritum, sed nec aerium spiritum, ut supra dictum est, per se suscipere idonea est? Quis vero deitati profectum sapientiae et gratiae seu aliarum virtutum augmentum tribuet, quae nec detrimentis minui, vel quibuslibet incrementis potest augeri, nisi qui in caelum os suum ponens, impie in Deum blasphemus est? His duabus substantiis exclusis, remanet de qua agebam bestialis anima. Hanc autem quis non videat charismata ista non potuisse percipere, quam certum est omni ratione carere? Nam quae temporalium causas rerum non potest discernere, multo magis aeternarum et divinarum imponere et incapax probatur existere. Quod si nec caro sola, nec bestialis anima, nec deitatis substantia dona illa spiritus in se suscipere, natura contradicente potuit, consequens et necessarium est, ut ea rationalis anima, carni conjuncta susceperit. Jam anima belluina a Salvatore explosa, restat ut divisionis supra factae reliquam partem prosequar. Et ne exciderit, ipsam divisionem, quam saecularis disciplina disjunctam vocat, replico. Dixi: Si Christus animam humanam non habuit, aut belluinam habuit, aut ipsa divinitas vitalis et sensibilis spiritus officia explevit. Sed quia belluinam non habuit, ut puto probatum est. Jam quod deitas animae officia non expleverit, probandum est. Nam si deitas animae officia in Christi corpore explevit, vitale et sensibile corpus effecit, hoc est vivere et sentire caro Christi a deitate percipit. Ut enim vivat et sentiat, confert, ut saepe dictum est, omnis anima corpori. Dedit igitur vice animae, ut viveret et sentiret, deitas corpori Christi. Quae si ita se habent, cum anima per corpus, et corpus ex anima sentiat et patiat, jam quidquid caro Christi passa est, oportet et deitatem simul passam fuisse. Jam quam late pateat campus blasphemiae, quilibet, etiam me tacente, advertere potest. Quia enim, ut dictum est, quidquid sentit caro vel patitur, anima per eam sentit vel patitur, necesse est ut deitas, quae vicem animae tenere dicitur, per carnem sentiat et patiat. Patietur igitur deitas mœrores infantiae, labores pueritiae, esuriet panis, sitiet fons, fatigabitur virtus, laborabit requies, tristabitur gaudium: et ad ultimum tormentis durissimis impassibilis torquetur, aeternus de-

ficiet, vita morietur. Et haec omnia quidem Deum, sed per hominem passum, Catholici confitemur. Aliud est enim, ex adjunctione unius personae Deum in homine humana passum dicere, aliud in natura impassibili aliquid doleris, aut injuriae pati potuisse. Quod ille astruit, qui Deum pro anima in humano corpore exstitisse dicit. Et quoniam apertis immorandum non est, compendio res terminanda est. Aut enim in carne assumpti hominis Deus pro anima fuit, et idcirco passionibus humanis succubuit; aut si hoc sentire impium et detestabile est, eam Christi caro animam, quae absque deitatis injuria humana passa sit, habuisse credenda est. Et quia bestialem non habuisse probatum est, non nisi rationalem habuisse confitendum est. His de rationali Salvatoris anima rationibus praemissis, quae aut mentibus, ut crede, rationabilibus satisfacere, aut bestiales animos caeteris ostentui facere valeant, jam ea quae in divinis dogmatibus principalem obtinet locum, Scripturarum auctoritas proferatur, ut gemino, rationis scilicet et auctoritatis remedio, vel si infidelis fuerit rationi necessario cedat, vel si fidelis, sacris auctoritatibus acquiescat.

Mirum sane, unde surda haeresis aliquando emergere potuit, cum sicut carnem, sic et animam Salvatoris, prophetica, evangelica, apostolica vox ita pari et pene continuo clamore loquatur, ut vel aures non habere, vel eas more venenatae aspidis obturasse, eam non exaudiens videatur. Nonne David in ipsius Christi persona loquens, ait: *Non derelinques animam meam inferno?* (*Psal. xv.*) Et: *Erue a framea Deus animam meam, et de manu carnis unquam meam* (*Psal. xxi*): quae verba sunt de ejus passione; et: *Anima mea illi vivet* (*ibid.*): quod est de resurrectione; et: *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Psal. xxx*): qui utique spiritus in homine non nisi anima est; et Isaias: *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam* (*Isa. xliii*); et Jeremias: *Foderunt foveam animae meae?* (*Jer. xviii.*) Nonne in Evangelio Dominus mentionem animae suae pene semper assiduat, dicens: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan. x*); et: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum sumo eam* (*ibid.*); et: *Nunc anima mea turbata est* (*Joan. xii*); et: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth. xxvi*); et: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan. xv*); et: *Animam meam pono pro ovibus meis?* (*Joan. x.*) Et cujus memoria universa enumeret? Sufficiunt haec, et superabundant, ut et animam Christum habuisse, et eam rationalem fuisse caecis quoque palpantibus demonstratur. Et ut ea, quae principalia, hoc est evangelica sunt, magis assumam, quando turbatam et tristatam animam suam Salvator dicit, deitatem, in quam turbationis vel tristitiae accidentia cadere non possunt, pro anima fuisse negat; quando potestatem se habere ponendi ani-

mam suam et sublevari dicit, irrationalem nullo modo existere potuisse declarat. Irrationalem quippe animam moriendo ponere bruta animalia possunt; resumere vero eam, quoniam post corpus nulla ejus substantia est, omnino non possunt. Spiritus enim post carnem deficiens, non habet jam ad carnem reditum, quia communem moriens habuit cum carne defectum. Proprium est igitur irrationalium spirituum nunquam extra proprium corpus subsistere, sicut rationalium nec post corpus unquam deficere. Quaedam namque imago vel similitudo deitatis rationali substantiæ a Creatore indita est, quam vel beatam, vel miseram, semper tamen necesse est esse æternam. Quæ quia in bestiali spiritu non est, cum suo corpore pariter eam interire necesse est. Unde anima a bono Pastore pro ovibus in mortem posita resumere non posset, si post mortem non exstitisset; nec post mortem subsistere potuisset, si rationalis ut homini non fuisset. Quid vero aliud et illa vox crucifixi Domini, quam præmissam in Psalmo supra posui, quid plane aliud indicat, cum ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum?* (Luc. xxiii.) Nunquid non paucis verbis universas talium errorum opiniones uno velut impulsu præcipitat, unoque gladii ictu cervicem erectam in communem perniciem secat? Neque enim in manus Patris commendavit spiritum, qui nihil post mortem existeret, nec deitatem commisit, quæ nil minus, nil majus recipiens, parque per omnia Patri commendatione non indiget. Qua spirituum, hoc est, bestialis et divini, opinione seposita, restat ut spiritum, videlicet animam rationalem, in manus Patris commendasse, et eum, juxta Evangelium, inclinato capite tradidisse (Joan. xix), credatur. Sed et si ad apostolicum symbolum sermo recurrat, omnis Christiana lingua Dominum Jesum Christum mortuum, et sepultum, et ad inferna descendisse fatetur. Qui quoniam in carne non descende-

-ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(77) *Domino Petro sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopi.* Cui scribit et infra epist. 18 ubi *Petrum Lugdunensis Ecclesiæ patriarcham* appellat. Fuit autem ex Vivariensium Ecclesia translatus ad Lugdunensem anno 451 et aliquanto post in ultramarina peregrinatione fato cedens, ut Guillelmus Tyrius et ipse archiepiscopus asserit, Falconem in archiepiscopatu successorem habuit, sancto Bernardo Clarævallensi teste, qui papæ Innocentio II rescribens epist. 172 hæc ait: « Dominus de cælo prospexit super matrem nostram Lugdunensem Ecclesiam, qui decedenti piæ memoriæ Petro archiepiscopo, virum optimum Falconem decanum in omni pace substituit. »

(78) *At postquam de Vivariensium colle.* Vivario Albensium (Vel Eluensium, qui et Helvii dicuntur), civitas ad Rhodanum, *Viviers*: cujus mentio fit in Notitia provinciarum Galliæ sub provincia Viennensi prima, his verbis, *civitas Albensium, nunc Vivario.* Sic enim habent libri manuscripti, non ut in impressis corrupte legitur, *Civitas Albensium, hoc est, Belisio.* Nec prætereundum quod a paucis hactenus annotatum est, episcopi Vivariensis sedem primo fuisse apud *Albam Helviorum*, quæ hodie *Aubenas* vocatur in Vivariensi diœcesi Ptolomæo,

rit, triduanæ corporis indicat sepultura. Nec quia in sola divinitatis natura, invicta ratio manifestat. Prudentia quippe, non potentia, percussisse superbum scribitur: quem sola potentia percussisset, si damnatum archangelum percussurus, in sola deitate ad inferos descendisset. Oportebat autem, et hoc æternum consilium exigebat, ut superbus mundi princeps a natura quam vicerat superandus, jactantiam dolosæ suæ victoriæ sæpe victus amitteret; et sicut de eo humana caro per Christum in terris triumphaverat, ita et apud inferos per ipsum humana anima triumpharet.

EPISTOLA II

Venerabili et in Christi corporis membris plurimum præcellenti, domino PETRO sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopi (77), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, spiritum consilii et fortitudinis.

Ex quo, venerabilis et dilectissime mihi, excellentiam sublimitatis tuæ mea humilitas agnoscere meruit, tenacissimo dilectionis glutino, ut te non ignorare credo, mea anima tibi adhæsit. Sicut vero ea, quæ neminem fallit, conscientia mihi attestatur, dilexi in te non antistitis dignitatem, non divitis divitias, non potentis potentiam; non eam, quæ te circumstare poterat, quamlibet rerum temporalium affluentiam; non illa, inquam, omnia dilexi, quæ videbantur esse circa te, sed ea tantum quæ agnoveram, et quæ sola diligenda erant in te. Dilexi certe in te, erga divina animi puritatem, erga humana morum honestatem, amorem veræ sapientiæ, in episcopali fastigio sinceræ mediocritatem vitæ. Istis et consimilibus animi tui multis et magnis virtutibus illectus, etiam cum longe positus esses tecum eram, neque a te saltem minimo temporis spatio divelli poteram. At postquam de Vivariensium colle (78) ad Lugdunensium montem (79) te divina dispositio transtulit, atque

Ἀλεάνγοστα Ἐλικωκίων Albaugusta Helicociorum, id est Helviorum, Sidonio Albensis urbs epist. 12, lib. vi. Sed ea tandem a Vandalis destructa, sedes episcopalis Vivariensem, sive Vivarium translata fuit. Unde et utrumque quantum ad episcopatum Paschalis II, papa confundit, cum ad Guidonem archiepiscopum Viennensem scribens, ait: *Alba quæ et vivarium dicitur.* Vivarii porro meminerunt et Gregorius Turonensis lib. x, cap. 24, qui *Vivariensem Avennicamque urbes graviter a lue inquinaria devastatas* refert; et Usuardus ad Cal. Maias, ubi, *In Galliis territorio Vivariensi* beatum Andeolum subdiaconum recoli testatur, quem ab Oriente sanctus Polycarpus ad prædicandum verbum Dei miserat.

(79) *Ad Lugdunensium montem.* Lugdunum Galliarum urbs in colle sive monte sita, quam Gregorius Turonensis, « nono decimo imperii Augusti anno conditam (a Lucio Planco) posteaque illustratam martyrum sanguine nobilissimam nuncupatam, » manifestissime se reperisse testatur lib. i Hist. Franc. cap. 18. Verum Plutarchus et longe ante Lucium Plancum conditam, et ab alia verisimiliore causa Lugdolon primo denominatam fuisse docet lib. de fluviorum et montium nominibus, his verbis:

de sublimi sublimiorem fecit, cœpisti quidem esse propinquior loco, sed utinam nequaquam disjunctior animo! Quod me dixisse minime miretur, quam in te veneror sapientia tua, quoniam non ex affectu conquerentis, sed ex cautela locutus sum præmorientis. Licet enim prudentiam tuam non facile moveri quibuslibet susurracionibus noverim, neque te arundinea mobilitate circumferri sciam, tamen quia scriptum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (I Cor. xv), et versu, qui jam in proverbium versus est, dicitur:

Unda cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo, præcavendum tibi arbitror, ne labiis iniquis et linguæ dolosæ insibilacionibus, quibus frequenter inquietaris, aurem non dico corporis, quod aliquando non agere non potes, sed aurem cordis, quod semper potes, inconsiderate accommodes. Fraudulento quippe obsequio sæpe tales corda dominorum sollicitando circumveniunt, et consulentiis specie deterius inimicis famulando inimicantur. Deterius plane inimicis, quia ut optime novit sapientia tua, multo facilius externus quam internus, multo levius remotus quam admotus, longe promptius atrox quam blandus hostis vitatur. Illius namque tantominus potest nocere crudelitas, quanto minus ei præbetur credulitas. At astutius tanto magis nocet tecta sævitia, quanto major sæviendi sub amoris velamine ei datur licentia. Hæc ideo dicere volui, ut charissimi mei erga mutui amoris custodiam fieret solertior diligentia: nec eam a proposito suo revocare posset cujuslibet detractoris invidentia. Si enim verum est quod Apostolus ait: *Charitas nunquam excidit* (I Cor. xiii); et illud quod in Cantico canticorum legitur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (Cant. viii); et inter nos hanc lucusque constat charitatem fuisse, certum est quia nec exeidendo lapsum incurrere poterit, nec multitudine aquarum, hoc est hominum mala immurmurantium, flamma ejus extinguui, nec instantia quorumlibet velut forti fluminis violentia

A obrui. Apertius autem exponere, quid suspicando ista præmittere voluerim, nulla me ratio cogit, quia et tui ingenii subtilitas hoc facile advertere potest, et me eorum, qui inde notati scandalizari possent, pudori vel iræ consulere oportet. Sufficit hoc nosse, me istis omnibus ad hoc unum tendere, ut charitate illa, quæ diversa conjungit, ita quod jam esse cœpinus, uniti permaneamus, ut nec diversitas locorum, nec scissuræ cordium, nec divisiones linguarum, nec varii eventus rerum, unitatem nostram, qua vere in Deo unimur, dividere valeat, aut mundi mobilis et transituri instabilitas a sui eam stabilitate ac firmitate convellere. Ad hoc sane unum et solum, singulariter et præcipue hanc inter nos charitatis unitatem firmari concupisco; ut ejus utilitatem non solum ad salutem nostram, sed etiam ad multorum aliorum referre studeamus. Nam si, ut eam nomino, hoc vere illa virtus est, quæ charitas dicitur, non tam suæ, quam aliorum saluti invigilare, et pro ea omnimodis laborare debet; quia, ut omnibus notum est, de ea ab Apostolo dicitur: *Charitas non quærit quæ sua sunt* (I Cor. xiii). Quod cum omnibus immineat, ut debitores mandati, quo eis præcipitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (Levit. xix; Matth. xxii), omnibus æque ut sibi consulere debeant maxime hoc eis incumbit, quibus specialiter aliorum cura commissa est, quibus quasi pro ovium, filiorum, civium custodia, pastoris, patris, speculatoris nomen impositum est. Inter quos sancta paternitas tua non minimum, imo magnum et præcipuum Dei dispositione obtinet locum, ita ut in omnibus Christiani populi spiritualibus principibus nullum omnino habeat majorem, nisi sanctæ et summæ sedis apostolicæ præsulem. Magna, inquam, et vere præcelsa, totaque cœlestis est dignitas episcopalis officii; nec minus magna et vere timenda, totaque terribilis formido episcopalis periculi. Tibi enim, ut bene recolit pastoralis sollicitudo tua, per Ezechielem a Domino dicitur: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel* (Ezech. iii). Et item:

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

« Adjacet Arari mons Lugdulus ideo sic dictus, quod cum Momorus et Atepomarus et Sesorone imperio dejecti, ex oraculo urbem super eo, condere vellent, fundamentis effossis ex improvise corvi apparentes, expansis alis, quæ circumcirca erant arbores occupaverunt. Unde Momorus augurandi peritus urbem Lugdolon nominavit. Lougon enim patria eorum lingua corvum sonat, doulon vero excellentem teste Clitophone lib. xiii, rerum conditarum. Ac certe dubito num et adhuc melius a vocibus *Lougon*, corvus, et *dunum*, quod prisco Gallorum sermone montem, sive locum editiorem significat, *Lugdunum* derivari possit. Diodorus enim Siculus, qui et a Lucio Planco restauratam potius quam conditam innuit, *Lougoudunum* olim, et prius, id est veteri lingua Gallica *montem Corvi* vocatam fuisse declarat lib. xvi, cum ait: *ἵνα τε μηδὲν ὑποτυπήσωσι καὶ τοῦτο τὸ κακουργήσωσιν, ἐκέλευσαν αὐτοῖς τοὺς ἐκ Οὐιέννης τῆς Ναρβωνησίας, ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρόγων ποτὲ ἐκπεσόντας, καὶ ἐξ τὸ μεταξὺ τοῦτε Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Ἀρόριδος, ἢ συμμίγνυνται ἀλλήλοις, ἰδρυθέντας συνοικίσαι, καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες, τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθέν,*

D *ἢν δὲ λούγδουνον καλούμενον, ἐκτίσαν.* Id est *Ac ne quid sinistri suspicarentur* (nempe Lepidus, et Lucius Plancus) *facinusque aliquod perpetrarent, jussi sunt a Senatariis, qui quondam Vienna, quod est Provinciae Narbonensis oppidum, ab Allobrogibus expulsi, ad confluentes Rhodani Ararique fluviorum consederant, urbem condere. Itaque illi subsistentes Lugdunum, quod olim Lougoudunum [vel Lugdunum] vocatum fuit, edificaverunt.* Quanquam et Ericus Sancti Germani Antissiodorensis monachus, aliam adhuc hujus nominis etymologiam affert, lib. iv De Vita jam præfati sancti Germani, Lucdunumque quasi lucidum montem a Gallis dictum fuisse contendit his verbis:

*In Lugdunenses aquis processibus arces
Vexit Arar, Rhodano se se sub mœnibus abdens,
Lucduno celebrant Gallorum fame nomen*

Impositum quondam, quod sit mons lucidus idem. Sed utcumque se res habeat, ex notatis palam est, et Lugdunum urbem antiquiorem esse L. Planco, et Petrum nostrum aptissime *Lugdunensium montem* pro ipsa urbe Lugduno posuisse.

Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (ibid.); et rursum : Si speculator viderit gladium venientem, et non clamaverit, et venerit gladius, et tulerit aliquem : sanguinem ejus de manu speculatoris requiram (Ezech. xxxiii); et per Jeremiam : Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas, disperdas et dissipas, et ædifices et plantes (Jer. 1). Possem similibus testimoniis infinitum opus contexere; sed quia sapienti et cuncta hujusmodi cognoscenti loquor, oportuit de multis pauca proponere.

Sed quorsum hæc omnia? Ut excitetur pastoralis sollicitudo tua ad subveniendum Ecclesiæ Dei sub tua cura laboranti, maxime hoc tempore, quando instant tempora periculosa ante ab Apostolo prædicta (*II Tim. iii*); quando omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp. ii*), quando inter multos mercenarios vix aliquis pastor invenitur, quando salute gregis contempta, absque labore pastorali pastoralibus mercedibus inhiant, quibus Deus exprobrat per prophetam *Lac comedebatis, et lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis (Ezech. xxxiv)*; et item : *Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos (ibid.)*, et rursum : *Ecce ego super pastores, et liberabo gregem meum, ne sit eis in direptionem, et non pascant ultra pastores semetipsos (ibid.)*. Vere mercenarii, non pastores, qui de mercedibus gregis impinguati et ornati incedentes, gloriosi et sublimes apparentes, salutari, honorari, et ab hominibus vocari Rabbi gaudentes, secundum Domini sermonem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis amantes (*Matth. xii*), vident lupum in ovium interitum venientem, et fugiunt, cernunt pestilentiosæ aeris corruptione infectas oves deperire, nec succurrunt; mutua tabe consumi, et facent, diversis mortium generibus interire, et rident. Sed quia non est propositi operis, aut officii mei contra tales nunc agere, reprimendus est sermo, et tecum potius quod cœperam peragendum. Ad hoc enim te credo tali tempore in sublimi Ecclesiæ specula a Deo constitutum, ut aliis tacentibus, tu pene solus quæ Dei sunt mundo inclames; ad hoc inter duces spiritualis prælii constitutum, ut aliis fugientibus, tu cum paucis hostem devincas; ad hoc non tantum episcopi, sed primatis, vel patriarchæ nomine (80) insignitum, ut non tantum populo te majorem, sed etiam ipsorum principum te principem agnoscas, et universis magis prodesse quam præesse studeas. Accingere igitur gladio super femur tuum, potentissime (*Psal. xliv*), accendatur velut ignis zelus tuus, recor-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(80) *Non tantum episcopi, sed primatis, vel patriarchæ nomine.* Primatum nomen a primis provinciis ortum habuit, quarum metropolitani primates fuerunt reliquarum ejusdem nominis provinciarum. Et sic Lugdunensis archiepiscopus post varias cum Senonensi contentiones, tandem a Gregorio VII,

A dare Phinees, Eliæ, et Jesu Christi quorum unus luxuriantes gladio peremit (*Num. xxv*): alius superbos cœlesti igne exussit (*III Reg. xviii*); tertius avaros flagello de templo ejecit (*Matth. xxi*). Hæc sunt certe tria illa quæ Joannes apostolus in Epistola sua commemorat. *Omne, ait, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi (I Joan. ii)*. Quæ licet secundum hanc apostolicam vocem, totum mundum communi peste infecerint in patriarchatu tamen tuo, sed maxime in provincia, sive in propria, quod magis tibi timendum est, diœcesi, quasi specialem sibi sedem visa sunt constituisse, atque innumerabiles lethali morbo occupasse. Sed quid ego de militibus, quid de popularibus referam, cum videam clericos, et, quod mihi gravius est, nostri, hoc est, monastici ordinis viros, propositi sui oblitos, etiam laicis inhiantius, quæ reliquisse videbantur rursus appetere, a tabernaculo Dei et a Moyse ductore ad Pharaonem et Ægyptum redisse: ea quæ vomuerant, ut immundissimos canes avidissime resorbuisse; et qui ut aurum in domo Dei fulgere debuerant, ut vile lutum se per omnes plateas omnium pedibus conculcandos prostravisse? Nonne de talibus Jeremias lamentari cogitur, et dicere: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum? (Thren. iv)*. Et item: *Filii Sion inclyti et amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? (ibid.)*

Hoc plane fere de universis provinciæ tibi a Deo commissæ monachis ac monasteriis loquor, qui ut salva gratia honorum, qui inter eos commorantur, dixerim, se dicunt monachos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ (*Apoc. ii*). Quid enim illi sibi de monacho, præter nomen et habitum, vindicant? Ubi enim in eis vel est, vel apparet monachi humilitas? Ubi charitas? Ubi illa, quæ beatos facit, paupertas? Ideo autem dixi, quæ beatos facit, quia ea paupertate, quæ miseros facit, cum summopere ditescere cupiant, magnopere laborant. Et juste equidem. Sicut enim inquirentes Dominum non deficient omni bono (*Psal. xxxiii*), ita relinquentes eum omni necesse est abundare malo. Dicunt hujusmodi homines se monachos, hoc est, singulares et unicos in mundo esse, cum turbis et tumultibus hominum corde et opere misceantur. Affirmant se apostolica, hoc est communi vita degere, cum præter victum atque vestitum cætera omnia eis communia sint. Sed magnum, si ecclesia, si refectorio, si dormitorio communi utantur, ut non corda canentium, sed ecclesia una sit; non cibi comedentium, sed refe-

primas quatuor Lugdunensium provinciarum, hoc est Lugdunensis, Rothomagensis, Turonensis et Senonensis declaratus ac pronuntiatus est, ut ex ejusdem Gregorii epistolis 55 et 56 lib. vi constat. Qua de re jam nos etiam alibi quædam diximus.

ctorium commune sit; non vestes dormitorii, sed dormitorium idem sit. Concedo et ego magnum hoc apud tales esse. Sed utinam vel hoc servetur! Utinam plane vel hoc conservaretur, ut vel in eisdem omnes domibus habitarent, et non sibi ad convivandum, sive ad commanendum, aliorum et a suo ordine alienorum domos eligerent! Taceo quæ sequuntur, non tantum eis parcens quantum pudori meo, qui talia proferre erubesco, et sancto nostri ordinis nemini consulens. Qui quamvis nulla immundorum contagione maculetur, tamen a minus eruditis et talium infamia scandalizatis nomen Domini blasphematur. Unde et de his Scriptura loquitur: *Væ his per quos nomen Domini blasphematur* (Isa. XLII). In quo namque non propter istos nomen Domini blasphematur, qui in hypocrisi omnem sanctitatem mentiri volentes, sed jam non valentes, quia occulti esse non possunt, publici apostatæ fiunt, qui secundum figuram mulieris prostitutæ divaricant pedes suos omni transcunti, et perversa obedientia inclinant dorsum malignis spiritibus, præcipientibus incurvare ut transeamus? Fluxi, instabiles, præcipientes, superbi, cupidi, avari, quorum professio prævaricatio, quorum stabilitas pervagacitas, morum conversio est a Deo aversio, quorum obedientia contumacia, quorum claustrum totus orbis; quorum Deus venter, quorum abbas propria voluntas, quorum jugum nullum, quorum mortificatio est omnimoda carnis oblectatio. Hi loca Deo sacrata male vivendo temerant, domum orationis speluncam latronum faciunt (Matth. XXI); ibi perditis operibus diabolo non vitulos aut arietes, sed animas suas sacrificant, dicentes se nosse Deum, factis autem negant. Isti sunt ligna infructuosa, inutiliter terram occupantia, digna succidi, digna comburi, pessimi coloni vineæ, fructum in tempore suo reddere contemnentes, et hæreditatem filii in injustitia detinentes. Faciendum est eis, quod patremfamilias malis agricolis fecisse Evangelium loquitur: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis* (Matth. XXI). Ita a te, qui hujus patrisfamilias vices obtines, talibus faciendum est, ut si fructus justitiæ de Domini vinea Domino reddere noluerint, nequaquam ejus hæreditatem eos occupare patiaris. Hæc enim mala ad cumulum perditionis eorum in tantum inveterata obducto callo induruerunt, ut jam nec correctionis verba audire nec etiam quælibet durissima disciplinæ verbera sentire possint. Squamæ quippe sunt in corpore leviathan, de quibus dicitur: *Una uni conjungitur, et nec spiraculum quidem incedit per eas* (Job LI). Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.

Sed hanc diaboli corporis pessimam unitatem atque duritiam, durior verbi Dei gladius dividere, acutior spiritualis pharetræ sagitta penetrare poterit. Cujus gladii memorat Apostolus: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (Ephes. VI). Et de sagitta propheta: *Posuit, inquit, me sicut sagittam*

electam, in pharetra sua abscondit me (Isa. LIX). Hanc sagittam, videlicet te, venerabilis atque amantissime Pater, in pharetra consilii sui Deus ab æterno usque ad hæc tempora abscondit, et nunc de arcu fortitudinis suæ ad conterendos inimicos suos, ut credimus, emisit, et gladium hoc est, verbum suum in ore tuo posuit, quod secundum Apostolum non est alligatum (II Tim. II), et de quo dicitur: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (Jer. XLVIII). Hoc gladio, juxta Psalmistam, dividuntur linguæ impiorum et iniquitates et contradictiones in civitate (Psal. LIV). Sanctifica ergo rursus manus tuas Domino, quæ semel sanctificatæ sunt in sacerdotio, quia secundum beatum Gregorium, nullum gratius offertur Deo sacrificium, quam zelus contra peccatum. Pudeat generositatem sanctæ animæ tuæ provinciam tibi commissam, ecclesiastica dignitate omnibus Gallicanis Ecclesiis superiorem, et religione esse inferiorem. Ut enim cernere datur, per totam Occidentis plagam, et maxime intra hanc nostram Galliam, religiosa loca, et quæ nunquam fuerant frequentissime oriuntur, et quæ inveteraverant renovantur. In Lugdunensi vero provincia e contrario, et novæ fere nulla orta sunt, et vetera jam penè nulla sunt. Fuerit hoc tempori et strenuitati tuæ a Deo reservatum, ut si nova condere non est facultas, saltem ad vetera renovanda adsit totus nisus atque voluntas. Habebis ad hujus rei adjutorium, totum, quale esse potest, posse meum, et illum qui tibi ad omnia sufficit Deum. Sit tuum ejus accepta gratia incipere: erit illius opus suum a te coeptum perficere. Licet igitur hoc opus valde arduum esse non ignorem; de Dei tamen gratia et tua probitate confidens, hortor, supplico, moneo, et per omnipotentis Jesu Christi misericordiam obtestor, ut tam bonum, tam Deo placens, tam salutiferum studium, nullæ a corde tuo curæ pellere valeant; sed maneat in mente tua radix sanctæ intentionis, quousque ad optabilem fructum gloriosæ prodeat actionis. Nam nec mihi desunt innumerabiles rerum temporalium sollicitudines, pro quibus tuam necessario, ut moris est, sollicitare possem beatitudinem. Sed non est nunc mihi super auro et argento quæstio: non est super injuriis, deprædationibus, exustionibus, et variis ac multiplicibus rerum nostrarum damnis, ad aures majestatis tuæ solita interpellatio. Illud unum, illud singulare, illud præcipuum, et sæpe dicendum, sæpe rogandum, oro, rogo, obsecro, ut huic divinæ rei, cui nihil humanum non dico præponi, sed nec componi debet, cuncta supponas; et teipsum etiam, si necesse fuerit, ut bonus pastor pro tanta tantarum ovium salute impendas. Paratus sum et ego, ad quem non ex cura, sed ex charitate hoc pertinet, nec meis nec mihi pro hac Dei causa parcere; nihilque in præsentis remunerationis sperans, non tantum mea, sed et meipsum impendere. Hæc certe tota et sola ad te scribendi causa fuit. Cæterum tibi videndum, ne frustra fuerit. Oro ergo in fine epistolæ mihi dulcissimam et totis visceribus ample-

ctendam dilectionem tuam, ut, semotis aliquantum occupationibus, amici litteris in hoc quoque pro te solliciti locum tribuas, et eis vel horam ad studiose legendum provideas. Repende, inquam, nunc meo labori vicem, ut quod ego immodicis curarum distensionibus impediens vix potui scribere, tu inter tuos quotidianos tumultus studeas legere. Nec deterreat a lectione prolixitas, quam justa, ut ipse agnoscis, peperit necessitas.

EPISTOLA III.

Summo Ecclesiae Dei pastori, et nostro speciali Patri domino papae INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, fidelem obedientiam.

Non satis verbis aperire valeo quantum pro insito mihi vestrae paternitatis amore de resciendo statu vestro solliciter, quantumque a partibus vestris audire, quod cor meum laetificet, exoptem. Quid autem amplius cor meum laetificare poterit, quam si prospere, si pacifice, si triumphaliter vos degere audiero? Ut enim quod apud me sentio dicam, hoc in me desiderium ita omnibus aliis, quae in corde humano esse possunt, desiderii dominatur, ut excepto illo quo caelestia desiderantur affectu, hic omnium, ut dictum est, desideriorum affectibus principetur. Nec mirum si sic ardentem finem laborum vestrorum exopto, cum propter hoc unum a principio apostolatus vestri nullum pro modulo meo subire laborem recusaverim, in nullo quod expediret mihi vel his, quae commissa mihi erant, pepercerim, et (quod forte majus his omnibus est) nunquam fidelior, quod ipse melius novi, ut vere Patri filius esse potuerim. Nam inter studia partium, inter divisiones cordium, inter schismata tam nostrorum quam extraneorum, seu prope seu longe constitutorum, exerto semper gladio, quantum personae aut officii mei qualitas patiebatur perstiti, nec illum unquam a sanguine etiam charissimorum, cum necesse fuit, prohibui. Quoscumque mihi et Cluniacensi Ecclesiae qualibet amicitia junctos, reges et principes, nobiles et ignobiles, magnos et pusillos agnovi, hos majestatis vestrae pedibus subdere, per me ipsum sive per alios loquendo, scribendo, mandando, terrendo, mulcendo, pro posse non distuli. Sed quia non ad hoc coepi, ut opera mea, si qua erga vos recta fuerunt, jactem, compescendus est stylus, et hoc tantummodo dicendum, quoniam haec idcirco tetigi, ut agnosceret sapientia vestra me jure pacem vestram desiderare, pro qua non parum contigit laborasse. Est et illud, quod non solum me, sed et omnes ad hoc optandum movere debet: quod universorum et totius Ecclesiae pax de pace vestra pendet, quae sicut generaliter, paucis schismaticis exceptis, vos in summum pastorem assumpsit, ita sine vestra requie nunquam requiescere poterit. Cujus laboribus, quos pro Christo et pro vobis sustinet, quod salva sublimitatis vestrae reverentia dixerim, non parum gratiae debetis, quia sicut illa vobis filialem, ita vos ei paternum impendere decet amorem. Et, sicut mihi videtur, omnes quidem praeepto Dominico

A sunt diligendi, sed, juxta quod vita vel actus eorum exigit, in amoris discretionem aliis alii sunt praefereendi. Hoc ad quid inseram, attendat paululum vestra nobis super aurum et topazion chara paternitas. Nam inter illos, quibus magis debitor totius amoris et beneficii est charitas vestra, domnum Albanum episcopum hucusque existimavimus. Quid enim ille pro vobis fecerit, quid pertulerit, quid perdidit, quam fidelis in regno Ecclesiae, cui praesidetis, ingrediens, et egrediens, ad imperium vestrum fuerit, supersedeo referre, cum et sapientiae vestrae hoc bene notum sit, et tam diutina infirmitas, imo ipsa mors, cujus januis vix tandem reductus est, satis indicare possit. Quae omnia eum propter immensos labores et assiduos per totum pene mundum procurus et excursus pertulisse, ob vestra nisi fallor, servitia omnibus manifestum est.

B Cum igitur se totum vobis impenderit, cum nota universis religio ejus, cum scientia ejus, cum virtus corporis ejus ab exordio praesulatus vestri non nisi vobis militaverit et militando pene defecerit, non satis ego vester, ego inquam vester, et qui mecum hoc noverunt mirari sufficimus, quod non dicam maximum pro tam magnis servitiis beneficium, sed nec modicum, quando maxime postulavit, meruerit habere rescriptum. Tunc certe (quod prorsus subdita et humili, et idcirco audaci mente dicimus) tunc plane omnino clausa sunt ei viscera misericordiae et responsionis vestrae, quando ipse vobis ut C Patri aperuit omnia intima conscientiae suae. Tunc vere exsiccata est fontis ubertas, quando magis exposcebat rigari terrae ariditas. Debit, ut mihi videtur, plus amoris mereri nudata conscientia: non debuit propter ablatum cordis velamen pristina imminui gratia. Ut enim quod jam vulgare factum est referam, si inter amicos omnia nuda, inter talem Patrem et talem filium nulla secreta debuerunt esse velata. Quae si ipse aliis, non vobis soli revelasset, Patris forsitan commotio justa fuisset. At cum non nisi illi, cui nihil talium celare debuit, cor suum denudavit, non iram, sed gratiam, ut videtur, amplio-rem promereri debuit. Haec, Pater charissime, me breviter vobis scribere, filialis, et idcirco fidelis, compulit affectus, ne qui de vobis magis merentur, minus consequi videantur, et ea de causa quam D plures a vestro servitio deterreantur. Consulo igitur, si tamen consilium meum inter sapientiorum, non tamen forte fideliorum, consilia admittendum censetis, ut episcopum vestrum, collateralem vestrum, fidelissimum vestrum, quem multum exacerbare ex hoc, nisi sapientia indignationem comprimeret, potuistis, lenire quam cito remissis litteris studeatis. Recolite nullum unquam nimium amari potuisse, recolite nullum unquam plus justo amicis abundasse, recolite quod ait Salomon: *Amici sint tibi multi (Eccl. vi)*. Et ideo nunquam talibus vos satis abundare credatis: maxime hoc tempore, quando, ut ipse quotidie experimini, abundavit iniquitas, et refriguit charitas multorum. Parayerat ipse

postquam convaluit, suscepto a vobis mandato redire ad vos; sed postquam de silentio illo vestro accepit, ignorans quid illud portenderet, et ipse silere proposuit. Rumpatur ergo infructuosum, quod nunquam fuisset, silentium, et aut eum cum illo, quem vos et eum decet, honore ad vos redire facite; aut apud nos, hoc est intra Gallias, ad destruendos schismaticos, et causam vestram, quæ et Dei est, manutenendum, quod vobis et Romanæ Ecclesiæ plusquam ad præsens propter festinantiam dicere possumus expedit, potestative, quousque vobis illum revocare placeat, remanere facite. Utinam daretur auribus vestris otium, quod quia ad præsens non habent, cogimur ori nostro etiam valde necessariorum rerum imponere silentium! De hac igitur re et de pace vestra, quam omnimodis desidero et desideranter exspecto, remandate quod est, ut aut si est, gaudeam, aut si nondum plene est, qualiter adimpleatur, quidquid possum et etiam meipsum impendam. Hoc insuper rogo, ut causa nostri Romanum morem de retinendis diu nuntiis infringatis, et quamcito cursorem nostrum cum rei postulata certitudine ad nos remittatis.

EPISTOLA IV.

PETRUS humilis Cluniacensium abbas, GILONI olim Tusculano episcopo (81).

Multa quidem dilectioni vestræ loqui enormitas materiæ imperat: sed stylum se diffundere volentem, epistolarum, et maxime modernarum, C modus, ne etiam in necessariis diffluat, coangustat. Qui si a propositis et necessario conceptis non cohiberetur, non jam epistola, sed liber conficeretur. Quis enim non videat quanta sit loquendi materia, imo lugendi, charissimum fratrem, et, ut sic dicam, uterinum, a visceribus unicæ matris non cum parvo ejus dolore avulsum, sic lapideum permanere, ut nec suæ separationis recordari, nec matris doloribus compati, nec confratrum charitate revocari, nec respiscendum quibuslibet incantationibus videatur animari? Tantumne valet peregrinæ mulieris amor, ut meretricia oblectamenta, sponsæ castis amplexibus præponantur? An tanti pendendi sunt cives Babylonicæ confu-

sionis, ut civibus pacificæ Hierusalem præferantur? An calix aureus Babylonis, quo potantur reges terræ, dulcior ad sorbendum visus est, quam ille Christi, de quo ipse ait: *Calix meus inebrians quæ præclarus est* (Psal. xxii). Ad quid ista? Ut pace vestra loquar, quoniam tam præclarum membrum Ecclesiæ Dei ad præsens ab ea separatum dolemus, quoniam tam dilectum fratrem a confratribus disjunctum lugemus, quoniam a Romana et Catholica Ecclesia episcopum, quoniam a Cluniacensi ejus monachum descivisse videmus. Sed forte vos ad hæc, nos errare, nos deviare, nos deceptos esse inclamabitis. Nos vero quid? Ut longa disputatio conquiescat, ut infinitarum argumentationum objectio conticescat, ut ambitio, cupiditas, sacrilegium, simonia, perjurium, vis armata, homicidia, quæ pro parte non vestra, sed papæ vestri militant, ut hæc, inquam, omnia, et adhuc deteriora, si qua esse possunt, seponantur, hoc unum attendite, hoc inspicite, hoc considerate: Ubi Ecclesia esse existimanda sit, quæ in omnibus mundi nationibus esse credenda est, in angulo urbis Romæ, an in toto orbe, in particula Aquitaniæ, an in mari usque ad mare; in paucissimis et pene nullis hominibus, an in omnibus quæ sub cælo sunt gentibus? Aut enim nobiscum est Ecclesia, et ovile, in quo sunt oves veri pastoris, de quibus ipse: *Oves meæ vocem meam audiunt* (Joan. x), vestrumque ovile non oves, sed hædos ad sinistram ponendos continet. Super quibus vobis exprobrat Ecclesia dicens: *Pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum* (Cant. i); aut si vobiscum est, heu! multum regnum Christi arctatum est. Si, inquam, vobiscum est Ecclesia, falsa est vox Patris Filio promittentis; *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (Psal. ii). Falsa est vox Prophætæ: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ* (Psal. lxxi). Falsum est et illud quod ait: *Omnes gentes quas-cunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum* (Psal. lxxxv). Falsa certe ista omnia, si tam parva ejus hæreditas et possessio facta est, ut non nisi Petri Leonis turres, et comitis Pictaviensis (82) paucas munitiunculas possideat. Si hoc verum est, jam Christus quod

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(81) *Giloni olim Tusculano episcopo.* Cui scribit et infra epist. 50 hujus libri. Fuit autem primo Cluniacensis monachus, deinde factus episcopus Tusculanus cardinalis, Petri Leonis partes adversus Innocentium II, schismaticæ fovit, et ab eo versus Girardum episcopum Engolismensem missus, plurimos etiam in Aquitania motus excitavit, ut docet Guillelmus abbas, lib. II Vitæ S. Bernardi, cap. 6. Unde et Joannes Parisiensis in Memoriali hist. ad annum 1156: « Laborabat, inquit, eo tempore sub schismaticorum opprèssione tota Burdegalensis provincia, et non erat in tota Aquitania qui posset resistere principi, cujus animum induraverat Deus, qui, persuadente Girardo Engolismensi episcopo, et stillante in cor ejus semina dissensionis, factus erat schismatis defensor et auctor. Hic Girardus misit ad Petrum Leonis ut ei legationem conce-

deret, et ipse ei jurata fidelitate obediret. Insuper et principem terræ, et quoslibet posset, ad ejus imperium inclinaret. Gavisus est homo perditissimus locum se invenisse in quo dilataret malitiam suam, annuitque cito ac libenter, misitque ad eum Gilonem Tusculanum episcopum cardinalem, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi ei adhæserat. Ab his duobus violenter expulsus a sede sua Guillelmus episcopus Pictaviensis vir honestus et Catholicus, et pro eo alius quidam nobilis genere, sed degeneris fide intrusus est. Similiter in Ecclesia Lemovicensi intruserunt Radulfum quemdam Doracensem, qui non multo post cadens resupinus de equo in via plana, uno tantum lapide ultore infixò capiti ejus, et quassato cerebro exspiravit. »

(82) *Et comitis Pictaviensis.* Willelmi, qui et Aquitaniæ dux, Alienoræ pater.

assumpserat deponat, et qui jam possessione quolibet regulo inferior factus est, regium quoque nomen amittat; nec eum quilibet vocare Regem regum, vel Dominum dominantium audeat. Si hoc verum est, jam Christus gratis mortuus est, qui tam paucissimos morte sua lucratus est. Hoc ideo dicendum putavi, ut agnoscat eruditio vestra, periculosissime vos opinionem vestram totius mundi sententiæ præponere, magisque superbæ obstinationi paucorum, quam devotæ unanimitati multorum acquiescere. Cum enim et canonica decreta hoc habeant, ut majori et saniori parti in omni negotio cedendum sit, qui tantis numero, tantis scientia, tantis sanctitate non cedit, non sapientia, sed insania agi credendus est. Plura hinc dici possent, sed sapienti, quod vos et fuisse scimus et futurum esse confidimus, pauca sufficiunt. Revocat igitur vos communis mater Ecclesia, revocat quodammodo affectuosius, quæ iterum vos Christo peperit, Cluniacensis Ecclesia, parata vos iterum piis ulnis excipere, parata dulcius quam fecerat fovere, parata omne pro vobis onus subire, parata vos rursus Christo, Ecclesiæ, ac domino papæ restituere.

EPISTOLA V.

Dulcissimo ac piissimo Patri nostro domino P. abbati, frater THEOTARDUS prior de Charitate indignus, totusque conventus, quidquid devotissimi filii.

Si condignas vestræ paternitati gratias referre possemus, pro immensis beneficiis quæ nobis immeritis servis vestris exhibere dignamini, dignum utique esset, ut hoc omnimodo studeremus. Sed quoniam plene et efficaciter non possumus, saltem tantæ gratiæ debitores nos esse fatemur. Quomodo vero vestris respondere valemus beneficiis, cum pro nobis vestris exiguis servis tantum feceritis, quantum vix aut nullomodo faceretis pro magnis dominis? Ut tamen vestra cognoscat benignitas, beneficiorum nos esse memores, et teneri debitores, ipsa ex parte memoramus, quamvis rependere non possimus. Cellarium nostrum, et nos omnes in illo summo suscepistis cum honore, exhibuistis dilectionem, et optimam dedistis mulam, dilectionis probationem. Misi-
stis nobis dominum Petrum, exemplar cordis vestri ad nos, qui cor vestrum cordibus nostris inferret, et sua præsentia, quantum vobis placet, nos lætificaret. Ad cumulum denique tantæ pietatis dedistis nobis magnæ martyris magnas reliquias, magnum thesaurum, magnas divitias: quæ nobis sunt super aurum, et lapidem pretiosum multum. Pro his omnibus, illi, a quo est omne bonum, et beatæ Mariæ, et vobis, dulcissime Pater, quantum possumus, referimus gratias. Noverit enim vestra paternitas quod et nos et burgenses nostri magnam ex his habemus consolationem, et magnam de vestra sancta dilectione certitudinem. Benedictio Domini et vestra super nos, et super omnes filios vestros. Quod debuissimus ponere in principio, in fine ponimus. Iterum gratias agimus de hoc quod nobis promisistis, festivitatem beatæ Mariæ apud nos vestra præsentia

A honorare. Unde de his, et de cæteris vestrum nosse vestrumque velle nobis remandate, præsertim si possemus vos invenire Cluniaci usque ad festum sancti Petri, quia, si potuerimus præparare novitios, ad benedicendum mittemus.

EPISTOLA VI.

Venerabili atque intimo nobis Domino Theotardo priori, ac dilectissime nobis conventui de Charitate, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, totius salutis, gratiæ et benedictionis plenitudinem.

Legimus et relegimus intenti litteras vestras, quæ tantò cor nostrum gaudio exhilarabant, quanto vos lætificatos sonabant. Cur enim non lætificaret nos vestra lætitia, quibus illud totum debemus quod possumus; et cum et de illis, quibus longe minus quam vobis debemus, nobis præcipiatur scilicet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus? (Rom. xii.) Nam ut verbis apostolicis utar, quod est gaudium meum atque corona, nonne vos ante Dominum? (Philipp. iv.) Quæ licet meis erga vos, ut illius erga illos laboribus non debeatur: spem tamen, quam non dat boni operis effectus, poterit forsitan sperare bonæ voluntatis affectus. Et si enim multa non conferimus, si quid tamen in nobis multum dilectionis esse potest, multum diligimus. Adjuvat, et accendit non mediocriter ignem hujus amoris vestra charitas, quando quod proprie bonorum filiorum est, quod salva ea reverentia, quæ pijs sanctorum debetur, dixerim, patris etiam parva munuscula pro magnis ducitis, quando non datum, sed dantis affectum consideratis, quando ex modica scintilla vos multum flammare monstratis. Conservet in vobis, et adaugeat hunc charitatis affectum vera charitas Deus, quo ei et hic adhæreatis per spem, et in æterna vita jungamini per speciem charissimum fratrem nostrum Petrum, quem de latere nostro ad vos direximus, ut partem cordis nostri commendatum habere, ut quem ante pro vobis quasi simpliciter dilexistis, jam pro nobis, si potest fieri, dupliciter diligatis. Festum summorum apostolorum Petri et Pauli nos Cluniaci facturos, et beatæ Dei Genitricis assumptionem, quia vos velle cognovimus, apud vos esse celebraturos per Dei misericordiam confidimus.

EPISTOLA VI.

Sincerae charitatis visceribus confovendo, fratri THEOTARDO priori de Charitate, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, in Spiritu sancto discretionem adipisci spirituum.

Scribis mihi sæpe, charissime, et frequentes nuntii sibi invicem succedunt, quos ad me cum deprecationibus dirigit, ut te a cura quam tibi imposui absolvam, et secundum quod dicis, Deo absque occupationis onere servire permittam. Objicis naturæ imbecillitatem, æstatis intemperantiam, morborum incommoditatem. Detrimenta multa pati domum tibi commissam, te talia patiente, nec ad negotia sufficiente, denuntias. A me exigis quod a te impossibilia exigo, et quod humeros tuos, ad ea ferenda quæ

ferre non valent, compello affirmas. Agnosco ego querelas, non corvino, sed columbino de corde prolatas : ideoque neque illis moveor, neque injuriis, ut a quibusdam, qui non ea quæ Dei sunt sapiunt, solet fieri, ad injuriose respondendum accendor. Te tantum advertere ea quæ dicturus sum rogo. Quod prorsus facere non poteris, nisi obstinatæ voluntatis appetitum fregeris. Non enim capax veri consilii animus esse poterit, nisi velle suum utilitati propriæ ratione subdiderit. Sunt sane sapienti multo magis appetenda amara salutifera, quam dulcia mortifera. Præponenda contristans utilitas, supponenda noxia voluntas. Hoc ad quid dicam attende. Audio quidem te de difficultate pastoralis officii conquerentem, sed video te ipsum tibi causas ipsius difficultatis inferentem. Video te, inquam, contra impositum officium, contra obedientiæ virtutem contra matrem virtutum charitatem, et ideo contra salutem tuam agere. Dum enim ætati non parcis, dum assiduo labore te conficis, dum corpus morbis innumeris conquassatum magis ac magis indiscrete vivendo conteris, universa hæc quæ a me tibi sunt objecta incurris. Sic namque te habendo, contra impositum officium agere comprobaris, quia sicut quotidie cernitur, succumbunt jumenta oneri quibus non datur victus necessarius operi. Fortissima etiam quæque animalia deficiunt, si et labor diutius protendatur et laboris nullum levamen subsequatur. Clamant sancti doctores nostri perimendum hostem, nutriendum civem. At tu ex adverso hostem perimere nequis, dum hostem pariter et civem extinguere conaris. Nam non erit qui hostem opprimat, si civis succumbat. Non penitus abrumpi, sed retorqueri caput immolatae avis ad pennulas lex jubet (*Levit. v*). Tu autem lege Dei contempta, ad abrumpendum caput a corpore toto conatu laboras. Sed non suscipit Deus holocaustum, quod contra legis suæ decreta cernit oblatum. Suggestit diabolus Christo, ut se perimeret, dicens : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum (Matth. iv)*. Sed noluit spontaneo præcipitio interire, qui tamen venerat pro mundi salute animam ponere, ut doceret utiliter quidem carnem esse mortificandam, sed non more homicidarum crudeliter perimendam. *Nemo, ait Apostolus, carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam (Ephes. v)*. Sicut, inquit, Christus Ecclesiam. Nutrit quippe Christus et fovet Ecclesiam, non malitiam; justitiam, non impietatem; naturam, non iniquitatem. Ostendit Apostolus Christum sequendo, ita se fovere Ecclesiam, dum discipulo, cui inter cætera dixerat; *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (I Tim. iv)*, quia stomachum dolebat, postmodum ait : *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates (I Tim. v)*. Sic post Christum summus doctor Ecclesiæ, ut etiam corpori sobrie provideret, discipulum admonebat, non interitum violenter compellebat. Cui et ille obedivit, et

laboriosum prædicationis et ecclesiasticæ administrationis officium, non fugitando, nec reclamando, sed manendo et persistendo explevit. Posses et tu, qui de impossibilitate causarum, injunctum officium implere, si, ut discipulus veritatis, acquiesceres obedire. Si, inquam, præcepto patris obedire, si fratrum charitati velles obtemperare, et crimen inobediendi effugeres, et impositum regiminis quantumlibet grave onus, ferre prævaleres. Nec mireris me crimen inobediendi nominasse, cum multis hoc criminibus propheta præferat dicens : *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere (I Reg. xv)*. Mandavi quippe sæpius, ut propter nimiam, quam ipse fateris, morborum incommoditatem, a conventu, aliorum infirmorum more, paululum secedens requiesceres; nec fecisti. Jussi, ut paulo remissioribus alimentis uteris; nec obedisti. Præcepi, ut dispositioni fratrum, quorum erga te charitatem exuberare gaudebam, quantum ad infirmitatis tuæ levamen pertinebat, obtemperares; nec audisti. In quo fraternæ charitatis contemptu, non parum te deliquisse, si bene perpendis, recognosces. Remota enim paternæ jussionis auctoritate, quod de cordibus fidelium ac pie viventium subditorum etiam prælatis charitas præcipit, non est aliquo modo contemnendum. Quod si sit, non ille, qui charitatis verba proferre videtur, sed ipsa, quæ verba eadem profert, charitas spernitur. Quam qui spernit, eam nullo modo habere probatur. Jam vero charitatem non habenti quid prosit jejunium, vel quælibet corporis exasperatio ab Apostolo audi. *Si, inquit, tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest (I Cor. xiv)*. Abstine ergo a carnibus, abstine a piscibus; abstine, et si volueris, ab omnibus, afflige, verbera, contunde jumentum tuum, non dederis somnum oculis tuis, non dormitent palpebræ tuæ, noctes vigiliis, dies laboribus transige, velis nolis, audies Apostolum, etiam si tradideris corpus tuum ut ardeat, nihil tibi prodest (*I Cor. xiii*). Jam hoc non est servum Domino servire non posse, sed nolle : imo ad majorem contumeliam, ante velle mori quam obsequi, ante interire quam servire, prius a facie ejus fugitando delitescere quam servitutis onera tolerare. Sed jam quia finire verba festino, revoca, quæso, dilectissime, ab hac intentione animum tuum, in brevissimo certamine pro sempiterna requie desudando contende, noli ut piger servus in terra talentum abscondere; sit tibi pro tanta, si perstiteris, reposita mercede permodicus vitæ presentis labor. Et ut laborando durare possis, interdum requie labores alterna, ut non, sicut hucusque fecisti, obstinate laborando, ad laboris defectum, sed discrete operando, ad laboris profectum, quod forsitan non diu differetur, pervenire contendas.

EPISTOLA VII.

Nobilissimæ regum et nostræ societatis amico SIGVARDO Norvegiæ regi, frater PETRUS humilis Clu-

niacensium abbas, in præsenti feliciter, in futuro felicissime cum Christo regnare.

Omnipotentī et æternō regi toto cordis affectu gratias agimus, qui menti vestræ timorem et amorem suum inspirare dignatus, in vobis amorem cœlestium terrenis affectibus prævaluisse ostendit. Cum enim in extremis finibus orbis atque sub gelido axe sæculorum disposeret vos constituerit, meridiano tamen sui spiritus calore in tantum vestrum aquilonale frigus temperavit, ut soluta infidelitatis et corporis glacie, de vobis etiam cantari possit: *Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius (Cant. iv).* Et illud: *Dicam aquiloni: Da; et austro: Noli prohibere (Isai. xliii).* Vere enim omnes et præcipue nos, qui cæteris vos affectuosius diligimus, gratulanter famam vestræ erga Dei obsequium devotionis audimus, qualiter quæ Dei sunt revereamini et diligatis, qualiter regium fastum suavi Christi jugo affectuosissime subjeceritis, qualiter vos protectorem Ecclesiæ Dei constitueritis, qualiter inimicos crucis Christi a fidelium dominatione non tantum in vestris, sed etiam in remotissimis meridiei et orientis finibus vi bellica terra marique et olim repuleritis, et nunc etiam maxima classe repellere festinetis. Super hæc omnia, quod in animo vestro tantus Spiritus sancti fervor exarsit, ut tantam regni excellentiam, et tantam rerum opulentiam contemnendi, ac pro æterno regno viam perfectionis arripendi vobis affectum inspiraverit, ipsi omnium bonorum largitori grates quas possumus agimus, et ut hoc ad effectum perducere satagatis, votis omnibus exoramus.

EPISTOLA VIII.

Dilectis filiis et fratribus nostris de Norantona (85), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, gratiam et benedictionem.

Cum omnes ad Cluniacensis congregationis corpus pertinentes communi charitatis debito diligamus, vos inter reliquos speciali quodam affectu complectimur. Et licet locum vestrum corporali aspectu nunquam viderimus, intuitu tamen veræ dilectionis, vos non tantum quotidie, sed et continue intuemur. Facit hoc bonæ conversationis vestræ fama, sed specialiter Thomas ille vester, imo noster, quo et si personaliter caretis, pro eo tamen nos et nostra omnia possidetis. Est enim nobis intimus, et tantum in Christo charissimus; ut cum innumera Cluniaco sæpe vestra Anglia munera miserit, nihil unquam isto gratius aut charius obtulerit. Non igitur gravet vos ejus absentia quia plurimum, cum tempus fuerit, vobis ipsius apud nos poterit conferre præsentia. Quod si sapienter negotiamini, ibi merces vestras debetis exponere, unde majora lucra suo possitis tempore reportare. Patienter igitur tanti

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(85) *Fratribus nostris de Norantona.* Norantona, prioratus ord. Clun. in Anglia, qui et forte *Prioratus de Arenthona* vocatur in Catalogo Beneficiorum

A ad præsens ferte dispendii jacturam, quia quod, ut diximus, modo sentitis damnosum, juvante Domini gratia, quandoque experiemini lucrosum.

EPISTOLA IX.

Summo Ecclesiæ Dei pastori, et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, humilem obedientiam et devotum obsequium.

Multi interpositarum terrarum longinquitas, quæ multo spatio nos a vestra paternitate separat, cogit nos prolixiores, quam aures vestræ pati consueverunt, quandoque litteras dirigere. Nam si in proximo vos haberemus, frequens inquietudo negotiorum ad vos se sperans habere posse recursum, compendiosior in verbis existeret. Sed quia et multarum spatiis terrarum et plurimorum, quod magis veretur interpositionibus gladiatorum, se ad vos rursus penetrare posse pene desperat, sit importunior in referendo magis cogitans quid cura illi debeat paterna conferre, quam quid in sua relatione eam tædeat audire. Ideo venia danda est prolixitati si quod suum est, non negatur necessitati. Audivi, et in litteris domino Albanensi episcopo directis legi sublimitatem vestram eidem mandasse, ut ad vos reditum acceleraret et suam vobis præsentiam exhiberet. Pervenit hoc et ad aures multorum, de vestra pace et salute non parum sollicitorum qui omnes eo dilectionis voto, quo vobis astricti sunt, valde mirantur tale a vestra majestate processisse decretum, quod si bene perpenditis, vestris utilitatibus prosit nihil, obsit plurimum. Et, ut taceam, quod nisi per inimicorum manus, in ejus captivonem vel necem vestri causa paratas, et ad vos iter non sit, quid etiam si pervenire integer posset, in medio bellorum imbellis, quid in medio armatorum facturus et inermis? Magis ille quia sacerdos Dei est, manuum ad Deum cum Moyse extensione, quam alieni sanguinis effusione, et iram Domini avertere, et Amalec superare consuevit (*Exod. 14*). Quod si longe melius Moyses in monte orationis secretum dante, quam in campo bellis patente hostes populi Dei superare prævaluit et episcopus vester, vere quidquid hostis insibilet vester, multo magis et vobis Patri suo, et universæ Christi Ecclesiæ orationibus et consiliis nobiscum, quam tumultibus et præliis vobiscum proscipere valeret. Videtur hoc non solum insipientiæ meæ, sed et plurimorum sapientium, et religiosorum virorum sapientiæ, de quibus et Dominus Clarevallensis abbas, qui totum se, ut nostis, negotiis vestris impendit, eidem domino Albanensi coram Vizeliacensi et Pontinensi abbatibus se valde dolere, quod ad partes illas a vobis accersiretur, dixit. Super quo tam ego quam plures partium nostrarum personæ sapientiæ vestræ scribere proposuimus; sed ab ipso do-

a Clun. cœnobio dependentium, estque subditus prioratui Beate Mariæ de Charitate.

mino Albanensi prohibiti, propositum dimisimus. Festinat enim jussionem vestram, in quantum licuerit, totis viribus adimplere. Unde et diversos tanti itineris labores, adhuc diutina illa infirmitate satis debilis aggredi, et Italiam magis bellorum tumultibus, quam montium rupibus exasperatam penetrare disposuit. Serenate igitur, obsecro erga tantum tamque vobis utilem ac fidelem virum, si quod vel leviter fuit animi vestri nubilum: talemque vos ei exhibete, qualem eum erga vos pro certo cognovimus esse. Et sicut aliis litteris fidei ausu admonui, ita et adhuc moneo, ut si quid forte austerius litterarum, quas saepe mittit, in auribus vestris sonuerint, aequo animo accipiatis, magisque dulcem scribentis affectum, quam scriptorum elementorum verba signetis. Meliora sunt enim, ut me melius nostis, vulnera diligentis quam fraudulentis oscula (*Prov. xxvii*); salubriorque mordens pietas quam mulcens iniquitas. Nec magnitudini vestrae indignum est dicere quod de utroque hoc genere hominum maximus ille rex et Propheta dicebat: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum: sed, Corripiet justus in misericordia, et increpabit me (Psal. cxi).* Quod ille quidem non facit, sed morem habens in corde et corde non loqui, pium vobis servat affectum in mente; sed quod sibi videtur, severiore demonstrat sermone. Hunc eum loquendi morem habere, longe vobis durius non absens litteris, sed praesens verbis saepe in faciem ipse expertus sum; sed cor unde illa procedebant cogitans, aequanimiter omnia passus sum. Quis enim non ferat, imo quis non gratias agat non publice arguenti, sed secreto quasi in cubili cordis commonenti, seu corripienti charitati? Non tamen ille scribens vel loquens quidquam imperat ut dominus, sed quae dicenda sunt humiliter suggerit ut subjectus. Venientem ergo ad vos vel prope vos episcopum vestrum, eo, quo nostis apud Deum, et apud homines honore dignum, si placet cum honore, et maxime cum illo, quem a vobis promeruit, amore suscipite ut et illi quod justum est retribuatis, et alios hoc exemplo magis magisque ad vestrum obsequium accendatis. Sed ne in partibus Italicis hoc tempore, quo in Christi messe pauci sunt operarii, otiose immoretur, oramus, ut si placet, eum ad nostras Gallias remittatis, ubi quanto notior, tanto nobis vobisque poterit esse utilior. Ibi quantam vestri habuerit auctoritatem, tantam ibi vestram operari poterit utilitatem.

EPISTOLA XI.

Singulariter venerando, et specialiter amplectendo, domino et patri suo MATTHAEO Albanensi episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, quam promisit Deus diligentibus se.

Christianorum nobilissimus orator Hieronymus, in quadam sua epistola: *Multa, inquit, in orbem monstra generata sunt, Centauros et Sirenas, Viulas et Onocritalos in Isaia legimus, Job Leviathan et Behemot mystico sermone describit, Cerberum et Stym-*

phalidas, aprumque Erimantium narrant fabulae poetarum, triformem Gerionem Hispaniae prodiderunt, sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis et eloquentissimis abundavit. At cum tanti viri testimonio expers talium prodigiorum nostra semper a saeculis Gallia fuerit, heu! nostris diebus suprascriptis omnibus longe informius monstrum peperit. Felicia priora saecula, quae ne tam pessimo fetu deturparentur, diu sterilia permanserunt! Sed nostra tempora miseranda, quae infanda fecunditate detestandam sobolem profuderunt. Habuit aetas illa, licet fabulose, Evandrum Caci peremptorem; Herculem Cerberi alligatorem, Hydrae eundem multorum capitum detruncatorem. Portentum vero noviter apud nos exortum, sicut non est qui vinciat, ita non est qui exstinguat. Ha omnes qui invisum prodigium, mox ut apparuit, suffocare debuerant, enervati sunt, ut vel nihil mali actum vel nihil novi ortum esse, suo silentio fateri videantur. Sola pene in vestro solito justitiae zelo, ultima in vestris viribus spes remansit: quas tanto majores huic negotio adhiberi oportet, quanto magis de vestro auxilio omnium nostrum intentio pudet. Et quia hoc quasi prooemio satis, ut credo, intentum [attentum] vos reddidi, ne diu suspensum teneam, queror ego, queruntur fratres nostri omnes, ad quos hoc pervenire potuit, queritur totus monachicus ordo, et communem injuriam pari querela deplorat. Expulsos a sedibus suis Monachos Virdunenses, clericos pro eis intrusos, sua deseruisse, aliena occupasse sola vi, nullo iudicio, in messem proximorum falcem misisse, et propriis cultoribus esurientibus eorum avidissime fruges devorasse. Et quod majus ostentum? Quod detestabilius monstrum? Quod portentuosius prodigium? Solebant clerici diversorum ordinum, canonici diversarum professionum, et quid de minoribus agam? ipsa Ecclesiae cacumina; episcopi dico, consueverant pontificalem dignitatem pro abjecta monachorum vilitate commutare, et de summis ecclesiasticorum honorum gradibus, ad humilem se hujus propositi ordinem inclinare. Nostis et ipse, in quanto apud antiquos Patres ordo iste honore fuerit, non ignoratis quanto studio eum apostolica sedes praeceteris Ecclesiae institutionibus coluerit, non latet quantos Deo fructus feracius aliis Christi segetibus protulerit. At nunc nescio quo iudicio praedudum passus nec sua retinere jam praevaleret, cum aliena sua facere in melius commutando soleret, contemnitur, expellitur, conculcatur, et jam nec laicali consortio dignus habetur. Quodque nec de furibus sit, antequam audiatur, condemnatur; antequam sub iudice de culpa agatur, proscribitur, ante reatum cognitum, ut reus addicitur; sed ut adversarii aiunt, fuerint propter mala sua monachi expulsi, expellendi, arrogaverit sibi fama consentiens iudiciale decretum; quid etiam personis peccantibus sanctus ordo peccavit? Quid, aliis delinquentibus, justitia promeruit? Cur cum reis

innocentia condemnata est? Cur malis monachis A secundum quosdam expulsis, monastica institutio expulsa est? Ut quid saltem malis illi boni monachi non succedebant? An quia nusquam tales inveniri poterant? O quam innumerabilis monachorum turba, per supernam gratiam nostris maxime diebus multiplicata, universa pene Gallica rura operuit! urbes, castella, oppida implevit! quam variis vestibis, institutis, Domini Sabaoth exercitus, sub una fide et charitate, in ejusdem monastici nominis sacramenta juravit! Aut ergo omnes isti pro expulsis introducendi expulsoribus defuerunt, aut tanta multitudine eis in nauseam versa, inopes eos, ut dicitur, copia fecit. Et ne diu ecclesiasticis negotiis occupatas beatitudinis vestrae aures detineam, rogamus instanter, et nobiscum Dominus Catalaunensis episcopus (84), ac multae aliae nostri ordinis personae deprecantur, ut detis operam abstergere ab ordine nostro tantae dedecus ignominiae, ne reverentia semper huic professioni ab apostolica sede conservata, vobis domino papae assidentibus depereat, neve tanta, si inulta remanserit, injuria risum inimicis monastici ordinis praebet. Nec miremini me vehementius de ista quam de propriis sollicitari causis, cum communia bona semper maluerim praeferre privatis.

EPISTOLA XII.

Beatissimis, et singulariter honorandis ac nominandis dominis ac Patribus Carthusiensibus, domno C GUIGONI priori, et ceteris fratribus, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, aeternam a piissimo Salvatore Jesu Christo salutem, et a consolatore Spiritu plenissimam recipere consolationem.

Audita, dilectissimi, et vix credita apostolici numeri, et caelestis collegii vestri tam subita et inopinata imminutione, fateor, quasi in exstasi raptus diu stupui. Occurrebant mihi, et quasi violenter cordi meo se immergebant, hinc rei novitas, illinc abysus consiliorum Dei; hinc pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, illinc mortis ejusdem ex humano affectu dolor: qui, etsi sanctorum funeribus non debetur, ex diligentium tamen cordibus ipsa vi dilectionis extorquetur. Sed, cum per aliquot dies ista mecum reputans, et quasi cum amicis beati Job in terra sedens ac moerens conticuissem, statui dilectioni vestrae mihi super aurum et topazion charae scribere, atque statum animi vestri modo quo poteram rescire. Neque enim permitterem epistolam meam me praevinire, si adeundi sanctitatem vestram mihi aliquatenus facultas data fuisset. Sed, cum universorum consonaret sententia, obstante immenso nimium aggere, neminem ad vos equitem posse ingredi, peditem me posse pergere desperavi. Nam revera, si vel illud fuisset possibile, non recusassem etiam hoc cum magno labore ten-

tare. Unde licet quam citius potero hoc me facturum confidam, hunc tamen nuntium quasi subsequenti praecursorem vobis interim mitto. Et quamvis, secundum vulgare proverbium, stolidissimum videatur humeris ligna ad silvam deferre, et aqua urceo allata mare infundere, nihil tamen diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis, charitas potest contemnere, quod ex ejusdem charitatis videatur fonte descendere. Hortor igitur et obsecro, ac mecum quae Cluniaci Domino Christo servit, et vobis ex corde compatitur, tota fraternitas deprecatur, ne casum hunc cordi apponatis, ne inde plus justo doleatis, ne justorum morte, qua magis gaudere debetis, vos ipsos multis aliis confectos laboribus afficiatis. Nam, si res bene perpenditur, non est quod vobis dolorem importet, sed est plane quod ingentem laetiam subministret. Quis enim dolor illis debetur qui dolorem evaserunt? quae lacrymae, qui lacrymarum omnem materiam exuerunt, qui ad vitam illam pervenerunt de qua in Apocalypsi Joanni vox de caelo ait: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors non erit ultra, neque luctus, neque dolor?* (Apoc. xxi.) Quid, inquam, illis dolendum est, qui quod diu desideraverunt, nunc tandem consequi meruerunt? Quid sane illi viventes exoptabant, nisi quod Apostolus de se dicit: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo?* (Philipp. i.) Nam quis viator prolixum iter laboriose peragens, et eodem itinere ad desideratam requiem tendens, tam stultus est, ut nunquam ad requiem pervenire, nunquam asperrimum viae laborem velit finire? Quis agricola tam durus, ut hieme urgente, pluviis ingruentibus, aestu fervente, terram tantum proscindere, semina serere, nunquam fructus exoptet percipere? Quis negotiator terra marique saepe latrones perpressus, semper pavidus, semper suspectus, multa multoties flagella vel vulnera passus, non toto affectu animi tantis malis carere, et multo eum lucro patriam parentesque revisere concupiscat? Quis haeres a patre constitutus, non omnis mentis adnisu ad concessam haereditatem pervenire ambiat? Sic plane, dilectissimi, sic vere et absque dubio sic, sic de istis mortuis vestris, imo et nostris mortuis est sentiendum, credendum, dicendum quia et, secundum Evangelium, finita arcta via, quae ducit ad vitam (Matth. vii), perducti sunt ad Vitam quae dicit: *Ego sum resurrectio et vita* (Joan. ii); et agriculturae labore cessante, juxta Psalmistam, *qui seminaverunt in lacrymis, jam in gaudio metunt* (Psal. cxxv); et similes negotiatori quaerenti bonas margaritas (Matth. xiii), multum de negotiatione sua etiam morientes lucrati sunt, qui unam pretiosam margaritam omnia vendentes emerunt, utpote quibus vivere Christus erat, et mori lucrum (Philipp. i), et boni filii ad haereditatem benigni patris moriendo pervenerunt. De qua Propheta: *Cum dederit, inquit,*

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(84) Dominus Catalaunensis episcopus. Gaufridus, ad quem infra epist. 43.

dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini (Psal. cxxi). Unde oportet, ut ait Apostolus, *non contristari vos de dormientibus, sicut contristantur qui spem non habent* (I Thess. iv), nec quasi infelicibus eis condolere; sed quasi, ut vere est, jam sempiternæ beatæ toto animo congruere, quia et valde incongruum videtur, sociis vestris in superna lætantibus, vos pro eis deorsum dolere. Si quis tamen dolori locus esse potest, hic tantum videtur, quod eis quiescentibus vos adhuc laboratis, quod eorum cursu jam consummato vos anhelantes curritis, quod eis jam victoriarum palmam tenentibus, vos adhuc in certamine desudatis. Sed huic cogitationi facilis occurrit consolatio, quia quod illis jam contulit gloriam, vobis proficit ad coronam. Hoc enim camino, quo illi omni decocta rubigine splendificati sunt, vos etiam non inferius, quia nec eis mitius, imo fortasse durius, quoniam prolixius purgamini. Nam, etsi cum eis mortui non fuistis, mortem eorum gladio animas vestras pertranseunte, mortem nequaquam morientes tolerastis: quam idcirco duriores sensistis, quia cum deficientibus ipsi deficere non potuistis. Fecit hoc Dominus ut vos probaret, ut vos vobis etiam in hoc conflictu fortes aut infirmos ostenderet, ut virtutem vestram mundo ostendendo, infirmos roboraret. Nam quos ante mundus noverat in pace fortes, hos Dei gratia largiente agnoscit in bello constantes. Libet æstuanti erga vos affectus mei desiderio se per verba diffundere; sed negotiorum importunitas, ne nimis diffluat, cogit multa brevare. Quapropter, quoniam superno

A di, in æternum jungantur. Lætificate igitur nos, non parum vobiscum mœstificatos. Quod continuo fiet, si vos mœstiliam deposuisse quam citius nobis innotuerit.

EPISTOLA XIII.

In cathedra seniorum collaudando, venerabili et dilectissimo domino, domno HEINRICO, Wintoniensium episcopo (85), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, post honorem pontificii stola gloriæ indui.

Magna multumque amantibus tædiosa terræ marisque interstitia, quæ vestram Britanniam a nostra Celtica Gallia diviserunt (86), sicut à mutua visione, sic a familiari colloctione nos hætenus diviserunt. Unde ego metuens, ne diuturna divisio corporum divisionem quoque pariat animorum animi mei abdita, quæ verbis non potui, litteris vobis communicare decrevi. Nam recordatus pristini amoris, et illo eum tempore perire formidans, quo maxime isdem mutuus vestræ charitatis affectus pluribus proficere posset, quando multorum post Deum salus de utriusque nostrum moderamine pendet, ignem divi sub cinere consopitum ne in toto deficiat, quo possum fiabello suscitare contendo. Expectavi quidem, et diu suspensus sustinui, si forte aliquid jucundum a vestris partibus audire mererer; sed, ut aliquid vel ludendo dicere liceat, frustra a vestro occidente mihi solem oriri sperabam, incassum marinos turbines nostri diei obscura serenare credebam, superfluo a lateribus aquilonis austrinis flatibus frigora nostra posse tepesceri suspicabar. Sed fortassis, et hunc nostrum ludum dignitas vestra non æquo animo acceptabit. Quid igitur faciam? Si seria dixerero, gratus non ero. Si allusero, nec sic placebo. Si questus fuero, asper videbor. Si accessero ut laudator, notabor ut adulator. Quod ergo placendi consilium? Quod, nisi quod ipse dederitis? Date, date, inquam, consilium, et jubentis mandata mea statim sequetur obedientia. Arbitror tamen, et etiam me scire confido, quid super his vestra mihi præceptura sit sapientia. Et hoc unde? Quoniam, sicut impossibile est lucem tenebras generare, sic fas non est sapientem aliquid sapientiæ contrarium jubere. Inde certum mihi est quod nec alludentem, nec querulum, nec adulantem (quæ

ANDRÆ CHIESNI NOTÆ.

(85) *Domno Henrico Wintoniensium episcopo.* Henricus hic, ad quem idem sæpius infra, quartus Stephani majoris comitis Blesensis, et Adalæ majoris Guillelmi Conquestoris natæ filius fuit, quem mater, inquit Guillelmus Neubrigensis lib. 1, Rerum Anglic. cap. 4, « ne soli sæculo genuisse liberos videretur, apud Cluniacum tonsaruit. » Postea verum cum Henricus I rex Angliæ unicam comitis Bononiensis filiam, ad quam tota spectabat hæreditas, Stephano nepoti suo, qui frater erat Henrici jam dicti, copulasset, ac ei plurima in Anglia collargitus fuisset, « fratri » etiam « ejus Henrico Cluniacensi monacho dedit abbatiam Glastoniensem, ac postmodum episcopatum adjecit Wintoniensem. » Verum annis aliquibus elapsis, Henricus II et ipse rex Anglorum infensus illi, causam dedit, ut præmisso thesauro suo, quemadmodum loquitur Matthæus Paris, per-

D abbatem Cluniacensem Petrum, absque licentia regis ab Anglia clam recederet anno 1155. Quapropter rex tria ejus complanari fecit castella. Porro scribunt ad eum et S. Bernardus epist. 95 et Joannes Sarisburiensis epist. 247, memineruntque etiam ejus Joannes Paris. in memoriali Histor. Necrologium S. Martini de Campis, Paris. et Chronicon Cluniacense.

(86) *Quæ vestram Britanniam a nostra Celtica Gallia diviserunt.* Imo et a reliquo orbe. Unde Virgilius:

Et penitus toto divisos orbe Britannos
Cur, autem Britannia dicta sit illa Oceani insula, quæ nunc Anglia et Scotia vocatur, late docet vir doctissimus Guillelmus Cambdenus in descriptione Britannicæ, et nos post eum nuper in Historia Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ pluribus adnotavimus.

supra posui me esse) censebitis, sed veri fidem amici a me vobis servari mandabit. Fateor, jam quasi ab ore vestro prolatum verbum suscipio, et hoc me servaturum, si mihi idem reponsum fuerit, modis omnibus repromitto. Teneor jam sponsione mea, et ipse mihi libens quæ nunquam excutiam, vincula injeci. Fidem veri amici me vobis servare promisi. Quod si ita est, falsi amici perfidiam me expedit detestari. Falsus vero amicus essem, si in corde et corde loquens, aliud mente tegerem, aliud ore proferrem. Unde, quia inter amicos omnia nuda, nihil ultra illi tegere disposui, cui omnia etiam intima revelare proposui. Familiari ergo ausu conqueror excellentiam vestram citius justo dudum adversum me commotam fuisse, et pro re levissima fixam amicitiae gravitatem mobili facilitate commovisse. Nestis ipse quid hoc fuerit, quod hac de causa reticeo, quia nec memoria dignum esse judico. Hoc non dico vile vel leve, sed nihil prorsus fuisse ostenderem, si litterarum prolixitatem propter legentis fastidium non vitarem. Quod igitur nec gravi causa exstante fieri debuisset, nulla præcedente materia factum est, et cor magni illius et singularis amici in contrarium versum est. Unde qui nihil aliud merueram, multa pertuli; et quem intimum amicum credebam, ex insperato hostem persensi. Hostem autem voco non mala inferentem, sed bona denegantem, non inimicitias effectum ostendentem, sed affectum amicitiae subtrahentem. Nec ego replico frequentes querelas, quibus aures legatorum nostrorum in Angliam transfretantium implere consuevit; nec monstruosa illa, quæ apud Charitatem in nos commissa sunt, memoro: quorum ipse altor, non defensor, vel certe mediator esse debuistis. Ista, inquam, et si qua sunt alia, taceo, ne quem mihi laboro placare, videar forsitan provocare. Ad hoc solum tota querela mea concurrat, quod me anno præterito per multum temporis in Anglia morante, vobiscum pene jugiter adhærente, habere vos sinistri aliquid adversum me minime dixistis, et hoc tamen in corde continuistis. Multæ de multis inter nos conferebantur, hoc profundo silentio tegebatur. Nihil aliarum rerum a nobis familiaris sermo vester abscondebatur: hoc nescio quid meditans mens vestra summo studio in intimis recondebatur. Impendebantur a liberalitate vestra innumera mihi nostrisque beneficia; sed hoc unum, quod pro munere duceremus, tenax celabat conscientia. Et quid multa? Oportet ut materiam verborum fertilem brevis sermo coarctet. Sit iste, si placet, mutuarum finis querelarum. Indulgeo ego prior absque aliqua pœna, multa quæ in me non jure commissa sunt. Indulgentiam et mihi, etiamsi non peccavi, postulo.

ANDREÆ CHIESNII NOTÆ.

(87) *Cluniacum melius quam Wintoniam possidete.* Wintonia Britannicorum Belgarum civitas, Ptolemæo et Antonino *Venta Belgarum*, Nechamo et quibusdam aliis *Guintonia*, Britannis etiamnum *Cæter Gwent*, Saxonibus antiquis *Wintancester*, et

A Pœnam vero peccatorum pro velle sumendam, potestati vestræ concedo. Scio regii sanguinis animus, cum se vicisse cognoverit, tunc multo magis victum. De cætero me et totam Cluniacum melius quoque quam Wintoniam possidete (87); et nostræ amodo pater patriæ, rector, abbas et episcopus estote.

EPISTOLA XIV.

Intimo amico suo, domno STEPHANO (88), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem quam sibi.

B Anima mea jam de vestra, ut de se sollicita, pro salute illius meditando, loquendo, scribendo, requiescere nescit. Cœpisti, charissime, cœpisti currere, non desistas. *Omnes currunt, sed unus accipit bravium. Sic curre, ut comprehendas (I Cor. ix).* Vide ne latro malignus impediat iter tuum. Non enim tu de Jerusalem in Jericho descendere, sed de Jericho ad Jerusalem cœpisti ascendere. Sed, ut ait quidam:

*Facilis descensus Averni,
Sed revocare gradum, superasque evadere auras,
Hic labor, hic genitus [opus]....
(Virg. *Æneid.*, lib. vi, vers. 426 et seq.)*

C Istud ad quid? Ut sapienter advertas ad vitia demergentia in interitum ponam esse humanam naturam; ad virtutes sublevantes ad cœlum difficulter se attollere humanam segnitiam. Nam fugiens laborem, appetens requiem, supponit brevem parvumque laborem deloribus perpetuis; præponit voluptatem horariam delectationibus sempiternis. At non ita amator æternorum, non ita auditor apostoli dicentis: *Et mundus transit, et concupiscentia ejus (I Joan. ii).* Sed, quia multa de his tecum contuli, et plura in proximo collaturum me spero, longam epistolam jam facere nolô. Maxime vero, quia jam spiritum Dei tibi locutum sensi, et cor tuum plene tetigisse cognovi. Hoc tantum cave ne gratiam ejus in vacuum accipias, nec eundem spiritum a Deo tibi datum exstinguas. Veni ergo ad me cito, sicut et tecum condixi, et postmodum remandavi, ut si qua adhuc de his sunt dicenda dicantur, et quæ implenda impleantur. Hac prima hebdomada Quadragesimæ, et sequenti, me Cluniaci dilectio tua inveniet.

EPISTOLA XV.

Charissimo amico nostro domno HUGONI Catulæ (89), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et multum amorem.

D Magno dilectionis affectu, quo erga vos teneor, compulsus, non possum de salute vestra non gaudere, et de periculo non dolere. Nostis qua catena non mihi, sed Deo, imo, quod verius est, mihi pro-

Anglis hodie *Wintchester*.

(88) *Amico suo domno Stephano.* Clerico Lugdunensi.

(89) *Hugoni Catulæ.* Militi, cujus meminit et *Chronicon Cluniacense* in Petro I.

propter Deum astrictus teneamini, cum nullo cogente, sed spiritu Dei inspirante, corpus et animam vestram coram testibus in manu mea mysteriis celestibus consecrata posuistis, vos ipsum in monachum pro arbitrio meo tradidistis, in signum redditionis comam a me præcidi et servari voluistis, habitum religionis die constituta Cluniaci vos suscepturam jurastis. Et nunc, ut audio, contra divinam sententiam, quæ dixit: *Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua (Matth. v)*, et contra Prophetam, qui ait: *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea (Psal. Lxv)*, Jerusalem ire disponitis. Sed quis sapientem in tantum posse desperare credat? Credat, credat qui voluerit, ego me penitus credere diffiteor. Indignum est ut de tanto tamque gravi et veraci amico ea a me credantur, quæ de quolibet scurra credere vix quilibet posset. Sed quia, licet sapienti, laico tamen, et militi loquor, debeo his quæ versari in corde vestro rationabiliter videntur respondere. Fortassis enim apud vos dicitis: Quæ vita, quod opus, quæ conversio sepulcro Domini potest componi? Ad quod si quis ierit, quid simile facere poterit? Ad quod ego: Minora pro majoribus bonis possunt dimitti, pro minoribus autem majora, vel pro paribus paria nunquam debent immutari. Majus est vero Deo perpetuo in humilitate et paupertate servire quam cum superbia et luxu Jerosolymitanum iter conficere. Unde, si bonum est Jerusalem, ubi steterunt pedes Domini, visitare, longe melius est cælo, ubi ipse facie ad faciem conspicitur, inhiare. Qui ergo quod melius est promittit, quod deterius est, pro meliore compensare non potest. Nam si cuilibet centum promisistis solidos, salva sponsione ducentos potestis reddere; sed solos quinquaginta sine prævaricatione nullo pacto valetis exsolvere. Tractate ista sapienter, et cavete ne unde Deo placere festinatis, inde graviter ei displicere incipiat. Rogo igitur ut cum præsentium latore vero amico vestro venire acceleretis, ut quod his litteris nolo mandare, vivo vobis sermone valeam intimare.

EPISTOLA XVI.

Charissimis et honorandis fratribus nostris, prioribus obedientiariis, et aliis per diversas terrarum partes diffusis, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et æternam a Domino benedictionem.

Si vestræ charitatis affectus, si viscera pietatis, si ubera misericordiæ erga me qualemcumque servum vestrum et ministrum vigent, nunc precor experiar. Unde absens corpore, præsens spiritu, pedibus san-

ANDRÆ CHIESNII NOTÆ.

(90) *Marciniacensis monacha Raingarda.* De qua et ipse fusissime epistola sequenti, et epistola etiam 20, ubi *Raingardis professione Marciniacensis monacha, officio celleraria* nuncupatur.

(91) *Ut tricenarius missarum ei persolvatur.* Sic et præfata epist. 20: « Et ut in abbatiis, et aliis diocesis vestræ congregationibus, ei per vos tricenarius missarum persolvatur, et aliqui pauperes reficiantur. » Et Heloisa epist. 21 lib. vi: « Mihi quoque singulære quoddam velut amoris et sinceritatis pri-

etatis vestræ toto me cordis affectu prosterno, et, ut a vobis audiri merear, quantis possum precibus imploro. Ancilla Dei carnalis mater mea, spiritualis soror vestra, Marciniacensis monacha Raingarda (90), post diutinam et optimam cum sanctis sororibus conversationem, secundum Domini voluntatem, vii Kal. Julii commune debitum mortis in sancta confessione exsolvit. Quæ, quoniam dimissis omnibus ad vos specialiter de sæculi naufragio confugit, et in vobis totam spem salutis suæ reposuit, non solum meis precibus, sed et ipsius devotioni debetis, ut animæ illius ad æternum translatae iudicium succurratis. Orat ergo et per filium mater, et pro matre filius, ut tricenarius missarum ei per loca ubi possibile fuerit, persolvatur (91); et xii pauperes reficiantur. Reliqui sacerdotes duas pro ejus requie missas decantent, absque officio, et missa generali, quæ juxta morem agitur, et exceptis his quæ charitas Dei diffuderit in cordibus vestris, per Spiritum sanctum, qui datus est vobis.

EPISTOLA XVII.

Charissimis fratribus et filiis, JORDANO, PONTIO, ARMANNO, frater PETRUS, humilis et indignus fratrum Cluniacensium abbas, fraternum ut fratribus, paternum ut filiis dilectionis affectum.

Investiganti mihi diutissime, et sollicite huc illucque circumductis oculis disquirenti, quibus communicare cordis mei secreta, vel apud quos animi nuper conceptum dolorem exponere, et, si fieri posset, etiam deponere valerem, nemo justius occurrit quam vos, quibus et eadem causa mœrendi, et communis est mecum materies mœrorem solandi. Adhibete animos, et affectus ubi ubi dispersos pariter congregate; nec legendum negligenter putetis, cui non solum vestra studia, sed etiam vosipsos debetis. Non debet aliqua cordium vestrorum portio rei, de qua nunc agitur, quibuslibet impedimentis deesse, per quam vos divinitatis dispositio perduxit adesse. Regresso mihi nuper a Pisanò concilio, post multa quæ in illo itinere incommoda provenerunt, omni mœrore tristior nuntius occurrit, et alternas confabulationes, quæ de evasione periculorum, de incolumitate sociorum, de aliis prosperis eventibus, ut mos est, cum gaudio proferebantur, repentino suo adventu turbavit. Nam inter loquentes taciturnus assistens, inter lætantes nubilum mœroris indicem vultum prætendens ad me propius accessit, et funereas litteras mihi nihil talium suspicanti iniecit. Ego, utpote qui nuntium domesticum agnoscerem, et unde esset scirem, et a par-

vilegium donasti, tricenarium scilicet, quod mihi defunctæ conventus Cluniacensis persolveret. » Item Necrologium Sancti Martini de Campis: « Sciunt habitatores hujus loci, præsentis et superventuri, quod domnus Matthæus, hujus Ecclesiæ prior, constituit in communi sedens capitulo, annuente domno abbate Pentio Clun., ut per succedentia tempora omnibus annis celebretur tricenarius missarum pro duobus antecessoribus suis hujus loci prioribus, domno videlicet Theobaldo, et domno Urso. »

tibus illis nihil mihi sinistri nuntiari posse præsumerem, velut securus epistolam a notis missam suscepit, et quasi optima referentem citato eam oculo percurrere cœpi. Cumque præmissa salutatione adsequentia festinarem, subito quasi trabea mole repulsus hæsi, velut saxo caput percussus obstupui, sicut acri vulnere telo transfixus ingemui, quando beatæ matris meæ celerem, et velut furtivum de mundo recessum, littera silenter loquente cognovi. Tunc nimia doloris vi pectus urgente, et litteris antequam eas perlegerem lacrymarum nimietate humefactis, a loco, quem jam exosum habebam, cito surrexi, et secretiori petens aliquanto liberius gemitu, et fletibus impatienti ad horam animo satisfeci. Inde cum ultra modum mœror procederet, meoque jam contempto imperio, etiam a magnis quæ aderant personis consolari renuerem, nox supervenit, et quod alii non poterant, quiete sua doloris quantulumcunque magnitudinem sedavit. In crastino dilectam animam pio Redemptori commendaturus, ad altare accessi; et sacrificium spiritus contribulati salutari hostiæ adjungens, repropitiari ejus excessibus divinam clementiam imploravi. Aderant in comitatu nostro venerabiles et præcipuæ dignitatis viri archiepiscopi, episcopi, abbates, sapientes clerici, religiosi monachi, Remensis, Rothomagensis, Trecentis, Constantiensis, Sagiensis, et alii quamplurimi de diversis partibus terrarum congregati. Hi supradicti concilii occasione itineri nostro indissolubiles socii adhæserant, et ab eadem synodo mecum pariter redibant; horum benigna consolatione, et maxime illorum reverenda societate compulsus, ne mœstitiæ meæ nubilo tantorum virorum serena jucunditas offuscaretur, violenter tandem me mihi metipsi subegi, et verum comprimens mente dolorem, fallacem sciens sociis [sanctis] hilaritatis repente vultum exhibui. Qua mea permutatione et ipsi mutati, qui prius cum dolente doluerant, me consolatum rati gaudenti pariter adgaudere cœperunt. In hoc simulatio alacritatis gaudio, postquam quod reliquum erat viæ spatium emensum est, ipsis, ut decebat, Cluniaci solemniter exceptis, ego Marciniacum, vale dicens eis, velociter profectus sum. Nam et hoc mihi stimulos adaugebat, et quasi sævius inflictio vulnere conscientiam cruentabat, quod illud lumen meum me invisio, absente, insalutato, extinctum fuerat. Unde quod dum adhuc spiraret, saltem in extremis, heu! videre non merueram, jam subtractum ab oculis, clausumque sepulcro, vel lacrymis rigare quærebam. Veni ergo, et magnum illum ac sacrum ancillarum Dei gregem, mœstitia mortis ejus pene cum ea sepultum inveni. Fuerat illa cum celesti illo sanctarum sororum collegio per viginti fere annos sic conversata, ut sicut earum singultus, gemitus luctusque fatebantur, pene maluissent ei comori quam ea subtracta vivere. Mugiebat Ecclesia beatæ Virginis matris, ad quam primitus pro more orandi causa diverit. Mugiebat, inquam, et velut

A exitium omnibus immineret, suspiriis illarum et singultibus respondebat. Putabam me solum filiali tantam matrem affectu diligere; sed, dum eas attendere, omnes ejus cogebam filias judicare. Augerebant ipsæ luctu suo meum mœrorem, et dum eam gratis solo pietatis affectu deflerent, quid ego naturæ, quid Deo deberem, docebant.

Tandem luctuosa oratione finita agendam incepi, et velut tunc defungeretur, quia prius non poteram, tunc universa de more complevi. At ubi ad commune colloquium ventum est, explicare non possum tantam piarum ingeminationem querelarum. Nam ut innumera taceam, quæ nec referre, nec recollere facultas est, hæc se matrem, illa filiam, ista sororem, ea famulam se amisisse testabantur. Dicebant hanc tristium fuisse solamen, infirmarum robor, debiliū baculum, indigentium auxilium, et ad postremum necessitudinum omnium supplementum. Obmutuerant diversa negotia causarum, nec de ipsis quotidianis necessitatibus tractabatur. Una totum monasterium lingua defunctam Dei famulam loquebatur. Nec ista tantum in sacri loci penetralibus agebantur, exteriora quoque et adjacentia omnia consimili querimonia murmurabant. Pauperes, quibus semper pro posse munifica fuerat, vitæ subsidia sibi periisse gemitabant. Circumposita sanctimonialium pauperima loca, quibus sæpe conferre consueverat, quod sibi subtrahere solebat, velut suam matrem familias deflebant. Milites ipsi et laici, quibus pro officio respondere et servire cogebatur, jam se Marciniacum nescire dicebant. Sed quid multa? Induerant universa mœroris vultum, et tota facies monasterii tenebroso quodam pallore horrebat. Non cessabat tamen sacer conventus ab oratione, et Deo singulæ, Deo omnes dilectam animam commendabant. In crastino capitulum ingressus, priusquam pene os ad loquendum aperirem, iterato gemitu cuncta protinus impleverunt, et quidquid a me utcumque dictum est, totum uberrimis lacrymis perfuderunt. Absolvi tandem pro officio matris animam, quam ipse lacrymosum *Amen* respondendo, ad vitam absque dubio perduxerunt æternam. Inde cum universis ecclesiam ingressus, salutaria rursum pro ea sacramenta obtuli: ac postmodum ad ejus sepulcrum accedens, super venerandum corpus solemnem cum oratione absolutionem dedi. Cumque et animæ requiem, et corpori ad vitam implorassem resurrectionem, beatæ matri infelix filius vale dixi, et sic ab illa non animo, sed corpore tantum recessi.

Exacta itaque Marciniaci triduanæ mœstitiæ sepultura, tertia jam die velut de morte resurgens, animam resumpsi, ac loco egressus, vobis, o charissimi mei, hoc communis matris lamentabile epitaphium scribere decrevi. Elegi vos ex millibus, quibus mecum collacrymandi eadem possit esse affectio; quibus non dissimilis mecum probatur esse conditio. Volo igitur unius matris filios secum pariter ejus funus deflere, ne qui flere noluerit, ejus

se iudicet filium non fuisse. Nolo, nolo ut luctui nostro se quilibet importunus consolator immisceat, vel apostolicum testimonium velut pro se faciens prætendat, quo ait : *Notumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini (I Thess. iv)*. Quod si dixerit, respondebo Apostolum hunc istis intellectum abstulisse, et quod dixit sub distinctione protulisse. Nam postquam dixit, *non contristemini*, subiecit, *sicut et cæteri qui spem non habent (ibid.)*. De infidelibus ergo, non de fidelibus sermo erat, qui putabant cum corpore animam interire, qui dicebant nulla post mortem meritis præmia supresse, qui carnis resurrectioni consueverant derogare. Flebant illi mortuos desperantes resurrecturos, flebant charissimos, nunquam se eos existimantes in æternum visuros. Ea de causa fletus spei Christianæ contrarius apostolico mandato desiccandus erat, infidelis tristitia a fidei cordibus expellenda, fides resurrectionis vehementius commendanda. At non noster talis fletus, quem fundimus, non futurorum desperatione, sed naturæ compassione. Non noster talis dolor, quem generat non fidei defectus, sed nulla lege prohibitus mutuae germanitatis affectus. Hoc fletu antiqui iusti carnis proximos defunctos fleverunt, hoc dolore magni patriarchæ charorum suorum funera prosecuti sunt. Hinc de Isaac dicit Scriptura : *Introduxit Rebeccam in tabernaculum Saræ matris suæ, et intantum dilexit, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret (Gen. xxiv)*. Quis ergo nos, charissimè, prohibeat super pia sanctæ matris morte dolere, cum audiat tantum Patrem de propriæ matris occubitu doluisse? Quid si et pii patris piissimus filius Joseph in medium adducatur, de quo legitur, quod mortuo Jacob ruit super faciem patris, flens et deosculans eum? (*Gen. l.*) Cujus corpus cum de Ægypto tulisset, in terra Chanaan humasset, adjunctis fratribus et Ægyptiis comitantibus planctu magno atque vehementi septem diebus exsequias celebravit, Chanaanæis dicentibus : *Planctus magnus est iste Ægyptiis, locoque nomen imponentibus, planctus Ægypti (ibid.)*. Sed nec ille singularis inter primos Patres rex et propheta David nobis deerit, qui sciens quod naturæ deberet, cum prius admirabili charitate extinctos inimicos planxisset, fratricidam, et insuper patricidam filium operto capite lugebat, dicens : *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te? (II Reg. xviii)*. Sed quid istos velut solitarios replico, cum omnium veterum mos fuerit ex naturæ benignitate descendens, quoslibet affines vel majores de medio factos [functos] deflare, et publico luctu eorum exsequias celebrare? In quo societatis humanæ quædam reverenda concordia commendabatur, quæ piis mentibus esset quoddam desolationis solatium, et ad æterna disquirenda magnum ex defectu præsentium incitamentum. Hoc affirmat et liber Sapientiæ in quo dicitur : *Fili, super mortuum*

A produc lacrymas; et velut dira passus incipe plorare (Eccli. xxxviii).

Non est ergo contrarium fidei, non dissonans ab Ecclesiæ moribus, si super piorum funera pii homines pia intentione compunguntur, et quo ipsi demigraturi sint, velut quodam præludio perloquuntur. Nam in eo quod alios mortuos plorant, se quoque mortales factos deplorant : a qua misera mortalitate se per Christi gratiam erui, et ad beatam immortalitatem perducì hujusmodi oratione exorant. Quod si ad Evangelium stylus transferatur, apparebit non frustra dictum beatæ Virginis matri : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (Luc. ii)*. Qui ejus animam non pertransisset, nisi ineffabiliter quodam humanitatis affectu, de morte Dei et sui Filii doluisset. Quæ licet non dubitaret mortem Filii sui esse vitam mundi, eum tamen dire doluit morientem, quem mirè noverat a morte homines eruentem. Maneat ergo inter nos, o dilectissimi mihi, occultus nostræ deplorationis affectus, et his exemplis beatos matris cineres delectamus; sitque jam delectabile quod fuit lamentabile, ut quæ nos vivens peperit cum dolore ad præsentem miseriam, jam carne mortua pariat cum jucunditate ad sempiternam gloriam. Pariet, inquam, animas precibus, quæ, ut dixi, nostram carnem peperit cum doloribus : sitque illi hoc ad singulare refrigerium, cum eos, quos ex se mundo protulit, cælo quoque secum intulerit. Audeo et de ipsa hoc dicere, ne quis hoc me temere judicet affirmare, quoniam et conversio ejus a mea opinione in nullo dissentit, et conversatio ipsius mecum nihilominus per omnia sentit. Talis enim exstitit, quæ, in quantum homini cognoscibile est, et sibi sufficere, et alios debeat adjuvare. Veniat ergo tantæ semine conversatio admiranda in medium, ut ea cognita me vera dicere cognoscatis, et animos mœstitia exasperatos jucunda lectione et mutua collatione leniatis. Erit hoc absentis et defunctæ matris quædam vivax præsentia, et imago verorum æmula a cordis nostri penetralibus non recedet, qua nec post occasum vobis occidere, nec post tumulum valeat interire. Cogit ipsa rei utilitas, de qua agitur, non silere, ne si dicenda tacuero, tantam vobis materiam videar invidere. Non debet alicui nostrum aliquid fieri singulare quibus non solum charitas, sed etiam natura totum voluit esse commune. At ego nec claritudinem possessionis, nec quantamlibet in ea commendandam suscepi gloriam carnis : quarum illa rerum multis superior, paucis inferior erat, sed devotum Deo animum, mundi contemptum, coelestium appetitum. Ad quæ ut compendiosum transitum faciam, cum in flore feni adhuc recubans, juncta esset viro, alligata mundo, ad ea velut captivus ad libertatem, vinctus ad solutionem, exsul ad patriam suspirabat, et se conjugali vinculo præpeditam, hominibus ignoto, Deo cognito mentis angore deflebat. Ea de causa cum cives civitatis illius cui inhiabat, vel ad quam suspirabat, forte occurris-

sent, adorabat, suscipiebat, colebat, et abjecta omni domestica et mundana cura, se totam in eorum affectus et obsequia transfundebat. Suscipiebantur monachi, trahebantur eremitæ, et omnes habitu vel fama religionis ornati, passim ad hospitandum, etiam cum resisterent, cogebantur. Non audebat jam quilibet talium per terram ejus juri subditam commere, quin ad eam diverteret, et uno die vel pluribus apud ipsam manendo, devoto erga divina animo satisfaceret. Flebat remotis arbitris coram notæ sanctitatis viris, et profundos gemitus profundebat, quod a lege viri nondum soluta, servire sæculo cogebatur, aliorum curam gerere, sui negligere, exterius tumultibus implicari, interius occupationibus impediri, præsentia amplecti, futura

A contemnere, et iram sibi in die iræ malis innumeris thesaurizare.

Hæc dicens provolvebatur ad genua sanctorum, et velut cum Maria peccatrice, pedes eorum lacrymis abluebat. Orabat eos, ut pro se ad fores æternæ misericordiæ instanter pulsarent, quatenus quæ per se audiri non merebatur, eorum precibus median- tibus audiretur. Producta est eo usque talis intentio, nec a cœpto cursu potuit fatigari, donec famoso illi Roberto de Brussello (92) ad se venienti, et secum aliquandiu moranti, impulsa violento æstu animi se in monacham ignorante viro redderet, ut eo defuncto, vel concedente, statim ad fontem Ebraudi (93), si superviveret, demigraret. Fecit hoc, et timori Dei, quem conceperat, velut inferiori mole-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(92) *Famoso illi Roberto de Brussello.* Variant auctores in hujus Roberti cognomine. Guillelmus enim Neubrigensis Robertum *de Arbusculo*; Tabulæ abbatiae Sanctæ Mariæ de Bosco, vulgo de Rota, diocesis Andegavensis, cujus et primus abbas existit, *de Arbricel*; Chronicon Sancti Albini, *de Arbrissellis*; codex Cenomanicus Epistolarum Goffridi Vindocinensis, qui et illi scribit epist. 47 lib. iv *De Arbrussello*; Gaufridus denique monachus in Vita sancti Bernardi Pontivensis *de Arbrissello*, et *Arbressellensem* cognominant. Interfuit autem is concilio Pictaviensi, quod anno 1100 celebratum est, et cæteris prælatis ob furorem Guillelmi ducis fugientibus, solus cum præfato Bernardo constans et immobilis perstitit, uti jam dictus Gaufridus apposite docet his verbis: « Per idem tempus duo cardinales Joannes atque Benedictus, apostolicæ sedis legatione fungentes, ad urbem Pictavim concilium convocarunt, in quo cxi Patres adfuerunt, qui Philippum regem Francorum propter Fulconis consulis Andegavensium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt. Qua excommunicatione comperta, Guillelmus dux Aquitanorum qui aderat, totius pudicitiae et sanctitatis inimicus, timens ne similem vindictam pro consimilibus culpis pateretur, nimio furore succensus, jussit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus, pontifices et abbates omnes huc illucque diffugiunt, et ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus, atque Robertus Arbressellensis, qui concilio intererant, fortissimi justitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis et injustitiæ expugnatores, aliis tarpiter diffugientibus, ita immobiles constantesque perstiterunt, ut nec ab incepto excommunicationis desisterent, sed pro Christo mortem vel contumeliam pati gloriosissimum ducerent. Et quamvis eis persecutores mortem non intulerint, isti, quantum in ipsis fuit, martyrium pertulerunt. » Commendat et ejus in prædicationibus facundiam ac virtutem titulus abbatiae de Rota xv sic: « Noscant posteri et præsentis qualiter ecclesia de Arbrissel fuit data ecclesiae Sanctæ Mariæ de Rota cum omnibus appendiciis suis, etc. » Roberto de Arbrissel viro magnæ auctoritatis et infinitæ religionis verbum Dei per diversa loca seminante multi ad suscipienda grana tanti seminis convenere, » etc.

(93) *Statim ad fontem Ebraudi.* Monasterium sanctimonialium celeberrimum in Pictaviensi pago, quod Sugerius *Ebraldi*, Hildebertus et sanctus Bernardus *Everardi*, et Joannes Paris. *Evrardi fontem* appellant: fuitque paulo post annum 1100 conditum, ut nota Chronici Turonensis scriptor his ver-

bis: « Anno Domini 1100, Henrici imp. XLIV Philippi regis XL, concilium Pictavis celebratur: nec multo post abbatia Fontis Ebraldi in Pictavensi diocesi fabricatur. » Primus autem ejus conditor existit prædictus Robertus de Arbrissello, qui et monialibus vitæ religiosæ leges in duos hodie distributas libros præscripsit. Unde et Guillelmus Neubrigensis lib. i Rerum Anglic., cap. 15: « Robertus, inquit, de Arbusculo cognominatus, famosissimum illud monasterium de Fonte Ebraudi construxit, et regularibus disciplinis informavit. » Et Guillelmus alter Malmesburg. lib. iv De reb. Angl.: « Petri Pictaviensis episcopi fuerunt contemporanei, et in religione socii Robertus Arbreisel, et Bernardus abbas Tyronensis (a). Quorum primus omnium hujus temporis sermocinatorum famosissimus et profusissimus, tantum non spumea, sed mellea viguit eloquentia, et hominibus certatim opes congerentibus illud egregium sanctimonialium condidit. monasterium apud Fontem Ebraldi, in quo tota sæculi voluptate castrata, feminarum Deo dicatarum, quanta nusquam multitudo in Dei fervet obsequio. Nam præter cæterarum illecebrarum abdicationem, quantulum illud est quod in nullo loco loquuntur nisi in capitulo, proposita a magistro perennis taciturnitatis regula, quia semel laxato silentio, feminae pronæ sunt ad mussitandum frivola. » Quam institutionem attingit et Chronicon Sancti Albini, eum ait: « Anno 1116 obiit Robertus de Arbrissellis, v Kal. Martii. Iste fuit fundator monasterii Fontis Ebraldi. » Fundatorem enim dixit, quem alii institutorem, præfatus Malmesburiensis *Magistrum*, et Codex Cenomanicus Gaufridi Vindocin. *Procuratorem sanctimonialium de Fonte Ebraldi* nominant. Et hæc quidem institutio sive fundatio facta est nutu et auctoritate Petri Pictaviensis episcopi, « qui postea, » sicut refert Gaufridus in Vita Sancti Bernardi Pontivensis, « exsilium pro justitia usque ad mortem sustinuit, ejusque vitæ sanctitas mirabilis existit, ut post ipsius obitum miraculorum etiam attestatione patuit. » Cæterum tantæ fuit ab initio religionis is locus, ut et ab ipsomet papa, Calixto scilicet II, consecrari meruerit anno 1119; et etiam Sugerii abbatis Sancti Dionysii tempore, qui pro sanctimonialibus ejus ad Eugenium papam scribit, et cum in partibus illis in scholis esset noviter inceptum fuisse testatur, « pro Dei voluntate fere usque ad quatuor, aut quinque millia ipsæ jam excrevissent. » Mentionem quoque faciunt ejusdem honorificam Hildebertus epist. 79, sanctus Bernardus epistola 200, Jacobus de Vitriaco cap. 20. *Histor. Occident.*, et Guillelmus Tirus lib. xiv, cap. 1.

(a) Corrupte *Turonensis* in excusis, et apud Guill. Nebrug. corruptius adhuc *tyrociniū* pro *Tyronia*, Gallice *Tyron*.

superiorem adjungens, beata spe Domini misericordiam exspectabat. Et ne conjugem, cui idem quod sibi debebat, tanto charismate fraudare videretur, eum adit, occulta detegit, secreta pandit, horrenda æternæ mortis mala intentat, optanda vitæ æternæ gaudia commendat, prædicat fallacis mundi contemptum, obsecrat celerem ab eo recessum. Tandem tanti dux femina facti, ad hoc maritum impellit, ut, Deo sibi vitam largiente, congruo tempore se cum ea velle renuntiare sponderet. Quod si alterutrum prius obire contingeret, superstes statim votum utriusque compleret. Nam nec ipse in toto expers divini timoris vixerat, fide singulari vicens, orationes frequentans, sepulcra sanctorum annuatim disquirens, elemosynis insistens, hospitem indiscreta susceptione, ultra quam dici possit, exsultans. Hoc inter conjuges pacto firmato, cum innumeris et maxime præliis utriusque devotioni obviantibus res protraheretur, supervenit noceroris dies, quo conjuge de vita sublato, sicut turtur socio viduata remansit, in quo casu qualiter se habuerit, quam virili tantum infortunium animo tulerit, quam fidelem se viro conjugem (quod perarum est, etiam post mortem) ostenderit, si narrare incipio, deficio; si aggredior, vincor; si conor, dejecior.

Credite, charissimi, vereor verba mea, et cogitans quæ dicenda, et qualiter sint dicenda, pene acceptum desero. Sed quid agam? Ignorantia prohibet, amor impellit, materia deterrèt, charitas adhortatur, pondus premit, natura instigat. Sed meo hic judicio magis timenda est inutilis taciturnitas, quam quælibet incompta loquacitas. Dicatur ergo utcunque, quod prope nefas esset silere. Decumbente illo, assidebat lecto immota, sui que oblita, nihil nisi ejus salutem meditabatur. Ad quam procurandam totis mentis facibus ardebat, a qua ne vel in modico infirmantis intentio avocaretur, ab omni cura corporali ejus primo animum absolvit, testamentum eò præsentem composuit, lites diremit, hæredes instituit, castra divisit, et ad unguem universa perfecit. His ita ordinatis, ut animæ suæ jam liber a corporalibus consulere, velut de quadam docentis cathedra me audiente admonebat, ut conscientiam scrutaretur, peccata confiteretur, sua pauperibus et monasteriis largiretur, tremendum esse Dei judicium, multam ejus misericordiam, spiritui absolutionem, corpori provideret, dum adhuc viveret, sepulturam. Intonabant clamoribus omnia, luctu et lacrymis universa miscebantur, confusæ populorum voces cæli altissima quatiebant,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(94) *Corpus ejus Celsinianas detulit.* Celsinaniæ, quæ et *Celsiniæ*, et *Celsanicæ* dicuntur, vulgo *Sau-cillanges*, unus e primariis ordinis Clun. prioratus, in Arvernia, quem cui Cluniacensès debeant, ostendit Agapitus papa II, his ad Ademarus Clun. abbatem verbis: « Similiter censem de Celsanicas alodo quondam Heofredi comitis, quem filius noster Stephanus justa lance causam examinans, pro omnium remedio Christianorum prælibato (Cluniaco) dele-

A filiorum corona, familiæ multitudo, nobilium cæterva mœsta gemebat, sola mulierem excedens siccis oculis virili constantia perdurabat. Judicabat satius esse occupare animum utilitate morientis quam sociari populi fletibus, inutiliter abjecta ratione dolentis. Unde postquam confessione munitum, corpore Christi reffectum, monachili cucullo indutum, gaudens pariter et mœrens præmisit, corpus ejus, innumera hominum præcedente et subsequente multitudine, Celsinianas detulit (94), ac eum monachis inter monachos ut monachum tumultandum contradidit. Ita terræ terram commendans, et velut quoddam depositum suo tempore restituendum committens, ad procurandam requiem spiritui totam operam convertit, et amoris stimulis agitata, universa perlustrat, provincias oberrat, ecclesias visitat, monasteria circuit, exhaurit in pauperes ærarium, facit sibi amicos de mammona iniquitatis, nefas putat, si quem nisi munere donatum relinquat. Orat pro defuncto, orat et pro seipsa, ut et illi peccatorum remissio, et sibi detur a peccatis conversio.

Ordinat interea fugam, et mundo novis rursus retibus gressus ejus impedire quærenti, spe remanendi data, beata fraude illudit. Nam magnis amicis monentibus, ut demum nuberet, posse se magnarum opum et potentiae copulam inire, majores rerum successus in promptu adesse, ita respondit: *Et quidem facio quod consulitis, et quam in brevi potero, novos thalamos iterato nupta intrabo.* Tali responso velut alia curantem diabolum deludens, et condigno talione fallaciæ principem fallens, prædam quam ille jam faucibus se continere credebat hæc furari et subripere qua poterat arte curabat. Celat ergo in pectore salutis suæ arcanum, et quasi raptoribus thesaurum abscondit, ut ab omnibus posset esse tutum quod omnibus maneret occultum. Sed quia aliquorum agenda egebat auxilio, duobus tantummodo mysterium aperit, quorum nota fides et constantia credenda eis omnia suadebat. Uni, qui laicali licentia vivebat, omnem ut strenuo fugæ apparatus committit; alii probatæ religionis monacho spiritualia secreta prodit. Constituitur dies, quo de Ægypto exeat, quo gravi diu fasce depressa, a jugo Pharaonis colla subducat. Sustinentur spe libertatis jam leviora Ægyptiorum onera, et opera lutosa in brevi commutanda feruntur. Exspectatur novum Pascha, quo abjecto fermento malitiæ et nequitiae epulari liceat in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor. v.*). Et, o quanta interim dissimulationis arte mentem vultu velabat! quanta de se sæculo promittebat! quam hilarem se, etiam plus solito, quibuslibet exhibebat!

gavit loco. » Unde et Petrus quoque Venerabilis lib. I Miraculorum, cap. 6, « Celsinianas nobile Cluniacense monasterium » vocat, et pag. 1441 hujus Bibliothecæ, privilegium exstat integrum Wilhelmi comitis Arverniæ, « De concordia inter ipsum et præfatum dominum Petrum abbatem Cluniacensem, super Mauziacensi et Celsinacensi monasteriis. »

Videbatur se totam sæculo devovisse, et nunc magis quam ante sæcularibus commodis inhiare. Sed in abscondito Deo canebat : *Domine, ante te omne desiderium meum : et gemitus meus non est a te absconditus (Psal. xxxvii)*. Appropinquabat optatus dies, et fervens spiritu animus requiescere nesciebat. Nocte itaque diem mundi ultimam præcedente, Nicodemum æmulans nocturna advenit, et (o inaudita devotio!) sepulcrum conjugis adiit, et clam universis, præsentem tantum jam dicto monacho, se contra illud projecit, et, lacrymarum fonte laxato, largis illud imbribus inundavit. Deflebat in conspectu pii conditoris primo defuncti excessus, deplorabat et proprios infinito cum mœrore reatus. Satiato dehinc post multum noctis spatium luctuosis planctibus animo, ad confitendum conversa, ordiri ab initio et narrare universa conjugis, et deinde propria peccata seu crimina cœpit, et confitendo ad mediam usque fere noctem processit. Loquebatur velut ore defuncti, et quasi commutatis personis in conjugem vir pœnitebat.

His ita expletis, et veteri peccatorum fæce penitus exinanita, obsecrat ut se omnium criminum ream, sacerdos et vicarius Christi, cui vulnera animæ suæ patefacerat, duris medicinæ legibus subdat, et apud Marciniacum perpetuo pœnitentiæ carcere claudat. Hunc enim supranominato fontis Ebraudi monasterio prætulera, quoniam et venerabilis Robertus, cui se devoverat, jam vitam mortalem excesserat, et post primum claustrum ingressum more illarum sanctimonialium extra pedem protendere nefas ducebat. Horrebat plane saltem cernere, quod ei jam cœno deformius sordebat; et non superbo, sed superno animi fastu terrena omnia ut abjectissima contemnere incipiebat. Ideo præ cæteris locis sacris Marciniacum elegit, ubi velut columna cœlesti apta ædificio, immobilis perpetuo permaneret, et proprium præ oculis semper habens sepulcrum, ut mortuam se continua lamentatione defleret. Nec timuit mutatæ sponsonis notam, quando mutati loci occasio ejus exstitit aucta devotio. Nam licuit ei locum eligere, ubi Christo tenacius posset inhærere. Suscepto dehinc a monacho, quod ipsa sibi paraverat gravis pœnitentiæ jugo, a terra mente simul et corpore surgit, et ipsis nocturnis tenebris celans opera sua, ac conjugi sepulto ultimum vale dicens, ab ejus sepulcro ipsa iam jamque sepelienda reces-

sit. Electo deinde sapientium quorundam et nobilium comitatu, ut consueto more ea quæ mundi sunt sapere videretur, velut Cluniacum itura, et sanctos fratres pro viro rogatura, patrium solum deserit, et alienos fines perëgrinando ingressa, Cluniacum, sicut dixerat, contendit. Quo devota perveniens, et quantum sibi ac loco congruere judicabat, de suis largiens, impletis omnibus quæ proposuerat, festina redit, et votis iter prævenientibus, tandem Marciniacum, inde paradisum ingressura, ingreditur. Suscepta est immenso fratrum et sororum gaudio, qui nescientes quid animo gereret, ut novam hospitam multo eam honore colebant. Erat tunc domus illa valde rebus necessariis attenuata, utpote quæ fere centenarium sororum numerum continebat, et quoslibet advenientes indifferenter propriis sumptibus procurabat. Erat et angusta loci possessio, et redditus agrorum vix parvo numero sufficiebant. Tunc et sub domino Gaufredo Semmurensi (95) erat Gerardus loci sollicitus procurator, de cujus devota et sincera conversatione in libro Miraculorum primo plenius memoravi. Is sicut erat totus divinis operibus et sacris cœlestibus celebrandis perpetuo occupatus, quibusdam virtutum viris, quos ipse noverat, sibi associatis, aures misericordis Domini precibus impleverat, ut domum suam visitaret, et sibi servientibus necessaria provideret. Hic quodam die dum altari astans, missam de more celebraret, sicut ipse, Christum verbi sui testem adhibens, affirmabat, vocem ad se delapsam audivit in hunc modum : *Quod petisti, noveris te consecutum*. Inde, cum nocte more solito cubitum isset, aspexit, ut referebat, in somnis, et ecce columba niveo candore decora ad eum accessit; et supra atque in circuitu volitans, eum ad se capiendam quodammodo volatu domestico invitabat. Quam ille manu comprehensam, gaudens Hugoni sororum priori (96) offerebat. At ille lætus eam suscipiens, fractis, ne avolare posset, alarum remigiis, lignea cavea includebat. Hæc qui referente Gerardo audierunt, de ipsa interpretati sunt : quæ vera fuisse ipse rerum exitus indicavit. Nam superveniente die sacri loci penetralia introgressa, convocato monasterii priore, accersitis sororibus, adhibitis etiam ad insperatum spectaculum sociis, hæc ad eos orsa est :

Diu, charissimi, communi lege vivendi socios nos mortalis vita habuit, et ab ipsis infantia cunis ad

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(95) *Tunc et sub domno Gaufredo Semmurensi.* Fratre nimirum sancti Hugonis abbatis Clun., de quo et idem Petrus, lib. i Mirac., cap. 26 : « Gaufredus, inquit, vir nobilis, dominus castri quod Sinemurum vocatur, postquam per multum tempus magnifice in sæculo conversatus est, tactus divino spiritu mundo renuntiavit, atque cum filio et tribus filiabus apud Cluniacum habitum religionis induit. Ubi sancte et sine querela diu conversatus, merito religionis atque prudentiæ, Marciniacensium sororum prior effectus est. Quarum curam dum per aliquot annos humiliter et benigne administrasset, more mortalium molestia corporis tactus defunctus est. »

(96) *Hugoni sororum priori.* Qui Gaufredo jam dicto successerat, et post Pontium etiam abbas Cluniacensis electus est, ut refert et præfatus Petrus noster lib. ii Miracul., cap. 12, his quæ sanctitatem ejus mire commendant verbis : « Illi (fratres Clun.) post præceptum accepto consilio, totius religionis ac religiosæ opinionis virum Marciniacensium sororum priorem venerabilem Hugonem sibi pari assensu in abbatem eligunt. Suscepit sanctus ille, licet valde renitens, quod imponebatur, sed vix quinque elapsis mensibus ex hac luce migravit, et sicut longa ejus in sancta conversatione vita meruerat, ut merito creditur, ad meliora transivit. »

erum jam fere senie perdidit. Percurrinus omnia, lustravimus oculis universa, probavimus quæcunque gratiora promittere potuit, nec aliquid horum quæ coram cernuntur, curiosa sagacitas intentatum reliquit. Divitiarum copia, parentum turba, amicorum populus, alti sanguinis decus, ampla potestas, carnis voluptas, superbia vitæ, nil in terris extra se quærere suaserunt. Nihil ergo in imis ultra nobis restat quærendum. Invenimus quidquid terra promittere, quidquid reddere potest. Sed videte si ista nobis sufficere possunt. Multum viximus, sed sic est, quasi nec momento temporis vixerimus. Plura habuimus, sed quæ jam habita transierunt, nostra jam dicere nullo pacto valemus. Carnem oblectavimus, sed nec quamlibet parvas reliquias delectationis tenemus. Nunquam igitur ista nos satiant, sed quanto magis his inhianter vescimur, tanto magis nos jejunos sui saturitate dimittunt. Unde quærenda sunt alia alibi remedia, quæ esuriem reficere, sitim extinguere, egestatem valeant propulsare: instigat ad hæc infida mundi amicitia, quæ illos tantum decipit quos in se spem posuisse cognoscit. Et, ut de proximo exempla sumantur, quid conjugii nostro tanta de vobis merito, qui vobis arma, qui equos, qui pecunias, qui terras largiebatur: vos fidi, vos intimi, vos precordiales amici, saltem sine corporalibus expensis defuncto retribuistis? Quem pro ejus æterna requie exorastis? Quem sanctorum adistis? Quem monachorum rogastis? Quam vel modicam elemosynam erogastis? Cumque respondissent se vere nihil horum fecisse, adjecit: Doctores, ait, mei effecti estis, et quid agere, vel quid caverè debeam, judicastis. Non potero à vobis amodo expectare quod tanto vestro domino et amico vos video denegasse. Stultum esset in homine ultra spem ponere, cum nec in amicissimis spem quilibet valeat invenire. Agendum mihi est pro meipsa, nec in alio spes propriæ salutis reponendu, ne forte, dum alienum otiosa præstolor auxilium, per meam culpam amittam divinum. Laboret corpus, dum vivit, et pro seipsa Deum anima exoret, ne si prius deserit, non sit qui pro mortua interpellet. Et ut brevi fine multa concludam, et vobis quod hucusque celavi, aperiam nunquam ostii limina, quod videtis, excedam, nunquam me mundus sub divo videbit, nunquam ab hac, quam mihi elegi, ulterius exeam sepultura. Ad hæc illis insurgentibus, et quasi in amentiam subito mœrore versi essent, domui ruinam, si retineretur, inelamantibus, indeque ad lacrymas conversis rursus ait: Post tempestatem quies, post pluviam serenitas redit, et post fletus vestros risus more nobis noto succedet. Interim vos redite ad sæculum, ego coram vobis jam vado ad Deum.

Et hæc dicens, comitata sororibus claustrum ingreditur, et crine amputato, veste mutata, corde gaudente, columba jam dealbata a domno Hugone priore secundum visionis tenorem, in caveam includitur, et sanctis mulieribus beata jam mulier associatur. Gaudet erepta de Babylonis fornace, et de igne in refrigerium introducta, atria Domini ingres-

am se esse lætatur. Discurrit jam lætabunda per gramina paradisi, et in loco pascuæ collocata super aquam refectionis educatur. Carpit ut ovis Domnica avidis morsibus amœnos flores, et pingua prata oberrans, antiquam famem copioso pastu compensat. Congregat in brevi multarum opes virtutum, nec patitur in via mandatorum Dei aliis senior inveniri; sed æquans nova velocitate priores, festinat veteres citatis gressibus antecire. Ac primo se omnibus humilitate subjicit, ancillam fatetur, famulam exhibet, quia secundum Dominum, non venerat ministrari, sed ministrare (*Matth. xx*). In qua virtute ita omnibus complacebat, ut nihil de affectu defraudantes, toto eam cordis amplecterentur complexu. Quid vero de cordis contritione, et de quotidiana confessione, de continua lamentatione memorare potero, quando nec Ninivitis in contritione, nec David in confessione, nec Maria in lamentatione inferior apparebat? Nec primo tantum conversionis tempore, ut quibusdam moris est, ista egit, sed toto, quoad vixit, ævo, corpus labori, cor poenitentiae, oculos lacrymis dedicavit. Erant illi iacrymæ suæ panes die ac nocte, ita ut sæpe spiritualiter diceret animæ suæ: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* (*Psal. xli.*) Et consolando subjiciebat: *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus (ibid.).* Testabantur sorores ita eam plerumque fletibus affici, ut pene videretur exanimari. Prosternebatur in corpore in conspectu piissimi Redemptoris humilis ejus ancilla, et cum aliquando flexis genibus oraret, violento æstu animi in terram, etiam cum nollet, dejiciebatur. Tanta erat in ea vis spiritus, ut animo ad cœlestia raptò, quandoque impos proprii corporis videretur. Occultabat se tamen quantum poterat, sed, dum semper Ecclesiam occupat, sola semper esse non poterat. Vigiliis insuper et ieiuniis immanem corpori persecutionem indixit, et in tantum his et aliis laboribus vires et carnes exhausit, ut carnibus exinanita, cute ossibus adhærente, mihi post aliquot annos Marciniacum advenienti, ut filio mater alludens, secreto diceret: *Gratias Deo, quia superflua mundi amisi, veteres carnes, quibus sæculo servieram, perdi. Jam novas induam, quibus nova Deo obsequia impendam.* Psalmos quos et in sæculo didicerat, assidue decantabat. Cum igitur omni studio spirituali theoriæ intenderet, et animum omni virtutum propectu, quotidianis incrementis ad cœlestia sublevaret, ad Marthæ eam ministerium transtulerunt, et propter singularem industriam cellerariam esse monasterii præceperunt. Nam non erat illa columba seducta, non habens cor (*Ose. vii*); sed erat columba super rivulos aquarum (*Cant. v*), simplicitatis evangelicæ lacte lota, et serpentis non malitia, sed prudentia prædita. Retulerat de Ægypto spolia Ægyptiorum, quæ Hebræis fratribus impenderet, et quibus Deo in deserto hujus peregrinationis serviret.

Unde obedientia compellente, invita de claustrò

educitur, et curam sororum suscipere cogitur: in quo officio qualiter ministraverit, vix a me explicatur. Agebat eo studio curam universorum, ut amore mater, obsequio ancilla omnium diceretur. Exercebatur ardor dudum conceptæ charitatis, et ignis in ejus pectore diu occultatus in flammis prorumpere gestiebat. Oportebat ut quæ Deum ex toto corde in silentio diligere didicisset, se quoque secundum Domini mandatum diligere proximos eis obsequendo probaret. Servabat tenaci memoria nomina singularum, et velut de libro quotidie proferebat, cum nominare aliquam quælibet earum necessitâs exigebat. Scripserat in mente sua, quo unaquæque corporali incommodo laborabat, et morbos carum vel qualitates sollicita adnotaverat, ut posset unicuique absque errore subvenire, cum nihil eam talium contingeret ignorare. Noverat eas ut nobiles et delicatas, ut fragiles et infirmas, pro sexu, pro loco, pro usu multis egere: et ideo mentem, ne quid eis deesset, multo sollicitabat angore. Occupabat omnium servilium curâ officiorum, et ancillarum Dei se famulam esse gavisa, vilia quæque ministeria procurabat. Variabat in corde suo diversos apparatus ciborum, et tantum inexperta, coquinæ disciplinam addiscere cogebatur. Huic assa, illi elixa; salsa isti, insulsa alteri providere, sollicita circa frequens ministerium satagebat. Præparabat ipsa, coquebat ipsa, inferebat ipsa; et ut nil sibi de mercede periret, nihil sibi de labore imminui patiebatur. Collegerat uno suo in corde animos singularum, et quid unaquæque magis affectaret agnoscens, effectu operis omnium affectibus consonabat. Cumque sæpe paupertas charitatis ejus divitiis non responderet, tristabatur, dolebat: et quia satisfacere universis pro voto non poterat, magno tormentorum supplicio torquebatur. Et cum a non habente multa exigentur, secundum Regulam patientiam servabat in corde, mansuetudinem referebat in sermone; nec inanis ab ea recedere poterat, quam mentis hilaritate ac verborum jucunditate replebat. In qua virtute ita præcelluit, ut sorores omnes ea defuncta attestarentur, nunquam per viginti fere annos, quibus inter eas conversata est, verbum aliquod durum ab ejus ore vel leviter se audisse. Sic semper hilaris, semper jucunda, non solum nihil nubilum præferebat, sed, etsi quas tristitiæ nebulas in perturbatis mentibus aliquando offendisset, sereno verborum lumine exturbabat. Habent hoc proprium sanctæ mentes, ut semper in spirituali gaudio conversentur, et non in sæculo, sed in Deo exsultantes, implent quod Apostolus ait: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete* (Philipp. iv). Quod non frustra ab Apostolo ingeminatum, si quis attendit, intelligit. Nam, sicut nequam homines pessimi corde tenebras in vultu prætendunt, et quo demigraturi sint furiosorum verborum horrore præloquuntur, sic sanctæ animæ gloria felicis conscientie serenata, et spe futurorum bonorum adgaudentes, nil nisi lætum sapere, nil nisi jucundum loqui noverunt. Ita famula Dei, di-

scens a Christo mitis esse et humilis corde, et audiens ab eo: *Beati mites* (Matth. v), et a Propheta: *Diligit mansuetos Dominus* (Psal. cxlvi), cordis humilitati et verborum mansuetudini operam dabat, et ancillis Domini sui, ut de beata Cæcilia legitur, sicut ovis argumentosa deserviebat. Et licet ita in verbis suis omnibus complaceret, nihil tamen ludicrum, nihil otiosum ab ea proferebatur; sed eum linguæ loquendi modum imposuerat, qui et regulam non excederet, et omnibus satisfaceret.

At cum ad quarumlibet rerum collationem aut sponte aut vocata accedebat, tunc vere erat sentire quid intus gereret, vel quid apud se sedula cogitatione versaret. Nam, ut quod sentio fatear, superabat quoscunque vidisse me recolo gravitate simul et sanctitate verborum, ut, si eam audires, non mulierem, sed episcopum loqui crederes. Totus sermo ejus sacro sale conditus, nihil insipidum exhibebat, totus de cælo pendebat, totus præsentium contemptum, amorem invisibilium præferebat. Nec poterat diu, quando secretius agebatur, de talibus siccus sermo haberi; sed mox quo spiritu loqueretur, affluentes lacrymæ prodeuntes prodebant. Nam recolo quoties, me Marciniacum veniente, super filii velut super patris genua fleverit, ream se clamans, absolute postulans, mundi mala deflens, desiderio Christi anhelans. Inde cum se in terram prosterneret, et ego eam debita reverentia elevare conarer, non assentiebat, sed immota permanens, ac si nunquam ante pœnituisset, novis rursus lamentationibus pœnitebat. Gemebat incolatum suum prolongari, et, ut cito finiretur, votis, precibus, gemitibus implorabat. Inter hujusmodi verba, cum me simul filium et patrem vocaret, a patre pro officio absolvi rogabat, filium materno animo, singulari sapientia instruebat. Cumque jam recedere tempus urgeret, hoc semper vale novissimum erat: *Fili, sancto Spiritui et beatæ matri Virgini te commendo*. Hoc quippe etiam in sæculo, semper in usu habuerat, et ita os suum assuescebat, ut, præ cæteris sacris verbis, sanctum Spiritum et beatam Virginem nominans frequentaret. Et merito hæc duo loquens conjungebat, ut ex quo conjuncta sunt, nunquam divisa fuisse ipsa sua locutione doceret. Jam ut ad priora regrediar, cum quidquid apud se virium, quidquid scientiæ, quidquid studii erat, Deo et domesticis sororibus impenderet, nullo modo tamen hospitem et pauperum oblivisceretur, hos honorifice suscipiens, istis sollicite providens, ut nec illis congrua, nec istis deessent necessaria. Cura tamen propensior circa pauperes erat, quorum egestas in corde mulieris sanctæ præponderabat, ut quos major premebat indigentia, major illis adniberetur præfatis diligentia. Ea de causa si quid de commissa obedientia superesse poterat, in usus eorum devote expendebat. Erogabantur frequentes elemosynæ, vestes pro posse parabantur, et aut emebantur novæ, aut veteres sororibus subreptæ dabantur. Omnibus, secundum Evangelium (Luc. vi), petentibus

absque quaestione, quidquid cibi vel indumenti undecunque corradere poterat tribuebat. Quosdam vere quos et filios ludens vocabat, quotidiano victu et sumptibus reficiebat. Pausabat in eis mens dedita Deo, et veit ab antiquis mundi laboribus requiescebat, nunc tandem reputans invenisse se locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (*Psal. cxxxii*). Quidquid enim in pauperes dispergebat, sibi totum cœgregari gaudebat, sciens proprium esse lucrum quod ab aliis credebatur substantiæ detrimentum. Sed quid his plura? Ita de universis magna materfamilias curam agebat, ut sororibus ministrans Martha, hospitibus serviens Sara, pauperibus pie providens Tabitha crederetur. Sic femina virtutis abnegans semetipsam, tollens crucem suam et sequens Christum, quidquid sibi olim in sæculo vixerat, totum vivens aliis expiabat. Vivebat, inquam, Deo, vivebat proximis, Deo ad obediendum, proximis ad obsequendum, ut pro modulo suo voce Apostolica dicere posset: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (Gal. ii)*. Cumque difficile sit mentem fusam per diversa facile se recolligere posse, et contractus terrenis actibus pulvis non leviter a mentis oculis abstergeretur, hoc in ea admirandum apparebat, quod ab exterioribus ad interiora rediens, nunquam se ab intimis recessisse judicabat. Succedebat illico profundum verbis silentium, hilaritatis civilitas cœlesti gravitate permutabatur; post publica negotia fletus uberes exundabant. Mirabantur hæc mihi referentes sorores, animum tam subito ad varia permutari, nec posse tantis occupationibus a suo proposito in aliud derivari. Efferebant in ea Marthæ negotiis nihil otio Mariæ detrahi, nec Mariæ quietem Marthæ laboribus impediri.

His studiis ita sibi omnium animos unierat, sic sui affectum in universorum cordibus collocaverat, ut mero [miro] eam amore diligentes, matrem illam monasterii nominarent. Sed quandiu, o anima, verbis immoraris? Quandiu quod tandem dicendum est differs? Scio quid refugias, novi quid dubites, adverto quid verearis. Times audire mortuam, cujus vitam, si fieri decuisset, etiam hic optasses æternam. Metuis extinguere lucernam tuam, ne inviasæ tenebræ luce fugata succedant. Horrescis in absinthium mel converti, diem in noctem mutari formidas, cujus te dulcedo reficere, cujus te claritas solebat illustrare. Quæ si de aliis tanta meretur, quanta de te eam æstimas promereri? Quid enim illa in terris adeo coluit? Quid ita dilexit? Quid in humanis affectibus tibi non dico contulit, sed saltem æquavit? Et erant certe illi alii filii, sed in amore materno collati videbantur alieni. Fuerat illa tui non semel tantum mater: quæ multo cordis angore te parturiebat frequenter. Instabant, inquam, ei frequentes partus, et quotidiano ad omnes casus tuos pavore innovatis te rursus doloribus pariebat. Sollicitabatur assidua cura, et tibi totum cogitatum impendens, sui sæpius obliviscabatur. Metuebat omnia tibi, neque aliquid satis tutum esse putabat.

A Suspendebat animum ad omnes eventus rerum, et rumores etiam optimos formidabat. Quocumque regressum convertere audiebat, ad regiones quoque exteras clausa sequebatur. Si ad Britannias transfrestasti, si Italiam penetrasti, si Romam adisti, tecum maria enavigavit, Alpium horrenda cacumina, Appennini profunda exsuperavit, pericula universa subivit, et ad omnes asperos casus comes in remota permansit. Officii onera tu quidem sentiebas, sed illa sustinebat. Tu portabas, sed illa supportabat. Tu humeros supposebas, sed illa vires precibus ministrabat. Discurrebat, satagebat, orabat singulas, orabat omnes. ut pro te satagerent, pro te misericordis Domini misericordiam implorarent: debere hoc eas charitati, debere tibi, debere sibi; charitati ex mandato, tibi ex debito, sibi ex obsequio. Hoc sororibus, hoc fratribus, hoc advenientibus indefesse dicebat, et omnes absque discretionem longe amplius pro te quam pro se exorabat. Super hoc toto conatu ipsa precibus incumberebat: et omnes coram Deo animi vires exhauriens, viscera sua pro te Domino lacrymans effundebat. Canonem precum ipsa sibi præfixerat, ut si forte alia intermitterentur, illud pro salute tua quotidie Domino solveretur. Suggesterunt sæpe, si bene recolis, sorores, ut eam a lamentationibus compesceres, et a nimia pro te sollicitudine inhiberes. Quod et fecisti, sed nihil prohibendo profecisti. Quomodo ergo hanc morientem videbis? Qualiter hanc defecisse narrabis? Quo spiritu exspirantem cernere, quibus verbis salutare, quibus lacrymis ad deflendum tantum funus sufficere prævalebis?

Veniendum tamen est ad rem, et sors communis patienter excipienda, donec ipsa creatura liberetur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom. viii*). Quiescebat nocturnis horis post diurnum laborem ancilla Dei fatigata in lectulo, et ad laborem acrius resumendum artus labore solutos somno fovebat. Et ecce conspicit decori vultus feminam sibi astare, et ut sequeretur, nutu et signo manus vocare. Evigilans illa, et aliquam sororum fuisse, quæ se ad nocturnas laudes suscitasset, existimans, surgit; et velut inertie suæ irata, citato apparatu ad ecclesiam festinare disponit. Sed oculis huc illucque conversis, cum omnes in circuitu jacentes videret, errasse se cognoscens, rursus caput ad dormiendum deponit. Quæ mox ut primum sensum sororis attingit, eandem quam prius personam, eodem quo prius ordine se vocantem videt. Unde rursus experrecta, eadem quæ primitus cogitare incipiebat. Sed tertio in se reversa, tertio sopori reddita, tertio a formosa visitatrice est, ut sequeretur, vocata. Additum etiam, ut sub celeritate veniret, neque ultra in veniendo moras faceret. Inde, cum demum tertio evigilasset, sensit jam in seipsa signum vocationis, et illico morbo correpta, sororibus se defungi mandavit. Fit statim universarum concursus ad eam, et luctuoso gemitu illam ex omni parte circumdant. Concurrent velut ad matrem

filiae, et quasi cum ea defungi deberent, damnum, ut dicebant, irreparabile lamentantur. Non poterat quisquam consolari afflicta, et moeror infinitus nunquam finire posse putabatur. Jacet illa immota in medio moerentium, et, licet moriens, integro sensu animi perdurat. Colloquitur sororibus, confitetur peccata, petit absolvi, absolvitur ab omnibus, expectat firma spe Dominum suum quando revertatur a nuptiis, nec aliquid sacrorum salutarium intermittit. Viguerat in ea ardens fidei fervor, ut pene secundum Dominum, grano sinapis potuisset æquari (*Matth. xvii; Luc. xvii*): qui nec longo vitæ cursu veterascere, nec gelidæ mortis incursu potuit refrigerare. Inde sua postulatione oleo sacro inuncta, Christi corpore ad æternitatem refecta, humilitate munita, confessione securo, crucem cum Domini imagine sibi deferri rogavit. Qua allata, ad iteratos gemitus concitat monasterium. Adhibet ori suo Dominicam effigiem, et pedes ejus lingua allambens, vultui suo tota virtute corporis imprimit. Adorat Salvatoris passionem, et ejus mortem ac vulnera salutem conferre adjurat. Nullam sibi gloriam, nullam spem superesse salutis, nisi in cruce Domini sui, omnibus audientibus profitetur. Cumque expleta oratione, circumstantes a vultu ejus imaginem Domini amovere tentarent, accensa calore fidei ait: *Quid vultis auferre Dominum meum? Permittite eum mihi, quandiu vivo, ad quem statim sum moriens transitura.* Ita non imaginem, sed ipsum Christum in cruce illa se videre reputans, ab amplexu ejus divelli non poterat. Tandem infirmitate simul et oratione fatigata, corporis viribus sensim deficientibus, tertia jam die, ex quo morbo correpta fuerat, ad extrema pervenit.

Agebatur tunc solemniter more Nativitatis præcursoris Domini, et, licet in luctibus, attulerat auspicia gaudiorum. Nam, quia ipse summus præco æterni gaudii fuerat, congruum erat hanc ea die de luctibus ad gaudia transmigrare, de qua voce angelica dictum fuerat: *Et multi in nativitate ejus gaudebunt (Luc. 1).* De quorum numero, ut crederetur, in Nativitate illius defuncta est, in cujus nativitate gaudium multis ab angelo promissum est. Illa ergo die, quæ vere ei dies fuit, qua ad sempiternam diem transit, jacēbat pene exanimis Christi ancilla et omni corporis virtute emortua, solius spiritus detrimenta non noverat. Vigebat in ea solus defecto corpore animus, et in celestibus mente suspensa, horam quæ Dominus domus veniret expectabat. Et jam eo appropinquante, visum est sororibus, ut eam a lecto levatam in cinere et cilicio componerent. Cumque manus ad hoc faciendum aptarent, *Sinite, ait, et me paululum sustinete.* Et cum eam dimisissent, conversa ad Dominum: *Novi, inquit, piissime Redemptor, quo corpus hoc deferatur, et quo anima sit transferenda ignoro. Habet corpus, Domine, suum ad præsens in terra hospitium; anima autem, o benigne Jesu, o æterne Salvator, ubi hac nocte hospitabitur? Quis eam suscipiet? quis occur-*

ret? quis consolabitur? Quis a morte, doloribus, moeroribus liberabit? Quis locum, vitam, quietem, post tot mundi labores, providebit? Nullus, ait, nisi tu, pie Jesu Salvator meus. Longe fient a me omnes proximi mei, nec potero invenire refugium, nisi apud te, Deus meus. Tibi ergo quod creasti committo, tibi me omnium malorum ream confiteor, a te misericordiam, quam diu expectavi, nunc postulo, et in manus tuas corpus et animam meam commendo. Jam nunc, inquit sororibus, me accipite, et quo portare volebatis deserte. Tunc velut ab initio in novos fletus et lacrymas universis commotis, sublevata est, et in cinere et cilicio, exsul, inops, humilis Christi ancilla reposita est. Inde post modicum, hora, hora illa qua pius Redemptor pro mortuorum vita moriens inclinato capite tradidit spiritum, mitis ejus famula placido fine transivit ad Dominum. Testatique nobis sunt qui adfuerunt, jam exanimi corpore, glorificati hominis vidisse se gloriam. Vultus ejus luce clarior renitebat; et quæ in aliis perimit, in ipsa decorem mors vitalis adauxit. Sed mirabitur forte aliquis, cur ea quæ de magno Martino dicta sunt, mulieri longe impari adaptaverim.

Quæ si quis cogitaverit, advertat quanta in Scripturis canonicis leguntur, quæ de Christo principaliter dicta, ad corpus sanctorum, cui [cujus] ipse caput est, referuntur. Hæc quia innumera sunt, ea singillatim referre nolo, sed eum ad Scripturarum latitudinem remitto. Recolat quanta in martyrum natalitiis, quanta in confessorum festivitibus de prophetis, de psalmis, de Evangelio recitentur, quæ ita servis congruunt, ut Domino nihil minuant. Noverit non indignari Dominum de indiscreta cum servis communiōne verborum, quibus ipse universa pene nomina sua imposuit, et quæcumque audivit a Patre nota eis fecit. Et ne peccatores justis æquari scandalizetur, sciat non de meritis, quæ omnibus incerta sunt, sed de miraculis, quæ universis nota sunt, parem mittere sententiam. Quid enim? Et si mortuos Christus suscitavit, si leprosos curavit, si cæcos illuminavit, si dæmones effugavit, si et alii mortuos suscitasse, leprosos curasse, cæcos illuminasse, dæmones effugasse creduntur, Christo propter similia opera componi dicuntur. Non est injuria, sed laus nominis Dei, cum non in uno, sed in multis mirabilis dicitur Deus in sanctis suis. Et ne in hoc faciei miraculo solus putetur justus esse Martinus, accedat et peccator Theophilus, qui, ut scriptura apud plures jam usitata narrat, post quadraginta dierum poenitentiam, Christi corpore suscepto facie refulsit ut sol. Unde quid mirum si post multorum annorum poenitentiam et commendabilem vitam, beatæ femine vultus inusitato candore enituit, cum post paucorum dierum contritionem tantis criminibus deturpata facies, ut sol fulgore prævaluit? Potuit hoc in nostri temporis muliere Christus facere, quod in illius temporis peccatore Theophilo et justo Martino voluit demonstrare. Quod si res ipsæ consimiles sunt, quid rerum ipsarum consimilia verba a-

me reformidanda sunt? Ergo similiter dicatur quod non dissimiliter actum esse probatur. Nec idcirco pares judicari videbuntur, quia parilitatem non facit similitudo miraculorum, sed æqualitas meritum. Enituit ergo visibili splendore spiritus ipse visibilis emortui corporis vultus, et quod ad regionem lucis filia lucis migraverit, caro facta lucida demonstravit. Exinde circa beatæ mulieris exsequias sanctæ congregationis obsequia quis explicare sufficiet? Apparebat vere in eis magnum quoddam exemplar amoris æterni, et status supernæ Jerusalem in illo ancillarum Dei officio præmonstrabatur. Fervebat ardens spiritu Dei inspirante conceptus, et ab ubertate domus Dei rivulus charitatis in eas derivatus, pietatis uberibus profluebat. Non valebant satiari animos psallendo, flendo, orando. Et licet hic corpore remansissent, toto eam affectu ad peregrinam euntem comitabantur. Implorabant Dominum ne frustraretur ab expectatione sua, et ut ejus longos gemitus pius Redemptor consolaretur, supplicatione assidua precabantur. His sacris studiis noctem proximam diei continuantes, sequentem quoque lucem præcedentibus adjunxerunt. Qua tandem die frequentatis pro ejus æterna requie sacris oblationibus, cum sanctæ sorores vigiliis, psalmodia, orationibus ac lacrymis fatigatæ vix subsistere prævalerent, delata ad tumulum est, et grata Deo, chara hominibus, vivens Christo, mortua mundo, Christiano pro more sepulta. Recesserunt mœrentes sorores, secum eam a tumulo cordibus referentes. Quam, licet in sepulcro exanimem reliquerint, apud se eam vivere, dum vivunt, perpetuo confitentur.

Jam ego vobis, o sanctissimæ sorores, quid pro tanta mihi impensa gratia reddere, quid pro tanto munere rependere, quid pro tantis beneficiis retribuere digne valebo? Nam servastis animam meam mihi, eripuistis eam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Liberastis me de laqueo venantium, et a verbo aspero. Factæ estis domus passeris, petra refugium herinacis. Hæc, inquam, omnia mihi fuistis, quando illud lumen meum a tenebris fugiens excepistis, quando flamma sacri pectoris vestri tandiu, ne exstingeretur, fovistis, quando magis ac magis æterni amoris fomite id accendendo, nunc tandem æterno lumini jam lumen individuum adjunxistis. Manet vobis in cœlo reposita etiam hujus beati operis vestri merces, nec benignus Salvator erga salvatam peccatricem studiorum salutarium obliviscetur, quia qui ministratum salutis corporeæ calicem aquæ frigidæ perire non posse fatetur (*Matth. x*), multo magis salvandæ in perpetuum animæ tantam a vobis operam impensam, perditum iri nullatenus patietur. Gaudent angeli Dei super uno peccatore poenitentiam agente (*Luc. xv*), qui tamen nondum a corpore mortis hujus liberatus, adhuc cum carne peccati et nequitia mundi et angelis apostaticis, incertus de belli exitu pugnat. Gaudete et vos, dilectissimæ, quibus de poenitentia peccatricis vestræ certissima gaudendi

A materia datur, cujus ad eos fines poenitentiam prævia gratia perduxistis, ut jam non sit unde ei timere, sed unde congratulari sæcura lætitia debeatis. Det augmenta lætitiæ vestræ, quia in vobis speratis quod in ipsa tenetis, quoniam pro certo consimile certamen laborum similitudinem quoque pariet præmiorum. Ecce sepulta jacet in conspectu pietatis vestræ humilis Dei ac vestra ancilla; et, licet exanimis ac silens, vivo tamen ac multo, si advertitis, clamore hortatur. Offert assidue seipsam vobis, ingerit oculis vestris cineres suos, et ut sui recorderimini, et vestri non obliviscamini, ut soror sororibus, mortua mortalibus inclamat. Ostendit quid ipsa nunc, quid post paululum vos; ubi corpora vestra humanda, quo spiritus sit migraturus commenda. B Cernitis quotidiano intuitu sepulera vestra, et hospitium mortalis naturæ coram semper intuemini, ubi, quandiu mors dominatur requiescere, et unde morte absorpta speratis resurgere. Sit ergo hic vester contuitus vobis sermo continuus, et ad concupiscenda oio nisu perpetua, ipse vos temporalium, quem cernitis, defectus inflammet. Seruntur interim velut in horto arborum semina, sic in sacro cœmeterio vestra corpora, quæ, secundum Apostolum, vivificari non possunt, nisi prius moriantur, nec resurgere nisi occidantur, nec revirescere nisi putrescant (*i Cor. xv*). Oportet plane illa putrescere, ut possint revirescere; arescere, ut possint florere; occidi, ut possint resurgere; mori, ut possint vivere. Toleranda est hiems præsentis vitæ, et nivium imbriumque magnanimiter asperitas sustinenda, quandiu arborum fructuosa amœnitas latet, quandiu nondum apparuit quid eritis, quandiu vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss. iii*). Veniet tempus, quando, aere serenato, gelidis tempestatibus ver æternum succedet, cum Sol nunquam occisurus exoriens, splendore tenebras, calore frigora universa propellet, et incognito terris lumine mundum, natura stupente, perfundens, veteri nocte deturbata, novam et continuam diem adducet. Tunc tempore mirabili tellus fetatâ in novos flores ac fructus semina corporum vestrorum erumpere coget, cum corruptile hoc incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc affectu et re ipsa cantabitis quod voce ac fide cantatis: *Flores apparuerunt in terra nostra* (*Cant. ii*), quando Sponso cum ardentibus lampadibus occurrentes, ad nuptias nunquam finiendas intrabitis. Tunc et cum Propheta gratulando dicetis: *Et restoruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei* (*Psal. xxvii*). Erit enim tunc voluntaria, non coacta confessio, quando, juxta alium psalmum: *Voluntarie sacrificabitis Domino, et confitebimini nomini ejus quoniam bonum est* (*Psal. liii*). *Ubicunque enim fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth. xxiv*): quia, cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (*Coloss. iii*). Et vos, quibus hanc epistolam scripsi, fratres mei, tantæ matris filii, erubescite degeneres videri; sed a qua sum-

psistis vitæ hujus originem, ab ipsa in vos derivate æ celestis, cui vos a puero devovistis, amorem. Quæ fuit mater corporum, sit rursus genitrix animorum, ne qui ei consimiles estis corporibus, dissimiles (quod absit) inveniamini moribus. Parturiat vos exemplo et precibus, donec formetur Christus in vobis, ut per eam illum habere mereamini Patrem, per quem ipsam meruistis habere et matrem.

EPISTOLA XVIII.

Domino venerabili et Deo digno pontifici, PETRO Lugdunensis Ecclesiæ patriarchæ, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, merito pontificii cœlesti cathedra sublimari.

Quod dulci affectu vestri memoria menti meæ impressa sit, et velut diligenti sculpturæ imaginatione formata, utinam sic intellectualibus animi tui oculis esset apertum, sicut in mentis meæ recessibus latet occultum. Sed, quoniam nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (I Cor. II), et incommunicabile manet hominibus humanæ mentis arcanum, nec tu cordis mei abdita liquido cognoscere, nec ego ea ad plenum quolibet nisu valeo explicare. Spiritus tamen ille, qui, secundum Apostolum, scrutatur omnia etiam profunda Dei (I Cor. II), novit me eo tibi uniri amore, ut te etiam Lugduni constitutum mecum ubique circumferam; nec possis aliquo terrarum interjecto abesse, quem singularis dilectionis continuata recordatio mihi semper facit adesse. Unde fit ut de longinquo fiam proximus, de remoto contiguus, de diviso conjunctus, de sejuncto inhærens, quatenus nullo jam modo inter nos abinvicem sejungere valeat odiosa regionum longinquitas, quos firmis nexibus jungit inseparabilis animorum propinquitas. Hoc remedio meam de absentia tua mœstitiam longe positus consolari renuo. Diu enim absens factus, et jam consolari soleo; sed jam juxta constitutus eo modo te videre non parum esuriens, diebus jejunii hoc meum jejunium solvere decrevi. Eapropter precor beatitudinem tuam ut, hac instanti Quadragesima, diem mihi locumque colloquii designes, ut et desiderio meo satisfaciam, et de communi utilitate, quantum in me fuerit, tecum aliquid agam. Lætatus sum quippe in his quæ dicta sunt mihi pastorem sollicitudinem tuam non ex toto consopitam de pace gregis sibi commissi prudenter tractasse, et de repellendis ab ovium incursione lupis, non solum divina, sed etiam humana virtute, in quantum episcopo fuit licitum, cogitasse. Quod quam laudabile sit, quamque Deo gratum, nullus ignorat, et propheta prædicat: *Quam pulchri, ait, super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis sa-*

lutem! (Isai. LII; Nahum. I.) Quæ quamlibet de æterna pace dicta sint, nihil tamen refert et de præsentis hoc intelligere, quæ est quoddam vestigium et imago pacis æternæ. Super qua in hac nostra misera regione est singulariter satagendum, quæ intantum bonis principibus destituta, raptoribus exposita, filiis Belial, id est sine jugo, est referta, ut hoc de ea dici possit, quod de Israelitarum terra scriptum legitur: *In illis diebus non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat* (Judic. XVII), quamvis nostrates non quod rectum, sed quod sibi pessimum videtur, hoc tota aviditate faciant. Spondeo igitur huic glorioso tuo inceptui, et beato oneri me, nisi ipse prior defeceris, totos humeros suppositurum, et omnem pro eo, si necesse fuerit, laborem subiturum. Ad hoc cum præsentibus litteris mitto annulum aureum in signum amoris, pretiosi et ignoti generis lapidem continentem, atque in se aliquid quod sit pretiosius ipso habentem. Nam omnem sanguinis fluxum exsiccare dicitur. Habe ergo missa propter mittentem chara, et intellige charitatem tuam mihi desiderabilem super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciorem super mel et favum. Nec a pontificali dextera annulus recedat (97), ut mei memoriam continue cordi tuo inesse assidua sui representatione compellat.

EPISTOLA XIX.

Unanimi dilectione diligendo, singulari honorificentia honorando Domino HENRICO Wintoniensi episcopo, frater PETRUS, humilis fratrum Cluniacensium abbas, præsentis prosperitatem et æternæ salutis beatitudinem.

Expertus damna diuturni silentii, jam simile refugio; et qui, ne in verbis excederem, tacere elegeram, silentia jam ipsa formido. Eapropter et nuntium vix adhuc a vobis reversum sinceræ dilectioni vestræ iterum cum litteris retransmitto. Et quamvis mutuum colloquium iter prolixum, et maxime mare interpositum, nobis invidet, non poterit tamen Oceanus minaci facie sua, saltem amicabilium litterarum bajulos impedire, nec truci fluctuum suorum terrore pacis prævios retardare. Inde universam rerum naturam superare decrevi, ut nec hiemis aspera, nec æstatis torrida, nec aquarum profunda frequentes litteræ vereantur, et resistentia dilectioni nostræ victa se quoque ipsa elementa loquantur. Ita plane, ita aggere litterarum, et turbine nuntiorum, si qua in vobis adhuc residua est, duritiam obruere deliberavi, ut semel immenso aggestu sepulta ad perturbandam nostræ pacis concordiam nusquam in æternum aspiret. Sed et quod Salomon de amico ait: *Limen ostiorum exerat pes tuus*

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(97) *Nec a pontificali dextera annulus recedat.* Annulus, unum e præcipuis pontificum insignibus. Chronicon. Clun.: « Gregorius VI Odilonem Lugdun. instituens episcopum ordinari, misit ei pallium et annulum. Sed sanctus Dei humilitati studens, re-

nuit hoc penitus; pallium tamen et annulum retinens, pontifici qui dignus esset, reservavit. » Quod idem refert Glaber Rodolphus lib. V Histor. Franc., cap. 4.

(*Eccli. vi*), quia per me non valeo, per meos Deo donante implere curabo. Agnosco in me, si tamen et apud alios ita est, amicitiae consuetudinem, ut quanto magis me amicus frequentat, tanto magis in corde meo fervor ipsius amicitiae crescat. Est et quoddam vestigium amoris aeterni, ut qui plus eo accensus fuerit, plus satietur; et qui magis satiatum fuerit, multo amplius accendatur. Firmus ergo amoris nexus, indissolubilis catena nos longe ab invicem remotos uniat, nec eam, ut puerili levitate araneorum telas detrahentium loquacitas ventosa dirumpat. Recordetur, et caveat sapientia vestra Sapientiae proverbium, quod *princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios* (*Prov. xix*). Absit vero ut vos verba mendacii libenter audire credam! Non, inquam, hoc credo, sed ad cavenda multiformia adulantium sive obsequentium verba, singularem industriam vestram sollicitam esse desidero. Est enim lingua, ut Scriptura loquitur, inquietum malum, plena veneno mortifero (*Jac. iii*). De quo Propheta: *Venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal. xiii*), omnibus, sed maxime his qui in sublimitate sunt, inimicans. Quod eo magis debet studium sollicitare cavendi, quanto majorem, si talibus acquiescant, habent facultatem nocendi. Quod si veris rumoribus commoveri tutum non est, quantum falsis credendo conturbari periculosum est? Unde de Roberto pacis corruptore, et pessimo inimicitiarum satore, qui seminavit dolores, sed nondum messuit eos, vos consulere volui, a cujus sanguine, reverentia et amore vestri ductus, hucusque gladium continui. Qui non inter quoslibet, sed inter me et vos, ut comperi, zizania seminavit, nec adhuc tamen ut inimicus homo judicari promeruit. Super quo vestram mihi voluntatem remandate. Monachum vobis, non cursorem misissem, nisi sacram in proximo iterum molestare cavissem. Bis ergo jam suscepto cursore nostro, remittite et vos, saltem semel, nuntium vestrum. Solent enim Marciniacum venire, Lugdunum adire, provinciam penetrare, et ultra citraque universa lustrare, solamque Cluniacum velut Scyllaeos canes aut confragosos scopulos declinare. Sed jam non imputo quod a mea vestraque memoria deletum esse confido. Et, ut paucis multa comprehendam, sic de nobis ac nostris praesumite, ut nulla de his diffidentiae vestigia sentiam remansisse.

EPISTOLA XX.

Dilectissimo domino et intimo amico, domno HENRICO venerabili episcopo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, praesentem et aeternam salutem.

Sicut languenti corpori medicinae remedia adhibere necessarium est, ita jam plene curato ingerere superfluum, imo aliquando noxium est. Unde ego dum putavi mutuum, quem adinvicem habueramus, amorem vel in modico laesum, dissimulare non posui quin ad curandum eundem verborum multorum antidota propinarem. At nunc constantem manente

A in nobis amoris firmi proposito, et indissolubili charitatis vinculo utrinque firmiter alligato, parcendum verbis videtur, ut quae per gratiam Dei nihil in corde vestro praeteritorum simile possunt curare, nequaquam sinantur mentem multis utilitatibus occupatam sui multitudine onerare. Quid enim ad amorem augendum, vel confirmandum loquerer, cum vestrum erga nos affectum magis opera quam verba testentur? Quid germano nostro nuper ad vos venienti, quid quotidianis nuntiis, quid ipsis cursoribus, honoris, gratiae, beneficii impenderitis, nec ipsi ad plenum referre, nec ego vobis condignas aliquo modo gratias valeo agere. Quid et illud eperum vestrorum sublime cacumen praedicem, quod vasa domus Domini direpta a Babylonis regali largitate ut Cyrus, sacerdotali sollicitudine ut Esdras, ad templum revocastis (*I Esdr. i, vii et viii*); et Christum, quem velut iterum crucifigendum vestri temporis Judaei suis vestibus spoliaverant, eodem rursus tegmine revestitis? Conspicit ipse, ut credo, piis misericordiae suae oculis intentionem vestram, et licet necesse non habeat quolibet indumento contegi, delectatur tamen sancti devotione obsequii, quoniam qui sanctarum mulierum, cum necesse non habuerit, moriturus pretiosum suscepit unguentum (*Joan. xii*), jam mortuus et suscitatus in cruce sua, vestrum non recusabit, quod illo unguento pretiosius est, aurum. Sed nos quantum ad vos, nihil tanto amoris dignum, nihil tantis beneficiis congruum rependere possumus, nisi hoc quod quidquid sumus vestrum est, quidquid scimus vestrum est, quidquid possumus vestrum est. Ostendit hoc in omnibus Ecclesiae nostrae conventibus super universos amicos et benefactores nostros, secunda post domnum regem Angliae mentio vestra, singularis in omnium fratrum orationibus memoria vestra, specialis et pene quotidiana apud Deum et homines commendatio vestra. Et quia mihi, ne prolixus vobis fierem, ad praesens interdixi, breviter dico, ne quidquam sibi longa terrae marisque discrimina de remotione vestra lucrentur, sed amorem, quem nobis laborat subripere terrarum longinquitas, cui non ulla [nulla] corporum spatia praepjudicant, in nobis et uniat et consolidet charitas. Post ista non verit amicus et sollicitus de nobis animus, nos et rempublicam nostram bene valere, optime vigere, quamvis non in me, in nostris tamen per Dei misericordiam pristinae religionis, claritatis, et famae fulgorem nitere, me Pisas profectum multa perpessus, cito iisse, citius rediisse, ibi infirmatum celerius quam sperassem sanatum, multa tulisse, pauca retulisse, in omnibus tamen, propitiante, Domino abundare. Ea omnia plenius et securius Deo vitam largiente mandabimus. Nam plerumque infidelitas chartarum propriis dominis plusquam proditoria lingua nocuit. Ad finem, ut melius insideat animo, sanctum beatae matris meae funus charissimo et sublimi amico commendo, et ut in abbatibus et aliis dioecesis vestrae congregationibus ei per vos tricena-

rius missarum persolvatur, et aliqui pauperes reficiantur, humiliter postulo. Obiit viii Kalendas Julii, die scilicet sancti Joannis Baptistæ. Nomen ejus Raingardis, professio Marciniacensis monacha, officium cellaria.

EPISTOLA XXI

Venerabili et amantissimo domino nostro, domno Henrico, Dei gratia Wintoniensi episcopo, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem et seipsam.

Materiam scribendi non habeo, sed ad semper scribendum magna mihi estis ipse materia. Unde si plus justo forte frequentibus epistolis vos inquieto, mirum videri non debet, cum et amor verbosus tacere nesciat, et inexhausta loquendi materia deficere prorsus ignoret. Satisfacio, ut possum, hac arte desiderio meo, ut cui quotidie, si facultas daretur, præsens, colloqui vellem, nuntiis vel sponte quæsitis, vel casu inventis, quod implere non valeo, recompensem. Inde est quod per istum fratrem nostrum monachum vestrum aliquid scribere volui, cui nullam, ut dixi, materiam haberem scribendi. Erit vestrum amodo in necessariis non silere, cum videatis me multo vestro amore impulsum, in superfluis non posse tacere.

EPISTOLA XXII

Charissimo filio Petro, frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium abbas, per boni filii servitatem benigni patris hereditatem.

Post colloquium Aquitanici principis (98), quem calice Babylonis inebriatum, Christi calice potare non potuimus, nec schismatico sapore, quo nimium inbutus est, Catholico antidoto exhaustum, regressum magis quam processum pluribus ex causis utilem judicans, retroredire disposui. Non ea tamen via qua veneram regrediens, sed per ultimos Andegavorum, Cenomanorum, atque Northmanorum fines iter faciens, totoque pene occidui Oceani littore peragrato, in Franciam cum sociis meis me recepi, atque Parisius adorandam Salvatoris Nativitatem exegi. Ibi ergo positus, et tui recordatus, imo nunquam vel brevissimo temporis spatio oblitus, quanto tuam, cum adest, jucundius amplector presentiam, tanto molestius tolero absentiam. Ad hanc molestiam aliquantulum pro ratione temporis leniendam, de locis campestribus tibi in sublimi montis vertice constituto scribere volui, ut tali saltem remedio, et te mihi mente dum hæc legis presentiore exhibeas, et quantum inter meorum humilitatem camporum, tuorumque altitudinem montium differat, sollicitus advertas. Tu quippe in monte positus libero cælum oculo contemplaris, ego in imis constitutus, et de illorum jam pene numero existens, qui juxta Prophetam, *introbunt in inferiora terræ* (Psal. LXII), non nisi late patentes campos, et largissimis spatiis rara diffusa

intueor. Tu ipso loci situ mundum subjectum pedibus calcare videris; ego pedibus universorum substratus, cum Psalmista desleo, dicens: *Conculcaverunt me inimici mei tota die* (Psal. LV). Tu silvarum densitate circumseptus, in alto velut in profundissima valle absconderis; ego flantibus undique ventis expositus quo flatuum violenta impellit diversitas, quasi præceps actus arripior. Tu vix terram gressibus tangens, mentis conatu in superna suspenderis; ego stabili planta terræ inhærens, proh dolor! assiduo vestigia pulvere sædo. Et, o utinam tenui et cito abstergendo pulvere gressum sædarem, et non me totum luto sæcularium negotiorum, necessitate aut aliquando etiam voluntate, immergerem! Si quando immergor, utinam vel statim emergerem, ac Deo cum Propheta cantarem: *Eripe me de luto, ut non infigar!* (Psal. LXVIII.) Sed non quia miseras meas lugeo, idcirco tuæ felicitati invideo. Non invideo, inquam; sed congaudeo, quoniam honorum vitam etsi imitari nequeo actu, pio tamen semper institui colere affectu. In montibus igitur tuis nostrarum vallium recordare, quoniam et Moyses in montem Dei conscendens, populi in campestribus constituti oblitus non est, sed pro eo Domini misericordiam instanter deprecatus est (Exod. xxxii). Et licet ei semper in montibus familiarior cum Deo fuerit collocutio, tamen pro his qui in inferioribus remanserant, frequentior fundebatur oratio. Interminabatur quidem per legislatorem populo Deus dicens: *Si quis tetigerit montem, morte morietur* (Exod. xix). Sed tamen ne moreretur populus, in monte principaliter agebatur. Quidquid sane Moyses in monte solus agebat, hoc omnium in vallibus constitutorum saluti proficiebat. Ipsi quippe ascendit, ipsis xl diebus jejunavit, ipsis legem digito Dei in tabulis scriptam accepit, ipsis veniam sacrilegii multis vix precibus impetravit: ipsis non solum montis solitudinem, sed etiam propriam vitam, quantum in ipso fuit impendit. Sic et Dominus atque Salvator post salutarem prædicationem, post corporum humanorum curationem, post multiplicium miraculorum operationem, in montes conscendebat, sicut Evangelium loquitur: *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare* (Matth. xiv). Et rursum: *Subiit ergo in montem Jesus, et ibi morabatur cum discipulis suis* (Joan. vi). Et secundum quod alibi legitur: *Noctibus quidem in monte Oliveti morabatur, diluculo autem in templum veniens docebat* (Luc. xxi). Sed et quod hoc assidue faciebat, evangelista Lucas indicat, dicens: *Egressus, ibat secundum consuetudinem suam in montem Olivarum* (Luc. xxii). In ipsa etiam montis solitudine, non cum aliis, sed remotum ab aliis orasse, alius evangelista confirmat; qui eum dixisse discipulis memorat, dicens: *Tunc ait discipulis suis: Sedete*

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(98) Post colloquium Aquitanici principis. Guillelmi, qui Petri Leonis partes adversus Innocentium II tuebatur. Qua de re plura sanctus Bernar-

dus epist. 126 ad episcopos Aquitaniam, et Guillelmus abbas, lib. II Vitæ ipsius sancti Bernardi, cap. 6.

hic donec vadam illuc et orem (Matth. xxvi). Et Lucas sequitur : Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis, et factus in agonia prolixius orabat (Luc. xxii). Licet ergo tantopere secretum orationis peteret, non pro se tamen, sed pro persecutore populo orabat dicens : Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste (ibid.). Non enim ne pateretur orabat, qui ut pateretur advenerat, sicut ipse paulo ante dixerat : Propterea veni in horam hanc (Joan. xii); sed ne passione sua, qua mundus salvabatur, gens Judæorum perfida damnaretur. Semper vero eum non pro sua, sed pro mundi salute orasse, qui eum Salvatorem et Agnum Dei esse qui tollit peccata mundi intelligit, nullatenus ignorat.

Quia ergo, fili charissime, in montis conscensu ac solitaria conversatione, juxta tibi collatam gratiam, Dominum et ejus famulum imitaris, in cæteris quoque prout poteris imitare, ut sicut ego bonæ voluntati tuæ solitudinis quietem providi, ita tu meis laboribus aliquod orando levamen provideas. Affectui enim, quo te in Christi charitate toto animi nisu, ut nosti, complector, non solum orationes tuas, sed ut Paulus Philemoni ait : Te ipsum debes (Phil. i). Quid enim mihi non debeas, cui vix aliquem amando æquavi? Quid mihi non debeas qui nec mihi ipsi plusquam tibi unquam debere volui? Nec mirandum, si tantum de me potueris promereri, cum moribus et conversationi tuæ condigna vix retributio valeat inveniri. Quo enim aut quanto pretio, ut de cæteris virtutibus tuis taceam, mihi vel moribus meis consimilem vel conformem potero aliquando mercari? Si Scripturarum sanctarum libuit abdita rimari, te semper paratissimum reperi. Si de sæcularis litteraturæ scientia, gratia tamen divina, aliquid conferre complacuit, promptum et perspicacem inveni. Si de mundi contemptu, et cælestium amore sermo fuit, qui cæteris frequentius et familiarius inter nos versabatur, in tantum verba tua a terrenis sejuncta nil mortale sonabant, ut jam mihi dicere videreris : Ut non loquatur os meum opera hominum (Psal. xvi). Quæ me ab humanis occupationibus redeuntem, atque aquilonari frigore congelatum, velut austrini flatus tempore sic resolvebant et ita in divinum amorem spiritus calore liquabant, ut etiam hinc a Psalmista dici posset : Emitte verbum tuum, et liquefaciet eam. Flavuit spiritus ejus, et fluent aquæ (Psal. cXLVII). Et ego cum sponsa in Canticis cantare : Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est (Cant. v). Erant mihi universa fastidio, onerosa omnia sentiebam, velut sub gravi fasce poenæ succumbens gemebam. Illis sociatus de quibus in Job legitur : Ecce gigantes gemunt sub aquis (Job xxvi). Nulla usquam requies, nullum a quolibet levamen, donec ad te reditum ipsa mihi necessitas indicebat. At postquam aliquantulum secreti tecum nancisci poteram, ac breviter saltem miscere colloquia, quasi multo pabulo confortatus, viribus ad laborem acrior insurgebam, implebas-

Si videris asinum

A proximi tui succubuisse in via, non pertransibis, sed sublevabis cum eo (Exod. xxiii). Tuo certe studio, secundum beatum Gregorium, quasi anchoræ fune, ne in alta pelagi contrariis flatibus abriperer, retrahebar, et littori proximus, licet etiam ibi multum fluctuans inhærebam. An mente excessit, de mundi multiplicibus miseriis frequens illa et fervens collatio? An menti, ut dicitur, tradita est illa priorum periculorum lacrymosa deploratio? An memoriæ sublata est, terrena omnia fugiendi, et soli Deo vacandi toties repulsa intentio? O quoties clausis januis, nullo nobiscum admissis mortalium, illo tantum teste qui de se cogitantibus, aut conferentibus nunquam deest, formidolosus sermo habitus est de cordis humani cæcitate atque duritia, de diversis peccatorum laqueis, de variis dæmonum invidiis, de abyssis judiciorum Dei, quam terribilis sit in consiliis super filios hominum, quod quibus vult, miseretur, et quos vult, indurat, et quod nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, de incerta et formidabili vocatione nostra, de dispensatione salutis humanæ per incarnationem Filii Dei ac passionem facta, de tremendo ultimi judicii die, de incomprehensibili divini examinis severitate qua in perpetuum malos punit, de inenarrabili misericordia qua æterna bonis præmia reddit! Horum, et similium a mundano strepitu semota collatio, mihi quodammodo in medio hominum eremum referebat, et Domini tabernaculum repræsentabat : ad quod a mundi tumultibus, veluti Moyses a Judæorum lapidibus (Exod. xvii; Num. xx), confugiebam. Fatigatus litibus hominum, et forensium disceptatione causarum, hic quiescebam. Sollicitatus in modica rei familiaris cura, et confectus multiplici dissensione, hic recreabar. Molestatus prædonum irruptione, nostrorum interfectione, varia locorum depopulatione, hic mœroris animum commutabam. Nævos de sæculi sordibus contractos hic diluebam, et fermentum azymis sinceritatis et veritatis contrarium hic expurgabam.

Et quid multa? Vere, secundum Isaiam, hoc tabernaculum mihi erat in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et in absconsionem a turbine et a pluvia (Isa. iv). Nec hoc solum domi, sed quocunque gressum converterem, te mea vestigia comitantem habebam. Hoc nobis pariter per diversa terrarum spatia gradientibus, nec solis ardor, nec gelidus Boreas, nec ventorum turbines, nec nimbose dies, nec lutosa tellus, nec aspera montium, nec devexa vallium abstulerunt. Ubique quiescentibus paululum magni maris fluctibus, hoc nobis mansit secretum. Ita te in omnibus unanimum habebam, ita quod in me advertēbam in te cognoscebam, ut in te uno et penesolo illam veræ amicitiae diffinitionem expertus sim, idem scilicet velle et idem nolle, ut nunquam mihi potuerit placere, quod tibi displicebat, nec displicere quod tibi placebat; et juxta id quod dictum a quodam legitur, non duobus corporibus duæ, sed una utrique corpori videretur in-

esse anima. Quia si tantus in nescientibus Deum esse potuit amoris affectus, ut non substantias confundendo, sed voluntates uniendo, hoc dicere possent, quid miramur, si charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus hominum per Spiritum sanctum, in eos nos univit, qui facit utraque unum (*Ephes. iii.*), quique Patri de discipulis ait: *Ut sint unum sicut et nos?* (*Joan. xvii.*) Sed jam tempus est querelarum, ut quod diu parturivi, nunc tandem pariam. Nam tu, tu, inquam, in hanc charitatem offendisti, tu divinam unitatem divisisti, tu pactum cœlestes rescidisti, quando amicum amicus, intimum intimus, et ut jam pro imperio loquar, prælatum subditus, magistrum discipulus, abbatem monachus, ne dicam dominum servus, reliquisti. Sed et si servum vocarem, in quo excederem? Regula enim præcipit, ut omni obedientia monachus se subdat majori. Si omni, tunc et servili: sed omni, igitur servili. Servus ergo meus es. Conqueror itaque servum meum dominum fugitantem, latibula quærentem, sequi renuentem, servire nolentem. Imitando certe Dominum et Deum tuum, obedientiam usque ad mortem promisisti; sed hanc nec usque ad modicum laborem servasti. Descendit ille obediens de cœlis ad terram, tu refugis ire de terra ad terram. *A summo cœli egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus* (*Psal. xviii.*); tuus nec de Algido monte Christi causa egressus, nec brevi itinere exacto, ad ipsum potest esse regressus. Non sane tantis te putabam montium nivibus opprimi, ut charitatis ignem in te patereris exstingui. Sed dicit: Obedientiæ ego limitem non excessi, quia patris permissione remansi. Sed tu non eam spontaneam accepisti, sed extortam importunis precibus rapuisti. Hoc plane non fuit obedire. Quid ergo est obedire? Ut monachorum lex loquitur, propriam relinquere, et magistri voluntatem implere. Unde in eadem Regula scriptum est: *Secundus humilitatis gradus est, si quis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan. vi.*) »

Voluntas igitur præcipientis magis quam verbum, affectus magis quam vox, intellectus magis quam sonus vero monacho observanda sunt. Sed dixisti: Ego quidem manebo, sed Deum pro vestra salute exorabo. Sic et Saul, perverse Deo sacrificare magis quam obedire eligens et cupiditatem suam ejus voluntati præponens, audivit a propheta: *Nunquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voluntati ejus?* (*I Reg. xv.*) Constat igitur, quia præpositorum voluntati obediendum est; et tunc demum est vera et salubris obedientia discipuli, cum, sua postposita, non tam vocem quam voluntatem sequitur magistri. Nam quando importunitate, seu pusillanimitate sua contrarium voluntati magistri discipulus extorquet præceptum, non ipse magistro, sed magister ei obedisse dicendus

est. Sic ego tuæ voluntati obediens, quem nolle pergere vidi, ut remaneres concessi. Tu ergo ordinem pervertisti, tu caput in caudam mutasti, tu præpostero gradu me ultimum, te primum constituisti, dum patrem filius, dum magistrum discipulus, dum abbatem monachus sequi contempsisti. Ecce me laborante, tu quiescis; me vigilante, tu dormis; me clamante, tu taces; me pugnante, tu vacas; me orbem lustrante, tu in tuo monte resides. Non sic bona femina Ruth, quæ socru Noemi, cui diu adhæserat, valde instanti, ut ad suos reverteretur, respondit: *Ne adverseris mihi, ut relinquam te, et abeam. Quocumque perrexeris, pergam; ubi morata fueris, et ego morabor. Quæ te morientem terra susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulture.* *Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit* (*Ruth. i.*). Sed fortasse mulier tibi videbitur ethnica, nec admittenda in testimonium. Est tamen illa cujus Vetus Scriptura, et Evangelium honorifice meminit, et de cujus germine Dei Filium humanam carnem suscepisse scribit. Veniat tamen et ille alienigena quidem natione, sed vir virtutis laude merito inter viros ponendus, Ethai videlicet Gethæus, qui, relictis patriis erroribus, magno illi regi David adhæserat, ejusque socius indivisus erat. Cui regem a facie patricidæ filii fugientem cum multa sociorum manu præcedenti, et ad pugnandum pro ejus salute parato, ipse rex ait: *Revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus de loco tuo. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? Revertere, et reduc tecum fratres tuos. Ostendisti gratiam et fidem* (*II Reg. xv.*). Et respondit Ethai regi, dicens: *Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus* (*ibid.*). Et ait David Ethai: *Veni, et transi* (*ibid.*). Sed quid illam mulierem, hunc autem et illum alienigenam dixi, ac si hoc pro tua causa faciat, et non magis rationi meæ inserviat? Quanto enim in illa sexus infirmior, quanto utriusque a Deo cultus ante remotior, tanto fides, et charitas utriusque laudabilior. Sed illorum laus tuam immittit laudem, illorum fides tuam notat infidelitatem, illorum fervor tuum condemnat teporem. Hoc namque nurus socru, hoc miles regi, quod monachus non servat abbati. Cogebantur illi ab ipsis dominis reverti, sed eos relinquere, nec in magnis periculis volebant; tu orantem, ne deseratur, Dominum, desertor pariter et contemptor, non audis. Video Eliam jam jamque rapiendum, et equis curribusque igneis per altissima aeris spatia in cœlum sustollendum cum Elisæo iter agere, eique dicere: *Sede hic quia Dominus misit me usque Bethel* (*Reg. ii.*); et secundo: *Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho* (*ibid.*); et tertio: *Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem* (*ibid.*). Cui tertio audio respondentem prophetam: *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te* (*ibid.*). Quem quia, ut verus magistri amator discipulus deserere

noluit, et eum ad cœlestia sustolli conspexit, et ut ejus spiritus in se duplex fieri posset, obtinuit. Ait, inquam, Elisæus Eliæ. *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te (ibid.)*. Tu autem mihi quid? Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non sequar te. Sed fortassis ideo sequi contemnis, quia me sicut Eliam in cœlum posse rapi desperas. Quod si hæc causa est, rogo ne desperes. Rogo, inquam, ac moneo ne desperes, quoriam hæc tota et sola simul gradiendi nobis causa est, ut non solus ego sicut Elias, sed tecum pariter in cœlum rapiar. Ecce plus quam Elias Elisæo, plus ego tibi, si volueris, spondere audeo. Raptus est ille solus mirante et clamante discipulo, rapieris tu mecum omni conspiciente populo. Miraris forte quod dico, et me quasi insanum loqui suspicaris. Sed non insanio, quia quod dico apostolico testimonio confirmo. *Rapiemur*, ait, *in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (I Thess. iv)*. Quod Dominus ipse confirmat. *Mittet*, inquit, *Filius hominis angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum (Matth. xxiv)*.

Si ergo de electorum numero esse studuerimus, ab electis angelis congregabimur, et in nubibus obviam Christo in aera non divisi, sed juxta Apostolum, simul rapiemur; nec reversuri ut Elias, sed semper cum Domino erimus. Ideo, ut supra dixi, hæc tota nobis causa est, domi vel extra, in itinere vel ubique simul manendi, ut hic pariter Domino serviamus, et illuc pariter rapti ei in æternum convivamus. Sed novi quod ad hæc dicturus sis. Patria, ad quam nunquam redire disposui, ne te sequar adversatur. Ad quod ego, Abraham quidem jussu Dei patriam deseruisse (*Gen. xii*), nec ad eam postmodum rediisse concedo. Quod tamen Job in terra Hus, quæ patria ejus erat, vir simplex et rectus, et timeas Deum, et recedens a malo fuerit (*Job i*), non ignoro. Lot in Sodoma, cujus tamen non indigena, sed colonus erat, aspectu, et auditu justum fuisse ab apostolo Petro audio (*II Petr. ii*), Magos ab Oriente ad pueri Jesu præsepe venientes, et eum cum oblatione munerum, ut regem, Deum, et hominem adorantes, licet per aliam viam, tamen in regionem suam regressos fuisse lego (*Matth. ii*). Quod si Abraham, quem supra posui, objicis, dico eum, utpote perfectum virum, in infidelis patriæ desertione sibi nihil timuisse, sed infirmiori posteritati sapienter providisse. Timebat enim ne progenies ejus a Deo electa inter idololatrias, et moribus corruptos conversaretur, atque a cultu divino malorum exemplo paulatim revocaretur. Unde suis in se quid sequi deberent, ostendens, nec ipse ad dimissam patriam reverti voluit, nec filium illuc reduci permisit. In quo quid de subsequendis fieri vellet, ostendit, præcipiens servo suo: *Cave ne unquam filium meum reducas illuc (Gen. xxiv)*. Constat ergo quia non sibi, sed posteris providebat, qui tanto pere illuc reduci filium prohibebat. At tu, quibus

A provides filiis, qui ita patriæ reditum perhorrescis? Si utique bonis detestanda patria esset, nec Job, ut jam dixi, in sua mansisset, nec Magorum devotio ad eam redisset, nec ipse Dominus suis miraculis illustrasset. Non patria igitur, sed mores patriæ, si mali sint, a bonis fugiendi sunt. Quod si salvo sanctitatis proposito, licet in patria manere, quanto magis et transire? Sed forte adhuc perfectorum hoc esse causaberis. Qui ergo ad perfectionis propositum vocatus es, de imperfectione tractabis? Qui juxta Apostolum, te in ante extendere debes, retro redibis (*Philipp. iii*)? Qui quotidiano profectu teipso major fieri debes, inferior eris? *Estote*, ait Dominus, *perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est (Matth. v)*. Laudo plane, quia laudabile est, si parentum, si amicorum, si cognatorum tibi est aspectus formidini, si verba gravia, si mora suspecta, ne affectu carnali quantumlibet a recto proposito aspectu commoveant, verbis inclinent, mora detineant. Laudo verè sollicitam a malis cautelam, sed non laudo etiam in bonis pertinacem sententiam.

Quod si ista te terrent, si adhærentes domesticos, velut impugnantes adversarios reformidas (sunt enim inimici hominis domestici ejus [*Mich. vii*]) erige turrin Sion contra faciem Damasci, assume armaturam Dei, in qua possis universa tela inimici ignea extinguere (*Ephes. vi*). Si periturarum rerum cogitatio in mente submurmurat, æternarum eas delectatio compescat. Si ausus fuerit serpens vel parentum ore quidquam insibilare, non solum non audiatur, sed mox caput nequam virili robore conteratur. Si peste inhabitatoris, qua te inficere volebant, ipsos, si dici debeant, amicos, vel parentes, adhuc infectos videris, non ante absistas quam eos salutari admonitione purgatos salutis restituas, ut vasis pessimi hostis direptis, de ipso nobilem coram Deo triumphum reportes. Decet enim, ut non te illi debilem, sed tu eos fortes; ut non te illi carnalem, sed tu eos spirituales; ut non te illi terrenum, sed tu eos cœlestes efficias. Studendum ergo tibi est, non ut imperfectum in fuga confidere, sed ut perfectionis filium imperfectis domesticis virtutis exempla præbere. Non enim fugienti, sed permanenti, non credenti, sed resistenti, non succumbenti, sed vincenti victoriæ laurea datur. Vellem et ego, si facultas daretur, nec fallaciter teipso conscio vellem. Vellem certe, secundum Isaiam, meipsum abscondere in fossa humo a facie formidinis Domini (*Isa. ii*), qui in proximo venturus est percutere terram, et quærere mihi locum, non solum spiritualem, sed etiam corporalem in foramine petræ, in caverna maceriæ. Sed si non datur, vel quousque detur, æmulemur, eum, qui inter populorum frequentias, et regales epulas, et auratos parietes, dicebat: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (Psal. lvi)*. Et velut intra septa montium, sic intra arcana cordium nobis solitudines ædificemus, ubi a veris mundi con-

temploribus vera tantum eremus invenitur, ubi nullus externus admittitur, ubi mundanorum tumultuum turbo, fragorque sopitur, ubi sine ulla corporeæ vocis sono in sibilo auræ tenuis vox Dei loquentis auditur.

Ad hanc, fili dilectissimè, solitudinem, dum sumus in hoc corpore, et peregrinarum a Domino, in medio quoque turbarum positi, assidue recurramus; et quod in extremis orbis sinibus quæreremus, in nobismetipsis (nam et regnum Dei intra nos est [Luc. vii]) inveniamus. Ibi solitariū adepti silentium adoremus, et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino qui fecit nos, effundamus coram illo corda nostra, et, ut ait beatus Hieronymus, nostras pariter; mundi quæ miserias lugeamus. Est quippe nobis multa lugendi materia, ut quæ propria sunt, taceam, quod mundus in maligno positus est, quod instant tempora periculosa, quod abundavit iniquitas et refrixit charitas, quod vere nunc deficit sanctus, quod diminutæ sunt veritates a filiis hominum: quod omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, quod non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, quod quotidie perdit homines Judaica rabie crucifigunt sibi metipsis Filium Dei et ostentui habent, quod sine intermissione thesaurizantes sibi iram in die iræ, assidua igni æterno se ipsos pabula subministrant. Et quis universa enumeret? Ista et his similia intentiore intuitu conspicientes, atque intra mentis eremum coram Domino deflentes, ut carbo carbonem, alter alterum accendamus, ne fons ille misericordiæ semper patens super nos se contineat, obsecremus, in domo luctus cum sapienter mœrentibus, non in domo convivii cum stultis epulantibus esse eligamus, ut et nobis a Domino dicatur: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (Joan. xvi)*. Ecce autem dum hæc scribo, luctui nostro congruens luctuosus nuntius supervenit, et cum uberibus lacrymis memorandum illum, illum Gerardum nostrum, nostrum plane nostrum, a nobis recessisse, et, ut quod vere sentio dicam, non de vita in mortem decidisse, sed mortem vita commutasse narravit. Quod ubi repentina relatione cognovi, ut in re inopinata fieri solet, aliquandiu hæsi. Dehinc eum coram fratribus vix voce ad hoc sufficiente absolvens, interiore me igne urgente surrexi, et ecclesiam petens mox agendam incepti. Ubi ejus dulcè funus, quamvis absentis, et tarde cognitum, multis, ut dignum erat, lacrymis prosequens, et vigilia Epiphaniæ Domini sacri corporis et sanguinis pro eo ipse hostiam offerens, piam animam piissimo Redemptori, cui semper adhæserat, commendavi. Ut enim cætera ejus bona taceam, quæ proprium et prolixum exposcerent, tractatum: in quo rectius Domini promissum implebitur, dicentis: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo (Joan. vi)*: Et rursum: *Ego sum panis vitæ qui de cælo descendit: si*

quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (ibid.), quam in hoc nostro mortuo, qui, quoad vixit, panem hunc vitæ, hoc est corpus Domini sui, pene quotidie semper ad vitam suscepit? Vivit, inquam, vivit in æternum qui cum bonæ conscientie testimonio semper manducavit panem, qui dat vitam in æternum.

EPISTOLA XXIII.

Venerabili et intimo nobis domino, et patri HEINRICO Wintonien. episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Multa quidem, et magna a vestra magnificentia nobis, et vestris Cluniac. impensa beneficia, multas et magnas merito exigunt gratiarum actiones. Sed illud unum nuper collatum, sui magnitudine jure alia, licet magnifica, transcendit, et excellentius benignæ mentis vestræ affectum nobis commendat. Quis enim vel hebes non videat quanta in corde ingenuo vis dilectionis exstiterit, quæ disruptis mordacibus curis, postpositis regalibus negotiis, tantis reipublicæ vestræ implicationibus intermissis, sublimitatem vestram ad invisendos humiles, et devotos filios vestros Cluniacum traxit? Lætatus sum supra modum istud audiens, sed tristatus sum supra modum, tanto me hospiti occurrere non posse cognoscens. Nec me plane retinere ab itinere potuissent, quælibet, vel quantalibet nostra negotia. Quod enim huic negotio par? Sed sola me detinuit, quam præcavere non potui, ignorantia. Tam tarde quippe ad me pervenit vestri adventus certitudo, ut secundum dies, quos a cursore accepi, nullo pacto nec in Nivernensi comitatu consequi vestigia vestra valerem. Ea de causa cum jam abruptis universis provincialibus retinaculis, non tam ire quam discurrere ad vos usque voluissem, impossibilitate cogente ultra quam dicere possim mœstus remansi. Unde quia per me non potui, per quos possum dilecti iter prosequor, et per fratrem Drogonem socium nostrum sapientem, et vobis, ut æstimo, notum, singulari Domino et amico, quæ scribere non licuit, mando.

EPISTOLA XXIV.

Venerabili domino, et patri charissimo HEINRICO Wintonien. episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et se totum.

Volenti sæpe mihi scribere vobis, et cor meum hoc saltem remedio, amico communicare occurrit quod alibi nusquam. Impatiens enim animus, et se verbis indicare gestiens, loqui æstuat, et veretur: æstuat, ut se aperiat; veretur, ne displiceat. Timet ne, si multum taceat, alienus; si multum loquatur, videatur importunus. Ita fit, ut et loqui, et tacere pariter reformidem. Sed malo quandoque in verbis excedere, quam quæ dicenda sunt, reticere. Hoc dixi, ut frequentibus, quas mitto, literis, viam faciam; et ad eas sæpe legendas, etiam pigritantem amicum oculum vestrum aperiam. Eligo magis verbosus amicus permanere, quam

caelturnus sensim ab amore languere. Et ne ultra A vel me scribentem, vel vos legentem suspendam, illud unum, illud singulariter, illud præ omnibus, et super omnia hac vice omnium rogo, et per eam salutis vestrae spem, quam in vestra Cluniaco habetis, obsecro, ut Ecclesiae illi vestrae, cui post Deum animam vestram commisistis, corpus etiam non negetis. Erit hoc largitatis vestrae donum omni nobis munere charius, quod omnibus Anglicis thesauris gratius accipiemus, si in hoc vos munificum senserimus. Decet Cluniacum corpus vestrum (99) saltem post spiritum possidere, ut cui vos in monachatu vovistis, ei post functum sacerdotium vos reddatis. Congruum est, ut locus ille carni vestrae sepulturam provideat, qui toto mundo devotius, animae vestrae perpetuis re- B quiem precibus providebit. Super his commune rescriptum instanter postulamus, et nobis ac capitulo mitti rogamus. De cætero fratrem Duranum, et ejus universa negotia vestrae magnificentiae commendamus: quem quia gratiam co-

ram vobis invenisse audivimus, eum ad praesens ad Angliam destinamus. Specialiter autem de manerio centum marcarum vos rogamus (100), ut sicut illud dono quidem regis, sed maxime vestra benevolentia et studio Cluniacus possidet, ita qualiter in pace semper possidere valeat, provideatis.

EPISTOLA XXV.

Charissimo domino, et patri venerabili HEINRICO Wintonien. episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Solebam olim conqueri de silentio vestro, quod dignationis vestrae litteræ circumpositis quibuslibet missæ, me solum præteribant; nunc quas possum gratias ago, quoniam et epistolæ sæpe exhilarant, et nuntii lætificant. Nuper enim et quidam ignotus mihi clericus Antissiodori, et prior Montisacuti (101) Cluniaci, præsentem conventum tam amabilia et magnifica retulerunt, ut ferventes jamdudum in amorem vestrum universorum animos

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(99) *Decet Cluniacum corpus vestrum.* Anno 1155 Henricus hic Wintoniensis episcopus, tam his quam aliis Petri nostri abb. Cluniac. et Adriani papæ litteris invitatus, simul etiam a R. Fr. Ludovico Juniore, atque ab omnib. fere Burgundiæ primoribus evocatus, præmisso thesauro suo per dictum Petrum abbatem Clun. absque licentia regis ab Anglia Cluniacum venit, eandemque Ecclesiam gravi debitorum onere sic prostitutam, ut vix amplius respirare posset, hoc thesauro suo, qui maximus erat, omnino relevavit, et acquitavit conventum in quo erant tunc temporis ccc fratres et ultra. Quos etiam omnes per annum et diem pavit, et ex integro refecit, xl calices notabiles pro missis quotidie celebrandis, nec non et quemdam pannum sericium maximi valoris ac pulcherrimum dedit Ecclesiae. Multa quoque ædificia nova fecit, et alia non pauca reparavit. Et hæc omnia beneficia per eum facta propriis missionibus et expensis taxata fuerunt tunc ad summam xl millium librarum, vel ut alii scribunt ad vii millia marcharum argenti. In quorum memoriam et recordationem perpetuam, Rodolphus abbas Clun. ejus nepos, cum consilio et assensu Patrum monasterii statuit ut futuris temporibus extunc, vi Idus Aug., anniversarium pro eodem Henrico hora capituli ibidem ab Armario pronuntiaretur, et eodem die inciperetur more solito, et in crastino quilibet sacerdos celebraret unam missam, et novitii vii psalmos, et conversi centum *Pater noster* dicere tenerentur, et in præfato capitulo ejus beneficia recenserentur, et pro eodem missa quolibet die in altari Sancti Thomæ ad crucem celebraretur.

(100) *Specialiter autem de manerio centum marcharum vos rogamus.* Henricus primus, rex Anglorum, Rothomagi degens anno 1131, in præsentia Innocentii II papæ, astantibus viii cardinalibus, xi archiepiscopis, iv episcopis, iii abbatibus, maxime sancto Bernardo Clarevallensi, ii etiam comitibus Anglicis, permultis denique aliis nobilibus viris, donavit monasterio Clun. centum marcas argenti monetæ Anglicæ, singulis annis, easque assignavit, videlicet lx marcas in banca seu teloneo London et xl in teloneo Lincoln. Cujus donationis hæc reperiuntur etiam in Chartulario Clun. litteræ.

De centum marcis in Anglia.

« Henricus rex Anglorum, archiepiscopis, episco-

pis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, et omnibus fidelibus suis per Angliam constitutis, salutem. Sciatis me dedisse et concessisse Deo et ecclesiae Beati Petri Clun. centum marcas reddere quoquo anno in Anglia, scilicet lx marcas de redditibus meis London. de firma civitatis, et xl marcas civitatis Lincoln. Ita quod ministri mei de illis civitatibus qui firmas meas tenuerint, afferent secum hanc pecuniam ad scaccarium meum ad festum sancti Michaelis, et ibi eam liberabunt nuntio Sancti Petri. Si vero non fecerint ministri, eadem fiat Sancto Petro de pecunia prædicta justitia, quæ fiet de firma mea propria. Hanc itaque donationem meam concedo, et illi ecclesiae in perpetuum obtinendam corroboro, et regia auctoritate confirmo cum illis, quorum signa manibus propriis subscripta. Has autem centum marcas singulis annis reddam eis de thesauro meo, et post decessum meum a successoribus meis recipient, sicut superius annotatum est. Hanc etiam donationem meam confirmo et corroboro, et papa Innocentius precibus meis confirmavit, et quicumque eam imminuere vel infringere præsumpserit, eum anathematis vinculo præligavit.

« Signum Henrici regis.

« S. Math. imperatricis filia suæ. »

Reliquorum signa desunt.

D Postea vero Stephanus rex, Henrici successor et nepos, honorum ejus actuum ex debito subsecutor ac devotus imitator, quod præfatus Henricus avunculus suus in denariis Ecclesiae Clun. jam dictæ contulerat de thesauro suo, hoc ipse eidem ecclesiae in stabilitis terræ redditibus in perpetuum assignavit, et manerium suum de Ledecomba, quod de proprio dominio suo erat, pro illis centum marcis argenti ipsi Ecclesiae in sempiternum donavit et concessit, anno 1136 ut ex ejus etiam litteris, pag. 1398, hujus Bibliothecæ transcriptis liquet. Et hoc quidem est *Manerium centum marcharum*, pro quo Petrus noster abbas Clun. Henricum Wintoniensem episcopum rogat, « ut sicut illud dono quidem regis, sed maxime sua benevolentia et studio Cluniacus possidebat, ita qualiter in pace semper possidere valeret, providere dignaretur. »

(101) *Et prior Montisacuti.* Hujus nominis prioratus duo in familia Cluniacensium, unus in Francia subditus prioratui Celsiniarum, alter autem in Anglia, qui nullo medio pertinebat olim ad Eccle-

multo magis accenderent, et calentes vehementius A
ignirent. Extulerunt corda audientium in sub-
lime, et tanti muneris largitori medullatum om-
nes sacrificium obtulerunt, qui cor vestrum cle-
menti manu ad eorum humilitatem diligendam
inclinavit, et fortem columnam, cui specialius
tota domus ejus Cluniac. innitatur, erexit. Et ne
longus fiam, iteratis per præsentium latores pre-
cibus rogo, ne in his quæ per fratrem Durannum
rogavi, repulsam patiar, ut in loco illo locum ve-
stro corpori eligatis, cui cæteris devotius animam
devovistis.

EPISTOLA XXVI.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto
filio PETRO abbati Cluniacensium, salutem et
apostolicam benedictionem.

Super sollicitudine atque diligentia, etc. Vide
inter epistolas Innocentii II, Patrologiæ t. CLXXIX,
sub num. 280.

EPISTOLA XXVII.

Summo, et nostro speciali patri domino papæ INNO-
CENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas,
salutem et obedientiam.

Gratias quas possum ago, quod paterna pietate
filio pepercitis, et fragili complexionem meam, ne in
via deficerem, providistis. Cui condescensionem non
debeo videri ingratus, quia jure exiit hæredem,
qui non est munificus in hæreditatis datorem. De-
creveram per præsentium latores mittere digna
Patri, et Ecclesiæ laboranti, etiam in temporalibus
subvenire. Sed quia per me ipsum hoc facere dis-
ponebam, distuli. Mandate igitur, si placet, locum
ubi congrue usque ad Pascha Domini, aut ipse si
potuero, aut alii certe nuntii nostri vos invenire
valeant. Per quos rursum et vos invisere, et Ec-
clesiæ necessitatibus valeam subvenire. Interim
esse vestram et statum pacis, mihi et nostris non
parum nosse cupientibus, per istos remandate.

EPISTOLA XXVIII.

Summo pontifici, et nostro speciali patri domino papæ
INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium
abbas, obedientiam et amorem.

Rumor ad nos usque pervenit, quod quidam pa-

ternitatis vestræ auribus importuni existant, ut
dominus Vizeliacensis abbas de Vizeliacensi monas-
terio ad Lingonen. Ecclesiam, de abbate in epi-
scopum transferatur. Hos ne audiatis, et nos roga-
mus, et ipsa ratio implorat. Nec tantum implorat,
sed, ut audacter et veraciter loquar, imperat et
compellit. Imperat plane et compellit, quia cum
jure majestas Apostolica omnibus dominetur, soli
tantum rationi subjici gloriatur. Qualem ille faciem
loci illius auctoritate vestra a nobis ibi positus in-
venerit, qualem jam reddiderit, ne longum faciam,
vos quidem audistis, sed nos cognovimus; vos forte
nostis, sed nos melius. Super aridum et caligosum
montem levatus in signum, ita eum pinguem reli-
gione, sic eum luminosum bono nomine reddidit,
ut in partibus nostris Vizeliacus, excepta Cluniacō,
in nostri ordinis studiis nullum patitur habere
priorem (102), vereque etiam de ipso dici possit:
*Mons coagulatus, mons pinguis: mons in quo placi-
tum est Deo habitare in eo* (Psal. LXVII). Quodque
valde difficile, et idcirco mirum est, labore hujus
nec turba ibi secretum, nec clamor silentium, nec
strepitus ordinem, nec mundus monachis potest
auferre quietem. Unde vestræ sapientiæ providen-
dum est, ne longo tempore et multo labore parta
bona, momento depereant, quia et domus diuturno
sudore constructa, una die destrui, et arbor multis
annis vix ad fructum propecta, subito eradicari,
et puer magna nutricum cura, tandem in virum
perductus, uno potest ictu occidi. Hoc de Vizeliaco
abbate sublato, provenire timemus. Quod si cum
ratione, et auctoritas juvare non potest, recorda-
mini primam curam debere vos vestris, et audite
Apostolum dicentem: *Operemur bonum ad omnes,
maxime autem ad domesticos fidei* (Gal. VI). Et qui
suorum curam negligit, et maxime domesticorum
(I Tim. V), non est meum sequentia adjungere, nec
Patri apostolico, saltem de Apostolo aliqua duriora
proferre. Scitis ipse quid sequatur. Hoc idcirco
dixi, quia etsi Lingonensis Ecclesia vestra, mul-
to magis Vizeliacensis vestra, multo magis Clunia-
censis vestra. Quod igitur magis vestrum est, au-
ctoritate et ratione magis a vobis diligendum, et

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

siam Cluniacensem. Ideoque dubitari posset cujus-
nam prior hic de quo Petrus noster, nisi et Henrici
Wintoniensis in Anglia episcopi memoria, et episto-
læ etiam ipsius materia ac subjectum de Anglico agi
facile persuaderent.

(102) *Vizeliacus, excepta Cluniaco, in nostri ordi-
nis studiis nullum patitur habere priorem.* Henricus
dux Burgundiæ, sicut refert Chronicon Divionense,
« audita fama religionis eximii Patris Willelmi, »
Sancti Maioli Clun. abbatis discipuli, tuncque San-
cti Benigni Divionensis abbatis, « commisit ei ab-
batiam Verzeliacensem pene ad nihilum redactam,
ut ab ipso restitueretur in pristinum statum. Quod
et fecit auxiliante Deo. » Postea sanctus Hugo, Clu-
niacensis et ipsemet abbas eam iterum reformavit,
ut hæc anonymi qui Vitam ejus etiam scripsit, ver-
ba testantur. « Quis, inquit, Beatæ Mariæ Magda-

lenæ Vizeliacensem ecclesiam ad ordinis regularis
pristinum reduxit statum, nisi iste vir beatus? »
Unde et Romani pontifices illam Cluniacensibus
abbatibus commiserunt, et sub eorum quoque dis-
ciplina, licet antiquiorem, stare præceperunt, ut
ex Paschalis II litteris anno 1103. Altardo abbati
Vizeliacensi scriptis liquet, quæ licet prolixiores,
dignæ tamen sunt ut et propter substantiam, et pro-
pter institutum hujus operis, in eo integræ legantur.
Sic ergo se habent in Chartulario Cluniacensi.

« PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, di-
lecto fratri ALTARDO, abbati Verzeliacensis cœnobii,
ejusque legitimis successoribus in perpetuum. Quia
documentis apostolicis, etc. Vide inter epistolas et
privilegia Paschalis II, Patrol. t. CLXIII, sub
num. 83.

conservandum est. Quod tunc fiet, si domino ab-
bate in locum proprium restituto, nullum adversa
suadentem audieritis.

EPISTOLA XXIX.

*Venerabili et dilectissimo mihi domno BERNARDO
Claravallis abbati, frater PETRUS humilis Clunia-
censium abbas, valere semper in Domino.*

Quantum reverentiæ, quantum amoris tibi anima
mea in penetralibus suis conservet, novit ille quem
in te veneror et amplector. Feci hoc, etiam dum
adhuc absentia tua, vultum corporis tui mihi invi-
dens, abscondebatur, quia jam fama velocior corpore,
beatæ animæ tuæ faciem, oculis mentis meæ modo
quo poterat, inferebat. At ubi quod diu negatum
fuerat tandem sum assecutus, et phantasmata
somnia veritate succedente evanuerunt, adhæsit
anima mea tibi, nec ab amore tuo ultra divelli po-
tuit. Ita charitas tua totum me sibi deinceps vindi-
cavit, ita virtutes tuæ et cogniti mores rapuerunt,
ut nihil mihi de me quod tuum non esset, relinque-
rent, nihil tibi de te non meum esse permetterent.
Mansit in me constanter ex illo tempore, et utinam
sic in te maneat Christi causa cœpta, mutua
charitas, quæ sola, quia nunquam excidere novit,
morem suum, quantum ad te pertinet, in me opti-
me conservavit. Cumque hanc omni auro chariorem,
omni gemma clariorem, in sinu meo reposuerim, in
thesauris absconderim, miror quod tanto tempore,
non qualia vellem indicia, hujus a te mihi custo-
ditæ charitatis acceperim. Ago quidem gratias,
quod sæpe per quoslibet salutationibus missis, non
penitus tē amici oblitum signasti. Sed queror, quod
certiora per litteras indicia hactenus non dedisti.
Certiora dixi, quia nescit charta impressum mutare
sermonem, cum loquentium lingua, addendo, vel
demendo, injunctam mutet sæpius veritatem. Unde,
quia ut electus præliator, paratus in diem belli,
pro Ecclesiæ Dei periculis, dextra, ut læva uteris, et
per arma justitiæ a dextris et a sinistris contem-
nis, nuntios meos, quos domno papæ dirigo, ex
parte amicitiae tuæ secure committo, quoniam qui
alienorum causis assistis, tuorum negotiis deesse
non poteris. Per quos, ut querela mea sopiatur,
esse tuum, ac reditum, et statum domni papæ,
non solum legatis meis, sed et litteris tuis com-
mitte. Utinam et te a curia laboriosa, et me a
cura periculosa expeditum, ut semper optavi,
nunquam mutandus unus locus retineret, una
charitas uniret, unus Christus susciperet.

EPISTOLA XXX.

*Frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, GILONI,
utinam fratri, spiritum consilii et timoris
Domini!*

Silerem, non loquerer, quiescerem, non scribe-
rem, si charitas sprete spernere, si læsa potuisset
dolere. Sed quoniam, juxta Scripturam, et item
secundum eandem, omnia suffert, non potui, vel
contemptus contemnere, vel læsus ulcisci. Non

A quo tanti fastigii virtutem, humilitati meæ inesse,
vel jactem, vel suspicer, sed quia mihi conscius
sum, eam tibi etsi non servasse, tamen hactenus
servare voluisse. Attestatur huic erga te affectui
meo, et qualitas temporis ipsius : in quo cum ipsa
charitas vix apparere auderet, simulacrum chari-
tatis se mentiri charitatem nullomodo potuisset.
Hoc et Salomonis illa sententia : *Non agnoscitur
in bonis amicus, nec absconditur in malis inimicus
(Eccli. xii)*. At e diverso me et bonis tuis nunquam
adfuisse, et malis nunquam defuisse, si recolis,
agnoscis. Hic plane, hic secundum meam, et for-
tasse etiam secundum sapientium sententiam : hic,
inquam, est integer veræ amicitiae modus, si non
magis prosperis quam adversis amici amicus com-
municat ; si mala ejus, non minus quam propria sen-
tiant. Hanc erga te, licet non habuerim, habere
tamen, ut dixi, conatus sum : quam in tantum
habui, in quantum habere nisus sum. Hanc læsisti,
quando te a nobis separasti. Hanc sprevisi, quando
invitatus, rogatus, adjuratus, redire contempsisti.
An non læsisti, quando a Christiani orbis corpore
membrum perutile, hoc est, te ipsum ; infandi
schismatis gladio præcidisti ? An non læsisti,
quando ab universali Ecclesia Christianus, et a
Romana episcopus, et a Cluniac. monachus reces-
sisti ? An non læsisti pariter et sprevisi, quando
præcisionis tuæ dolore stimulatos, et ideirco recla-
mantes, revocantes, retrahentes, me aliosque fratres
tuos hucusque non audisti, contempsisti, respuisti ?
C *Laboravi clamans, rauca factæ sunt fauces meæ
(Psal. lxxvii) : defecit vox clamando stylus obtusus,
articuli attriti scribendo, periculum multiplex in-
tentatum, preces effusæ, ratio invicta ostensa. Sed
nec minæ terrere, nec preces mulcere, nec ratio
reditum potuit suadere. Nosti quid Pictavis dictum,
quid Gratianopoli, anno proximo præterito, a te
mihi ac fratribus, qui mecum venerant, fuerit pro-
missum. Testis est annulus, et fides arcuus suo
lapide annulo illigata, quam mihi velut subsecuturi
obsidem, cum eodem quem dixi, annulo reconsig-
nasti. Sed a me quidem annulus custoditur, a Deo
data fides servatur, et adhuc ut fides fidelis appa-
reat, exspectatur. Pentecostes tamen illa, quæ in
terminum reversionis coram testibus præfixa fuerat,
D transacta est : et jam anni alterius eadem festivitas
in proximo est. Sed forte ea spe, ut tunc innuebas,
rem distulisti, qua sperabas ab imperatore Lotha-
rio, aut Petrum Leonis Innocentio papæ præferri,
aut, utroque deposito, in Apostolica sede alium
sublimari. At nunc, quid ultra novarum rerum, vel
moliri, vel præstolari poteris, quando et Lotharius
mortuus est, et Petrus extinctus est, et Inno-
centius in papam ac summum pontificem, primo ab
Urbis parte, postmodum a toto orbe, et tandem a
tota Urbe sublimatus est, et tota vanitatis spes,
divini oris gladio undique circumcisa est ? *Revertere,
revertere Sunamitis ; revertere, revertere (Cant. vi)*.
Nec mireris quod te Sunanitem vocavi, quia et*

zelo tamdiu obstinatæ voluntatis rapior et salutis tuæ amore instigor. Nam (quod pace tua dictum sit), Sunamites vere hucusque fuisti, qui a fratribus et domesticis tuis recedens, apud alienos captivus, fere per decennium exulasti. Non sinas, ut de Béhemoth legitur (*Job* LI), cor tuum indurari sicut lapidem, nec stringi ut malleatoris incudem, quæ quanto frequentioribus ictibus tunditur, tanto durius in semetipsam repressa densatur. Moveat cor tuum saltem sero, fraterna totiesque repetita admonitio; moveat corpus tuum non ad hostes, sed ab hostibus ad cives et parentes felix transmigratio. Lætahimur magis de reddito quam prius gaudebamus de possessio: et si non abuti hoc verbo volueris, eo eris gratior, quo fuisti tardior. Quod si consilium meum hoc jam non novum sed antiquum tibi placet, scripto vel certo nuntio remanda, ut quia rari amici multique te inimici circumstant, sicut veniendi consilium, sic, si necesse fuerit, dare possim et veniendi subsidium. Si aliud (quod a te Deus avertat!) forte deliberasti, et illud significa, quia, ut aliquid in fine litterarum mordacis veritatis adjungam; si et ista contempseris, non poterimus te plus quam tu diligere, nec jam revocare, si deliberasti tam obstinate perire.

EPISTOLA XXXI.

Venerabili, et nobis dilecto GUILLELMO Aurasicensi episcopo (103), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Cum sapientem et religiosum vos et fuisse sciam, et esse non diffidam, mirari non satis sufficio, quod primitias præsulatus vestri (quæ rogo, ea qua dicuntur, pace suscipite), tanto studio monachorum insectationibus dedicastis. Quos enim religionis major professio, religioso magis episcopo commendare debuisset; nescio unde emergente occasione, duriolem, ut dicitur, præ cæteris experti sunt hostem, qui præ aliis vos magis debuerant sentire parentem. Et cum Scriptura dicat: *Dominus justus concidet cervices peccatorum* (*Psal.* CXXVIII), decuisset, ut mihi videtur, et gladium examinis vestri prius splendescere in colla resistentium impiorum, quam limari, vel exeri in jugulos obedientium monachorum. Nec deesse potuissent, proh! mactandæ mucroni vestro victimæ, cum tot pepererit infelix terræ vestræ fertilitas diversorum graduum sacrilegos, schismaticos, hæreticos tam occultos quam publicos, ut si parcere non decrevisset, ante potuisset hebescere, quam universos extinguere. Quod si forte ad illa illibato acumine perdurasset, tunc demum justum fuerat converti ad leviam monachorum, cum fuissent desecta gravia laicorum. Sed quod magis indecens, ne dicam, turpe est, non de gravibus, vel levibus vitiis, sed de rebus pecuniariis, inter

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(103) *Guillelmo Aurasicensi episcopo.* Melius *Arausicensi*, ab *Arausio* Viennensis secundæ civitate, quam et *Arausicam* vocat Usuardus ad vi Kal. Jun. his verbis: « In Galliis civitate Arausica, Sancti Eutropii episcopi, cujus Vitam Verus episcopus conscri-

A sanctum episcopum et religiosos monachos, quæstio versatur. Nec attendit Apostolus episcopis, aut monachis, sed ipsis laicis, dicens: *Omnino delictum est, quod causæ sunt inter vós* (*I Cor.* VI). Sed quia vos tam divinarum quam humanarum legum peritum novi, utpote qui aliquando de his vebiscum publice et privatim contulerim, recordamini legis divinæ, quæ dicit: *Quidquid vovisti, reddes pro salute tua Domino* (*Deut.* XXIII); Et: *Noli transgredi terminos antiquos, quos posuerunt [statuerunt] patres tui* (*Prov.* XXII). Recolite et illud Romanæ legis. Nihil tam juri naturali conveniens est, quam voluntatem Domini, volentis in alium rem suam transferre, ratam haberi. Hæc idcirco dico, quia cum constet apud nostros, et forsitan vestros, ne dicam apud vos, fratres de Podioleno (104) ecclesiam Sancti Martini, dono prædecessoris vestri Aurasicensis episcopi, et concessionem domni Urbani papæ, non tantum juris proprietate, sed et corporali possessione, legali, quod ipse nostis, tempore possedisse, a vobis tamen nimia, ne dicam injusta et damnosa, ne dicam calumniosa vexatione, quod nunquam hætenus, fatigantur. Qui cum et instrumenta factæ donationis, et subsecutæ, ut ipsi dicant, et nos vidimus, transactionis ostenderint; quæ si probabilia sunt, vicem testium obtinent; nec si pacem quam persequuntur apprehendere, nec requiem talibus præcipue necessariam, a patre filii, ab episcopo monachi, obtinere prævalent. Insuper quod de tanto viro credere valde durum esset, nisi rerum ipse effectus doceret, apostolica scripta, quæ alios juvare consuerunt, fratribus illis præter solitum nocuerunt. Quæ cum charitati vestræ, ut audivi, præciperent, ut in illa interdicti sententia a vobis in Ecclesiis promulgata, manus sibi decisoria reservaretur, octo tantum diebus obedistis, cui obedientiæ annuam inobedientiam rependistis, cum Ecclesias illas, contra præcepta apostolica, divinis officiis vacare fecistis. Sed quid plura? Parcite, si placet, amicis, fratribus, filiis, ne gloriæ vestræ maculam inferre velitis; et de ignominia vilium hominum gloriari, et de spoliis egenorum ditescere cupitis. Quod si non placet, denuntiate diem, in quo, licet nihil de amico lucremur, apostolico examine, et quæ vestra sunt retinere, et quæ aliena, non vestra esse, quamvis justo serius cognoscatis. Sed inviti causas intrabimus. Ad quas nisi unco violenti traheremur, lites judiciorum, maxime episcopalium, subterfugere, et gratum voluntati, et congruum esset professioni.

EPISTOLA XXXII.

Nobilissimo principi, et charissimo amico nostro, domno AMEDEO comiti et marchioni, frater PETRUS

psit. » Gallice *Orange*.

(104) *Fratres de Podioleno.* Podiolenum, sive *Podiolanum*, vulgo *Piolenc*, prioratus ord. Clun. in Arausicensi diocesi, cujus ecclesia in honore sancti Joannis Baptistæ consecrata est.

humilis Cluniacensium [abbas, salutem et æterni participium principatus.

Gloriosus rex Francorum Ludovicus, et ante miserat, et nunc iterum nobis misit nuntios suos: quos et vobis dirigi, et per manum nostram, quod a vobis petierint impleri, rogavit. Qui quamvis per seipsum, ut pote insignis flos et præfulgidum germinis vestri sidus, cuncta quæ voluerit, apud vos debeat obtinere, quia tamen me precum suarum mediatorem elegit, rogo ut sicut ipse hoc per me petendo, efficacius se impetrare confidit, ita vos largiendo, non frustra eum istud sperasse monstretis. Cumque ipse superna gratia, et regni terminos pene duplicando et juveniles annos virtutibus adornando, summa vestri generis gloria sit, non debet aliquam in precibus suis pati repulsam, cui et regia magnitudo, et sanguinis communio cuncta de vobis sperare suadent. Et cum derivato a patre nomine, regis patruus dicamini, decet vos et ejus regno consulere, et ipsi ut filio in omnibus providere. Quod utrumque simul implebitis, si eum in præsentis negotio audieritis. Sed nolui illud his, quas mitto, litteris inserere, quia plenius id ab ore nuntiantis, quam a manu scribentis accipere poteritis. Hoc postquam agnoveritis, quod tamen et jam audistis, oro ne innocenti puero Patrum peccata, ne regina vel regaliū aulicorum veteres forsitan culpæ, novo regi noceant, quia juxta divinam prophetæ sententiam: *Non portabit filius iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii (Ezech. xviii).* Date operam, quod et facere pro cunctis mortalibus natura ipsa compellente, debetis, profectibus et honori ipsius, quoniam et in profectu ejus vos proficere, et honorem ipsius vobis, ut credo, gloriam parere sentientis.

EPISTOLA XXXIII.

Venerabili et intimo nobis domino, Atoni Trecensium episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem quam sibi.

Festinante ad reditum nuntio vestro, et Quadregesimalis temporis opportuna importunitate prohibente, respondere nuper litteris vestris non potui. Potuissem quidem cuilibet dictanda ingerere, sed

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(105) *Ut monachi Clun. a quo manerint Catholico episcopo ordines suscipiant.* De hoc Cluniacensium privilegio supra jam aliquid ex variis pontif. Rom. diplomatibus attigimus. Sed quia nunc primum aliud omnibus illis antiquius in manus nostras devenit, in quo et idem privilegium; et aliquot etiam alia continentur, ipsum hic integrum subijcere non omnino fuerit incongruum. Sic igitur habet:

Diploma Joannis XIX papæ, super elect. domni abb. Clun., ad Odilonem.

« Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio Odiloni, abbati monasterii quod dicitur Cluniacum, in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli consecratum, in comitatu Matisconensi situm, et pro te cunctis successoribus tuis abbatibus in perpetuum. Cum omnium fidelium petitionibus et necessitatibus subvenire debeat apostolicæ charitatis gratia, multo magis his est imper-

malui in cor vestrum ex corde meo, quam ex ore alterius mandanda transfundere. Illud quare maluerim, hæc causa est: Habent vina hunc morem ut, de vase in vas frequenter transfusa, a virtute naturali languescant: si recentia hauriantur, vini saporem integre servasse probentur. Sic verba per aures alienas aliorum cordibus committenda, referentium inscitia, incuria, industria, aut non intellectam, aut neglectam, aut depravatam, quandoque augent, mutant, minuunt veritatem. Unde quia certius quisque cor suum quam alter agnoscit, verius seipsum quam alter exponit. Illud ut fugiam, istud ut assequar, proposui semper, quando vacat, amico, cui me totum debeo, non cujuslibet, sed mihi ipsi me exponendo committere ut et falsitatis suspicio tollatur, et dilecto præ cæteris, remotis cæteris per seipsum animus colloquatur. Mandastis quid de ordinibus apud Charitatem factis, novo homini nova verba loquenti respondere deberetis. Ad quod respondeo, non debere veterem et expertum vereri inexpertorum novitatem verborum, quia et frenorum in primis impatiens equus, diuturno cursu paulatim lentescens, nec stimulis ad ultimum proprio jam cruore imbutis obedit, et pugil recentis virtute importabilis, infirmiori persæpe collegæ succumbit, et mucro noviter exacutus, vel feriens, vel otiosus hebescit. Ita omnium rerum novarum immoderatus modus se habet, ut ipsa sui novitate sibi et aliis admirandus, in primis ferveat, citiusque sperato tepescat. Præstringit oculos corusci instar splendoris, qui sicut se repentinus ingerit, sic vix visus recedit. Itaque noctem illustrat, ut densiores tenebras recedens relinquat. Durandum est idcirco, et novitatis levitas constanter ferenda, quia qui adhuc recenti spiritu fervens, putat omnia sibi licere, cum exhausto pectore nihil potuerit, discet nunc loquax quandoque silere. Proferentur suo tempore nova loquenti de thesauro Romanæ gazæ privilegia nova et vetera: quibus ut monachi Cluniacenses a quo maluerint Catholico episcopo sacros ordines suscipiant (105), apostolica auctoritate decernitur, et omnis contradicens, nisi admonitus resipuerit, ana-

« tienda ejus beneficii clementia, quos singulariter proprios, et specialiter filios se gaudet habere sancta Rom. mater Ecclesia, et suæ utilitatis gratia et præcedentium Patrum auctoritate egregia, quorum etiam desideriis et votis eo plenius parere debet auctoritatis apostolicæ sublimitas, quo certius constat eos non nisi illa desiderare et expetere, quæ sunt ad honestatem sanctæ pietatis, et utilitatem veræ religionis. Et quoties in suæ necessitatis commodis nostrum assensum, et solitæ apostolicæ auctoritatis studuerint humiliter requirere præsidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit, et rite pro integra securitate solidare, ut ex hoc nobis quoque potissimum præmium a Conditor omnium Deo in sideris arcibus contribuatur. Et ideo postulastis a nobis ut præfatum monasterium apostolicæ auctoritatis serie muniremus, et omnis ejus pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanendo confirmaremus, et absque omni jugo seu ditione cujus-

thematis vinculo innodatur. Misissem sanctitati vestrae exemplaria eorum, sed quia ille, de quo agitur, nostrum se amicum hucusque, aut exhibuit, aut dixit, non est laedendus amor : qui si est, apparebit; si non est, non laebeat. Eapropter proposui ei scribere et de his alterum experiri. Qui si amator est, amici gratia querelam deponet; si non, non vobiscum, sed nobiscum de his aget. Non est justum ut de re, quam nec vobis, nec pro vobis, sed nobis, et pro nobis fecistis, aliquid molestiae sine nobis sentiat. Ero ipse scutum vestrum, quo protectus aut jacula immissa ab hoste non sentietis, aut, nisi, me transfixo, sentire non poteritis.

Sed ecce dum haec paro, velut futurae litis diremptor, nuntius intervenit : et rem de qua agebam, pacis transactione, judiciis exemptam retulit. Dixit : Trecensi cum Antissiodorensi episcopo de pace convenisse, et post collatum de re jam dicta quaestionem, omnium sopita similitate, pacifice abinvicem recessisse. Quae utrum sic se habeant, rescribite, ut, si verum est adgaudere; si falsum, ad ea quae praemisi me celerius valeam expedire. De sequenti quod litteris indidistis capitulo, id responsi accipite. Missus est a festo sancti Martini

ANDREAE CHESNII NOTAE.

cunquae personae constabilire nostri privilegii pagina studeremus, propterea tuis, flexus precibus ob interventum domni invicissimi et pii Henrici..... imperatoris Augusti. ejusque remedium animae, per hujus nostrae auctoritatis privilegium statuentes decernimus, ut cuncta loca et monasteria ad praedictum Clun. coenobium pertinentia, quae ab aliquibus fidelissimis Christianis, episcopis, ducibus, seu principibus eidem loco sunt concessa, et ab antecessoribus tuis abbatibus acquisita, Bernone videlicet, Odone, Eymardo, et beatae recordationis sancto Maiolo praedecessore tuo, vel quaecumque ad eundem locum pertinere videntur, absque ullius contradictione cum magna securitate quietus debeas possidere, et per te universi successores tui in perpetuum. Necnon sub divini iudicii promulgatione et confirmatione, et anathematis interdictione corroborantes decernimus ut nullus episcopus, seu quilibet sacerdotum in eodem venerabili coenobio pro aliqua ordinatione, sive consecratione Ecclesiae, presbyterorum, vel diaconorum, missarumque celebratione, nisi ab abbate ejusdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum praesumat. Sed liceat monachis ipsius loci, cujuscumque voluerint ordinationis gradum suscipere, ubicumque tibi tuisque successoribus placuerit. Interdicimus autem sub simili anathematis promulgatione, ut isdem locus sub nullius cujuscumque episcopi, vel sacerdotis deprimatur interdictionis titulo, seu excommunicationis, vel anathematis vinculo. Non enim patitur sanctae sedis apostolicae auctoritas, ut ullius cujuscumque personae obligatione proscindatur a se cuilibet concessa liberalis libertas, neque ipsius loci fratres ubicumque positi, cujuscumque episcopi maledictionis, vel excommunicationis vinculo teneantur astricti. Inhonestum enim nobis videtur ut sine nostro iudicio, a quoquam anathematizetur sanctae sedis apostolicae filius, veluti cujuscumque subjectae Ecclesiae discipulus. Si qua vero competens ratio adversus eos quemquam moverit, et hoc aliter determinari vel diffiniri nequiverit, iudicium apostolicum, quod nulli praedictum praetendere patitur, super hoc patienter praestoletur, et humiliter requiratur. De-

A nuntius Romam, unus ex cumpositis nobis prioribus, quem quia non agnoscitis, nec nomino, idoneus tamen, qui in hebdomada mediam Quadragesimam proxime praecedente, rediit. Dixit se illustrando cellas Cluniacenses, et monasteria nostra cis Appenninum sita, in Italia moram fecisse; indeque usque ad mare Veneticum, omnia peragrando, Romam pro injunctis negotiis summo studio contendere voluisse, nec potuisse; capi monachos, spoliari episcopos, interfici clericos, nec illis religionem, nec istis dignitatem adesse vel in modico posse. Itinera obstructa latronibus, raptoribus campos, gladiatoribus silvas oppletas, ipsumque Latium, singularem olim Romanae gloriae sedem, non civibus, sed barbaris et hostibus saevissimis substratum gemere. Cumque sibi interclusa omnia carneret, meliore usus consilio, misit loco sui fratrem quemdam, olim domni Matthaei Albanensis episcopi capellanum, virum quem et ipse novi strenuum, domino papae, cardinalibus, et caeteris, qui suerunt, optime notum, utpote qui multis annis in curia moratus, et iter eorum per diversa persecutus est. Huic omnia injuncta injunxit, et illum cum litteris nostris vestrisque direxit. Hunc ante Pascha

B cernimus etiam, et illius cujus vice, quamvis indigni, fungimur auctoritate sancimus ut isdem locus omnibus ad se ob salutem confugientibus, sit misericordiae sinus, sit totius pietatis et salutis portus. Obtineat in eo locum justus, nec repellatur poenitere volens iniquus. Praebatur innocentibus charitas mutuae fraternitatis, nec negetur offensis spes salutis, et indulgentia pietatis. Et si aliquis cujuscumque obligatus anathemate eundem locum expecterit, sive pro corporis sepultura, seu alterius suae utilitatis et salutis gratia, minime a venia et optata misericordia excludatur, sed oleo medicamenti salutaris fovendus benigniter colligatur. Quia et justum sic est ut in domo pietatis, et justo praebatur dilectio sanctae fraternitatis, et ad veniam confugienti peccatori non negetur medicamentum indulgentiae et salutis. Sit autem omnibus ibi advenientibus causa salutis hic et in perpetuum divinae miserationis et pietatis refugium, et apostolicae benedictionis et absolutionis praesidium. Decernimus praeterea, et omnino constituimus ut praedicti loci obeunte abbate non ibi alius cujuscumque personae violentia constituatur ordinandus, sed ab ipsa congregatione loci, secundum timorem Dei, et institutionem legislatoris Benedicti, Pater qui sibi praesse debeat eligatur, atque ad eum ordinandum qualiscumque illis placuerit episcopus advocetur. Quascumque vero terras nunc tenes, et quas tu tuique successores acquirere potueritis, in perpetuum possidendas concedimus vobis. Si quis temerario ausu (quod fieri non credimus), contra hujus nostrae apostolicae confirmationis seriem venire aut agere tentaverit, sciat se Domini nostri et apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodandum, et cum diabolo, ejusque atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in aeternum ignem concremandum, simulque in voraginem tartareosque chaos demersum cum impiis deficiendum. Qui vero custos et observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam et vitam aeternam a Domino consequatur, etc.

Domini, cum ipsius auxilio Domini rediturum exspecto, cuncta reverentiæ vestræ, quæ retulerit, relaturus. Et si quid, quod non credo, perfectionis negotio illi defuerit, demum exsecuturus. Pro Guarino clerico, monachum nostrum præcurrente, satis sobrium vobis Dominus papa mandatum imposuit, ut si libera præbenda pateret, ei daretur; si non, prima quæ occurreret præberetur. Sed quæ vel Cluniacensis ipsius domini papæ precibus et præcepto data prius fuerat, non patet; vel quæ filio Oduini, non patet. Et quia præter has duas nulla, ut æstimo, ad præsens residua est, nulla danda est. Cum dehinc alia occurrerit, aut præceptum implebitis, aut a præcepti auctore sententiam immutari rogabitis. Interim, et si ille, ut audivi, Romanam redierit, et illud notum facite.

EPISTOLA XXXIV.

Venerabili domino, et suo pene solitario amico, Atoni Trecensium episcopo, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, etc.

Magister Gebuinus archidiaconus vester (106), Dominica instantis mediæ Quadragesimæ Cluniacum venit. Interrogatus a me quo tenderet, quæ causa itineris esset, respondit Romam se tendere, causam itineris legationem Lingonensium esse. At ego et vultum nubilum in eo, et Garinum fratrem ejus cum eo attendens, intellexi dolos in vulpe latentes, nec dissimulandum ratus, conveni hominem, et nudi manu sermonis cor velatum retexi. Dixi frustra eum conari contra ictum fluminis, nequidquam vires insumere, posse illum undarum molibus obrui, non posse indomitam vim fluctuum retrorsum cogi. Cedendum vel ratione religioni, vel necessitate fortiori, subditum a prælato, clericum ab episcopo, precibus, non minis; humilitate, non contumacia; vultu supplici, non voce minaci, præbendam vel quidlibet tale extorquere non posse, impetrare valere. Quod si mallet in incepto persistere quam consulto acquiescere, sciret addi quantulameunque virtutem meam viribus vestris, priusquam utrumque deficere, quam sinerem constanti justitiæ pertinacem injustitiam prævalere. Hæc audiens, velut telo compunctus, se a me proripuit; nec multum moratus, demum rediit. Dixit se sanio rem reverti quam recessisset, profuisse sibi austera, nihilque mellitum sonantia verba; amarum vere cor a vobis se retulisse, sed jam dulcedine amaritudinem commutasse; velle se de cætero præcepto vestro, meo consilio subdi; orare ut mediator existens pacatum jam et obedientem famulum Domino, filium patri, archidiaconum episcopo reformarem, daremque operam, ut talem vos ei restituerem, qualem se vobis amico studio comparassem. Necesse sibi esse

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(106) *Magister Gebuinus archidiaconus vester.* Gebuini hujus meminit et Hildebertus Cenoman episcopus, epist. 53, his verbis: « Porro huic desiderio nostro Jehuinus Trecensis archidiaconus plurimum adjecit, vir moribus et litteratura conspicuus. » Et ipse etiam Hato Trecensis episcopus in Signo suo

A propter assumptum legationis munus ire quo cœperat, sed fidelem veraciter non phantastice jam factum vobis, non contra vos iturum, fidemque deinceps domi forisque fideliter servaturum. Cumque se id mihi nondum persuasisse sentiret, apprehensa manu mea, indeque osculo petito, ut mos est, in talibus fidem dedit. Rogavit deinde, ut, missis litteris, quæ dicta factave fuerant vobis nota facerem. Sic eo quo venerat die recessit. Sed quoniam, juxta quod dicitur fere

Nusquam tuta fides.

(VIRGIL. *Æneid.* lib. IV, vers. 573.)

B cum jam urbem præbendæ illius negotium, nuntium ad urbem præmisissem, ante primi reditum, secundum destinavi, qui iter ejus aut anticipet, aut sequatur, ut, si data fides forte vacillaverit, infidelem arguat; si permanserit, testimonium ferat. Præter hæc illud rogo, et consulo, ut, secundum domini papæ mandatum, primam, quæ occurrerit, præbendam Guarino conservetis, et deinceps nondum habita promittere caveatis. Tutius est enim diu dicenda deliberare, quam post dicta pœnitere. Et ne miremini duas vobis simul epistolas mitti, scitote accidentia rerum ita continuata, ut, vix prima elapsa de manibus, causa sequentis succurreret, ac sicut pene simul oportuit scribi, sic simul etiam oportuerit mitti.

EPISTOLA XXXV

Reverendo Patri et excelso in verbo gloriæ, Petro Dei gratia Cluniacensium abbati, Ato Trecensis Ecclesiæ humilis minister, alter ipse seipsum, et si quid est ultra.

D Desiderabilem supernæ consolationis thesaurum in litteris vestris, sancte Pater, inveni, quæ super mel et favum dulces, lætificaverunt spiritum meum, in docendo spiritualem medicum, in operando, cœlestem exprimentes philosophum: in quibus charitatis affectus, naturæ facundia, gratiæ redundat disciplina. Vos enim divini, ut credo, non ignarus consilii, tanquam ex Jacob factus Israel, et cogitatis fideliter, et profertis utiliter, et efficaciter adimpletis. Hujus rei gratia, velut umbram æstuans, fontem sitiens, vestram desidero videre beatitudinem. Jucundatur vultus hilaritate confovendus et dulciloquio, lætatur animo vestro informandus exemplo, et utriusque hominis status desiderat videre visionem hanc grandem. Sufficit enim mihi ut videam vos, ut vobiscum sim antequam moriar. Vos quidem, ut pace vestra fatear, alter nostri sæculi Joannes videmini, qui doctrinæ fluentia de ipso Domini pectoris fonte hausistis: unde his, qui et prope et longe sunt, eructare sufficiatis occulta cœlestium mysteriorum, documenta Scripturarum,

de commutatione et dono de Bussi propter duas Ecclesias, ubi non archidiaconum tantum, sed et cantorem fuisse docet, cum ait: « Hujus rei cooperator fuit filius noster Gibuinus cantor et archidiaconus, ad cujus curam eadem Ecclesiæ spectabant. »

confutationes hæreticorum, ita ut omnes qui audiunt dicant: *Gloria in altissimis Deo, quia propheta magnus surrexit in nobis.* Gaudens igitur gaudeo in Domino, quia religionis vestrae aromata, quæ mihi absentibus suaviter et mirabiliter redolent, oleum effusum nomen vestrum, largiente Domino, et oculis inspicere, et ut expressius loquar, manibus merui contrectare. Nomen vestrum mihi mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Nomen vestrum melius est quam divitiarum multarum. Unde festivam amabilis personarum vestrae reverentiam, in qua multum Deo complacuit, piæ recordationis amplector desiderio, imo propter indissolubile dilectionis vinculum propriis visceribus alligavi stylo, ut ita dixerim, adamantino. Vos quidem estis vas aureum, vas electionis in domo Domini, speculum et forma vivendi, cujus munda coram Deo conscientia, coram hominibus bona fama, opera recta, verba utilia. Quod totum Deo spectat ad gloriam, vobis ad coronam, nobis et bonis omnibus ad generalem lætitiarum. Cujus servitio et devotioni, meipsum, ultra quam credi potest, et expono et exposui. Ideo autem aliquid in vobis laudare præterimus, ne sermo noster adulationem redolere videatur. Sed cogit nos vestrae religionis integritas, sapientiarum gloria, reverentia morum, funiculus triplex qui difficile rumpitur, ita ut in religione discretionem, in sapientia humilitatem, in moribus dulcedinem admiremur. Superest quod dignius est laude, inanis gloriarum remotio: quam sic penitus vacuastis, ut in vobis impletum sit quod dicitur. Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria. Olivam uberem, et speciosam vocavit nomen vestrum Deus. Et tamen ad vocem loquelæ grandis, ignis non exarsit in ea, nec combusta sunt omnia fructifera ejus, quia sic virtutes vestras in occulto mentis absconditis, ut odorem inanis gloriarum fugiatis. Prætereo ego minora bona majoribus obumbrata, virtutes vobis communes, et aliis singulares.

In his omnibus, imo in uno horum omnium vulneratis cor meum, nec possunt aquarum multarum hanc extinguere charitatem, quia et si mundani fluminis unda cor meum circummovet, ignis tamen vestrae charitatis assidue et memoriter ardens, fluctus invidantes absorbet. Sed insipiens ego, qui præsumo docere Minervam, qui totus cæcus volo illuminare videntem. Sed hoc facit illa, quæ nescit fucum simulationis, charitas scilicet, quæ jubet me totum exponere vobis. Volo linguam retinere, sed ipsa non permittit, stylum manu dimittere, sed ipsa interdicat. Timeo sermonem prolixum, et incompositum. Sed ipsa dicit: Fac quod vis, quia singulari amico singulariter scribis. Mandastis ut vobis rescriberem

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(107) *Odo archidiaconus nepos meus.* Cujus et mentionem facit idem Hato Trec. antistes ejus avunculus in præfato Signo, sic: « Nomine testium qui interfuerunt sub titulari fecimus: Dominus Gaufridus Canotensis episcopus, vir magnæ auctoritatis, bonæ memoriæ, Manasses, Falco, Odo archidiaconus.

A de abbate Pontiniacensi vel episcopo Antissiodorensi, quid de ordinibus apud charitatem factis sentiret, vel si sermonem rigidum alicujus consilii male domuisset. Dixistis vos scutum meum esse, quo protectus, aut jacula immissa ab hoste non sentirem, aut sine vobis transfixo, sentire non possem. Volo gratias reddere, sed mundus gratiam transcendit, et ideo lingua a gratiarum actione quiescit. Verumtamen homo ille, sicut vos audistis, ante bellum arma deposuit: et qui se sibi leonem reddiderat, ad nos se agnum mansuetissimum destinavit, et ante tempestatem, navem submergens, quidquid erat querelæ in pace dimisit. Cognovit quia ratione caret, ut novi antiquis, imperiti magistris rudes præferantur emeritis. Nullam præbendam esse apertam manifestis assertionibus declarastis. Magistro Guarino, juxta consilium vestrum, præbenda conservabitur, nisi ab auctore sententiæ sententia commutetur. Nulli amplius præbendam promittam, quia etsi non lædit promittere, gravat tamen quandoque adimplere. Quod Gebuinum ita fervide convenistis, et post eum nuntium mittendo, astutiam astutia prævenistis, divinum fuit consilium, et vestrae sapientiarum certissimum documentum. Eapropter in ore nostro personat gratiarum actio et vox laudis. De nuntio nostro et vestro, qui nunc venit, et alteri injuncta injunxit, laudamus, quoniam aliter fieri non potuisse cognoscimus. Sane expectatur a nobis sicut pluvia in vellus, ut frementium clericorum iram retundat, ut mucrone apostolicæ vindictæ inobedientes coarguat, ut nescientes intelligere faciat quanti sit ponderis apostolica præcepta contemnere, et Cluniacensi nomini derogare. Ipsi enim sunt qui nec Deum timeant, nec hominem reverentur, filii alieni, sapientes ut faciant mala, bene autem facere nescierunt (*Jer. iv*): muscæ morientes, quæ perderunt omnem suavitatem unguenti (*Ecclesi. x*): muscæ Ægypti (*Exod. viii*), a quibus inquietamur, quæ bibunt sanguinem de aqua factum, quorum omnium primogenita moriuntur, ventus turbinis veniens ab aquilone, nubes excæcans, ignis involvens, mali animo, pejores lingua, pessimi vita. Vos autem, qui cum Domino ascenditis Jerosolymam, clamate ad Dominum clamore cordis altissimo, ut protegat nos sub umbra alarum suarum, donec transeat iniquitas; et ad nihilum deducat tribulantes nos, qui solus laborem et dolorem considerat. Salutatur vos Manasses Rumiliacensis, reverendus filius noster, et singularis amicus vester. Salutatur vos Odo archidiaconus nepos meus (107), tam specialiter vester quam singulariter noster. Salutatur vos Nicolaus servus vester, qui in dilectione vestra nullam ponit mensuram, sed specialius omnibus vestram

nus. Actum Trecis anno ab Incarnat. Domini 1140. Et in subscriptione donationis unius præbendæ quam Cluniacensibus assignavit in Ecclesia Trecensi, « Signum Odonis archidiaconi, Signum Manasses archidiaconi, » etc.

assidue repræsentat memoriam. Illic adjutor noster est, et vestri gratia præcipue nos diligit, et diligendo nos custodit. De Ascelino vestram paternitatem rogamus, ut eum nobis remittatis, quia ecclesiæ Sanctæ Margaritæ (108) super omnes, et necessarius est, et specialis. Rogat hoc mecum Dominus Manasses speciali amore, qui multum vos diligit in veritate.

EPISTOLA XXXVI.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri, domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, obedientiam et amorem.

Rogati rogamus, ut paterna pietas nobilis filiæ preces exaudiat, et eam eligendi libertatem, quam minoris nominis, inferioris dignitatis, episcopatus, abbatiae, canonico et communi jure obtinent, nobili, magnæ, famosæ, Lingonensi Ecclesiæ, conservari jubeat, ut et ipsi simultatum occasiones amittant, et de pace eis per vos provisa, Deo et vobis gratias agant. Filium ducis Burgundiæ nostræ, majestatis vestræ clementiam nunc primum adeuntem, vobis attentius commendamus, ut eo a vobis amore et honore suscipiatur, quatenus et bonæ spei filius, bonum patrem se adisse gratuletur, et vestro obsequio multo magis in posterum obnoxius reddatur.

EPISTOLA XXXVII.

Singulari reverentia et affectu colendo, domno BERNARDO Clarævallis abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et seipsum.

Scripti nuper longiores, nunc breviores litteras mitto. Quæ idcirco clingues sunt, quia in lingua latoris confidunt; nec alia fuit causa illarum, quam ut legentem ad portitorem mitterent, et ab eo exigere quod ipsæ reticebant monerent. Unde dum has perlegitis, a ferente, ut referat quod istæ silent, perquirite: et ab eo, quod nec a me, nec ab eis potestis, audite. Est hic quem loquimur Gebuinus, mihi et vobis notissimus, mihi vobisque, ut credo, charissimus.

EPISTOLA XXXVIII.

Domino et Patri reverendissimo PETRO Cluniacensium abbati, suus BERNARDUS, quod suus.

Visitet te Oriens ex alto, o bone vir, quia visitasti me in terra aliena, et in loco peregrinationis meæ consolatus es me. Benefecisti, intelligens super egenum et pauperem. Absens eram, et absens jam longo tempore, et recordatus es nominis mei, homo magnus, occupatus in magnis. Benedictus sanctus angelus tuus, qui pio pectori tuo id suggessit. Benedictus Deus noster, qui persuasit. Et teneo unde glorier apud extraneos, litteras tuas; et illas litteras, in quibus tuam mihi animam effudisti. Glorior, quod me habeas non modo in memoria,

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(108) *Ecclesiæ Sanctæ Margaritæ.* Quæ cella est juris Clun. in Campania, Trecensis diocesis, cognominaturque vulgo *de Mergerie*. Theobaldus comes Campaniæ in Charta de Merkelicurte, quam et *Mercurii curtem* vocat Innocentius III papa, pag. 1491

sed et in gratia. Glorior privilegio amoris tui. Reflectus sum de abundantia suavitatis pectoris tui. Non solum autem, sed et glorior in tribulationibus, si quas dignus habitus sum pro Ecclesia pati. Hæc plane gloria mea et exaltans caput meum Ecclesiæ triumphus. Nam si socii fuimus laboris, erimus et consolationis. Collaborandum fuit et compatiendum matri, et ne de nobis quereretur dicens: *Qui juxta me erant de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam* (Psal. xxxvii). Deo autem gratias, qui dedit ei victoriam, honestavit eam in laboribus, et complevit labores illius (Sap. x). Tristitia nostra in gaudium, et luctus noster versus in citharam est. *Hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit* (Cant. ii). Amputatum est sarmentum inutile, putre membrum. Ille, ille iniquus, qui peccare fecit Israel, morte absorptus est, traductus in ventrem inferi. Fecerat quippe, secundum prophetam, pactum cum morte, et cum inferno foedus inierat (Isa. xxviii). Ideoque, juxta Ezechielem, factus est perditio, et non subsistit in æternum. Alius quoque omnium sicut maximus, ita et pessimus inimicus, abscisus nihilominus est. Et is erat unus ex amicis Ecclesiæ, sed illis de quibus solet queri et dicere: *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt* (Psal. xxxvii). Si qui restant, cito speramus de similibus idem judicium. Prope est ut revertar ad fratres meos, si vita comes fuerit, per vos, sicut intendo, transiturus. Interim commendo me sanctis orationibus vestris. Salutamus fratrem Hugonem camerarium, et omnes qui circa vos sunt, cum reliqua sancta multitudine.

EPISTOLA XXXIX.

Glorioso principi, et magnifico Constantinopolitanæ urbis imperatori JOANNI CALO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem ab eo qui dat salutem regibus.

Gratias omnipotenti Regi regum, cujus regnum regnum est omnium sæculorum, qui imperatoriam majestatem vestram super omnes Christiani nominis principes exaltavit, et ad tuendam toto orbe Ecclesiam suam, velut in medio Orientis, Occidentis, Aquilonis constituit. Unde olim Aquilonalibus barbaris, sed et ultimis ac pessimis Christiani nominis inimicis Arabibus, in Occiduas et Meridianas plagas irruentibus, regni vestri partes, et si oppugnari, nunquam tamen expugnari permisit, sed in vos magni illius Romani imperii gloriam nomenque transfudit. Voluit, ut sicut potestas, sic et vocabulum ad vos transmigraret, ac religione mutata, imperio translato, sicut a pagano Romulo Roma dicebatur, sic a Christiano reparatore Constantino vestra urbs Constantinopolis vocaretur. Hanc, ut dixi,

hujus Bibliothecæ, « Capellam, inquit, quæ sita est infra septa grangiarum, quæ dicitur Merkelicurtis, dedi Ecclesiæ Clun. ut perpetuo adjaccat ecclesiæ Sanctæ Margarete, quæ est cella Ecclesiæ Clun. »

velut metam intransmeabilem, velut invictum ob-
icem, velut præfixum, quem nunquam liceat trans-
gredi, terminum, omnia providens supernus oculus
paganis regibus; barbaris gentibus posuit, quo
Oriens terreatur, Boreas subdatur, Occidens defen-
datur. Isto plane regni vestri obice repulsi, et anti-
qui erroris, si qui supersunt, pagani, et novi hostes
Christiani nominis Turci, sedibus propriis contenti,
in seipsos reprimuntur, ut nec aliena invadere au-
deant, et divini brachii virtute manum potentiae ve-
stræ roborante, sua etiam plerumque amittant. Su-
per quibus regali magnitudini nos quidem, licet hu-
miles, gratias agimus; a Deo vero æterna vos deco-
randum corona, si in his fideliter permanseritis, nec
in modico dubitamus. Præter hæc pro Hierosolymi-
tano rege, pro Antiocheno principe, pro universis
denique Gallis nostris, fidem vestram et nobilitatem
rogamus, ut quia ipsi magnis urbibus, prædiis, pa-
rentibus, et locuplete patria, Domini Christi amore
dimissis, loca redemptionis humanæ, non altero
quam sui sanguinis pretio mercati sunt, et proprio
assidue periculo defendunt; vos ejusdem Christi ve-
stri amore eos sustentetis, foveatis, juvetis, ne
tanto zelo fidei, tantisque laboribus parta (quod ab-
sit!) pereant. Erit illud non tantum merces fidei
vestræ, sed etiam tutela non parva imperii vestri,
quando sicut vos Aquilonis, sic et illi impetus Orien-
tis obtundent. Fecit hoc inter egregios principes re-
censendus Alexius pater vester, cui sicut in regno
feliciter successistis, sic decet ut in tam bono opere
feliciter succedatis. Qui inter multa laudabilia quæ
gessit, non passus Græciam suam, sua universa bona
includere, ad remotissimos manum beneficii sui ex-
tendit, et non solum transmarina, sed etiam trans-
alpina loca copiosis muneribus, et pretiosis ornamen-
tis ditavit. Inter quæ Cluniaco monasterio, omnibus
Latinis regibus et gentibus notissimo, eique subdito
magno et religioso loco, qui Charitas dicitur, mo-
nasterium juxta ipsam regiam civitatem, quod Ci-
vitot vocatur, dedit, et in perpetuum abbatis Clu-
niacensis et prioris de Charitate obedientiæ subje-
cit. Quod nostris aut mortuis, aut recedentibus, aut
expulsis, alieni monachi invaserunt, et jam, ut au-
divimus, fere per triennium abstulerunt. Oro igitur,
et mecum universa Cluniacensis congregatio ma-
jestatem, et pietatem regiam deprecatur, ut nobis,
et loco de Charitate per harum litterarum latores
monasterium ablatum restitui faciat, et pro æterna
animæ suæ salute, servos Dei ibidem habituros ab
injuriis defendat, et in pacem custodiat. Et ut aliquid
beneficii spiritualis vobis ista facientibus rependa-
mus, sicut præcessores nostri, ac nos ipsi, reges
Francorum, reges Anglorum, reges Hispanorum,
reges Germanorum, ipsos imperatores Romanorum,
ac vicinos vobis reges Ungarorum confratres et
comparticipes omnium beneficiorum Cluniacensis
congregationis fecimus, ita sublimitatem vestram,
ex parte omnipotentis Dei, et beatissimæ Mariæ
semper virginis Dei genitricis, et sanctorum apo-

stolorum, et omnium sanctorum in eisdem spiritua-
libus beneficiis, plene et perfecte, in quantum licet,
suscipimus, ut omnipotens Salvator, et hic tempo-
rale regnum vobis adaugeat et conservet, et in fu-
turo cum sanctis regibus vos ad sempiternum per-
ducat. Amen.

EPISTOLA XL.

*Venerabili, et magno pontifici Dei Constantinopoli-
tano patriarchæ, frater PETRUS humilis Cluniacën-
sium abbas, æterni pontificii stola indui, et gloria
et honore coronari.*

Quamvis et terrarum remotio et linguarum divi-
sio, nobis invicem et vultus invideant et verba sub-
ducant, tamen unus Dominus, una fides, unum bap-
tisma, una charitas et divisa conjungere, et affe-
ctus unire, et sermones debent aliquando commu-
nicare. Debemus eo glutine uniri in terris, quo nun-
quam dissociandi coherere expectamus in cælis,
ut illud in miseriis sit nobis refrigerium, quod in
beatitudine perfectum erit præmium. Utinam posset
in me corpus quod concupiscit spiritus, ut urbem,
a cæli rege Jesu Christo et a principe terræ Con-
stantino in Christo fundatam videre, et in ea non
ædificia vel ornatus, sed fidem Deo subditorum prin-
cipum et prophetarum, apostolorum, evangelista-
rum, ac multorum martyrum, de diversis mundi
partibus illuc translatorum, velut, commune cœme-
terium videre et adorare possem! Funderem qua-
lescunque preces ad sanctos illos fidei, et spei no-
stræ Patres magnaque mihi spes consequendæ gi-
gneretur salutis, si quos ejus habui prædicatores,
habere mererer et pro ea intercessores. Viderem et
optabilem faciem vestram, et in vobis beatos urbis
vestræ pontifices venerarem, et ex eorum beatitu-
dine, multiplicem miseriam meam, ut par esset, de-
flerem. Inirem foedus nunquam dissolvendum, et in
mutuum ac spiritualem amorem, nisi forte sperne-
retis, jurarem. Orarem præsens quod et absens ro-
go, ut me et Cluniac. fratrum ovile in vestris popu-
lique vestri precibus spirituali charitatis dono sus-
ciperetur, quod et a nobis, quod ad nos vel nostros
pertinet, pari affectu consequeremini. Rogarem post
illa quod et nunc rogo, ut Cluniac. Ecclesiæ et mo-
nasterio de Charitate locum, qui Civitot dicitur,
juxta Constantinopolim positum restitui juberetis,
ac dominum imperatorem, si necesse esset, pro eo
restituendo rogaretis. Dedit illum Cluniaco, et mo-
nasterio de Charitate, etiam apud nostros magni
nominis, et gloriæ imperator Alexius pater ejus:
cui sicut in regno, sic multo magis in justitia et pie-
tate, illum decet succedere. Commendamus ergo
excellentiæ pontificali monachorum et fratrum no-
strorum humilitatem, ut per eos nobis nostra resti-
tui faciatis, quatenus et justitia quod suum est con-
sequi, et a Patre filii mereantur exaudiri.

EPISTOLA XLI.

Charissimo et vere jam venerabili fratri, denario

ROBERTO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Ago gratias Deo, adgaudeo, charissime, tibi, quod divini seminis, cuius olim in te flores in devotione, frondes in devoto sermone conspexeram, nunc in caelesti, quod assumpsisti, proposito felices, ut fama se habet, sanctorum operum fructus conspicio. Non possum dicere quam laetus audiam qualiter mundani gloriam fastus, quam quidem non in te, sed te in ea sublimeret videre solebam, mentis tuae pedibus contemnendo subjeceris, qualiter luxus undique blandientes, et circumfluentium Babylonicarum flumina voluptatum, deliciis paradisi Dei et torrente voluptatis ejus commutaveris, quomodo quondam loquacis curiae lingua, et regalis aulae pene solus interpres, nunc velut homo non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum, negotiosum otium et religiosum silentium elegeris. Monet me (et utinam ad imitandum!) quod felici commercio regem regna, regnum regno, vitam vita, gloriam gloria: sed fallacem veraci, mortalem vitali, fugacem aeterna commutaveris: et misera spe, quam in mundo habebas, deposita, beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, nunquam ab eo fallendus expectes. Congratulor te duri exactoris jugo abjecto, jugo Christi suavi, et oneri levi colla submisisse, ac de lutosi Aegyptiorum operibus, ad Israelitarum munda sacrificia transmigrasse. Sed ut aliquid admonitionis subinferam, oportet te in hoc divino opere, quod cepisti, sollicitum ambulare cum Deo tuo, ne a fervore incipiens, in teporem convertaris, ne lampas tua in mediis tenebris extinguatur, ne dies in noctem mutetur, quia *Multi vocati, pauci electi* (Matth. XXI, XXII); quia, *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (I Cor. IX): quia, denarius diurnus non mane, vel sexta, sed sero redditur (Matth. XX): quoniam, ut saepe audisti, nota illa et superconcupiscibilis aeternitatis merces inchoantibus promittitur, sed perseverantibus datur. Sic igitur ambula ut pervenias, sic curre ut comprehendas, sic pugna ut vincas. Aderit, si perstiteris, agoni tuo supernus inspector, qui conterens Satanam sub pedibus tuis velociter, faciat te feliciter pugnare, feliciter vincere, felicissime coronari. Jam, quod Cluniacum te venire, et locum illum, cui tot per te bona collata sunt, invisere velle audivi, cordis mei coeptum gaudium sic cumulavit, ut si posset charitas quod volebat, multo terrae, marisque spatio emenso, te ab Anglia in Burgundiam, a Radingia Cluniacum, eo, quo id mihi relatum est, momento temporis transtulisset. Hoc quia fieri non potuit, oro ne spiritus bonus semel in corde tuo conceptus, quibuslibet occasionibus extinguatur, ne a tam utili tibi nobisque proposito

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(109) *Gaufredus Catalaunensis episcopus.* Hujus nominis primus, cui rescribit et ipse sequenti epistola. Est autem *Catalaunum*, Belgicae secundae civitas ad Matronam, de qua sic Fulbertus episcopus Carnot: « Ne civitati, vel Ecclesiae Catalaun-

A animus avertatur, donec quod proxime et opto et spero fieri, tam bonum effectum congruus affectus sequatur. Utinam dies illa mihi luceat, qua te in illa Ecclesia, sicut olim veteri homine indutum, sic tunc novo possim videre ornatum. Collaetabitur tibi, quam ex parte tunc vidisti, cohors illa sanctorum, et quondam tantum animo, tunc et habitu ipso factum consimilem, congaudebit. Amplectar, et ego novo gaudio novum militem Dei, et de boni regis, sed mortalis, imo jam mortui aula, ad optimi et immortalis translatum palatia, congaudebo. De sorore, quam ancillis Dei Marciniacensibus te velle sociare, per dilectum filium nostrum Thomam mandasti, laudo laude dignum voluntatem, consulo non differri paratam salutem. Parabo sicut Cluniacum fratri, sic Marciniacum sorori, ut geminata laetitia, non solum de tuo profectu gaudere, sed et de ejus salute valeas exsultare.

EPISTOLA XLII.

Reverendo Patri, et domino suo PETRO Sanctae Cluniacensis Ecclesiae venerabili abbati, GAUFREDUS Dei gratia Cathalaunensis Ecclesiae minister humilis (109), *dilectionem filii, voluntariam in omnibus obedientiam subjecti, et devotas sine intermissione orationes.*

Ex eo quod filium, imo Aethiopem meum, tanto dulcedinis affectu suscepistis, ut in ipsis gratiae vestrae initiis, ad prioratum promoveretis, penes me conjecturam facio. Si enim tanto honore, tanto affectu suscipitur servus, quanto gloriosius, si occasio se offerret, susciperetur dominus ejus? Sed sentio, sentio sanctitatis vestrae utilem industriam. Quasi in exitu domus meae posuistis eum, ut in omnibus necessitatibus suis, familiare inveniret reclinatorium. Sic soletis beare amicos vestros. Ne otiosi simus, semper alligatis quod portemus. Et Deus scit, paratum est nostrum velle, secundum nosse et posse. Sed hactenus rescribat humilitati meae sanctitas vestra si tertia hebdomada post Pascha inveniam vos Cluniaci, quia Dominica, *Ego sum pastor bonus*, ero Stampis, et inde ad vos desiderio proficisci, nisi grandis infirmitas, vel dominus rex me retinuerit. Benedicat nos Deus, Deus noster. Rescribite quod placuerit; sed magna negotia vestra, si qua sunt, non intermittatis.

EPISTOLA XLIII.

Singulari et intimo mihi domino et amico gratia Dei Cathalaunensis Ecclesiae praeclearo pontifici, domino GAUFRIDO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Verum est, verum est quod ait Veritas: *Non colligunt de spinis uvae, aut de tribulis ficus* (Matth. VIII) Sed et e converso verum est, verum est, non colligunt de vite spinas, aut de ficulneis tribulos. Exper-

rum suum deneget honorem, meminisse vos decet quod in antiquis inscriptionibus Belgicae secundae ipsa civitas a Rhemensi tertium locum habuit, Gallice, *Châlons-sur-Marne*.

tus sum in litteris vestris quod dico : nec de oliva nisi oleum, nec de favo nisi mel, nec de pleno ubere aliud potui haurire quam lac. Dubitandum erat de verbis, nisi ea opera prævenissent. Mercatus est amicus animus non nudo affectu amicos, quibus minus in ore, plus in corde; minus in verbis, plus in rebus indulgere consuevit. Teneo (non excidit) clericum, meo tantum nomine se commendantem, per tot annos a vestra beatitudine domi retentum, tam unice dilectum, tam sollicitè procuratum, tam studiose edoctum. Teneo (non excidit) rursus alium priori recedenti successisse, sicque lar familiare semper a domesticis occupari. Teneo (non excidit) quid de Viridunensi cella quid de illa quam nominare volo, sed non valeo, deliberastis, quid dixistis, quid, quantum ad vos, fecistis. Vos Cluniacensis, imo divini ordinis per totam Franciam primum disseminatorem, auctorem, provectorem : vos inquam inveterati draconis de tot monasteriorum cubilibus expulsorem, vos diuturni somni, et longi monastici torporis excitatorem, hæc et mille talia dum recolo, dum rumino, dum teneo totus et integer in sacrum vestrum amorem flammescio. Inde est quod de duobus vos alterum elegi : quos in non fictæ charitatis vertice, totius Belgicæ Galliæ vestræ amicis præponendos non tantum credidi, sed et publice prædicavi. Quid et illud, quod cum tantæ urbi non solum episcopum, sed et principem necessario vos esse oporteat, nihil de monacho pontifex vindicet, nihil de religione princeps usurpet, nihil de prisco ordine rursus furetur? Cum hæc ita sint, quæ mihi gratia, si filium vestrum, quem et Æthiopem vocatis, ut par erat, suscepit, et apud me aliquandiu pro vobis retinui, et ad vos eo quo scribitis modo remisi? Sed remisi vere filium, non remisi Æthiopem, quia non est ille Æthiops (qui non mutat pellem suam), quam et si fortassis aliquando nigram habuit, a nobis tamen, ut credo, candidam reportavit. Quæ et si adhuc magis candificanda est, date operam ut cerdo vel fullo peritus, quia non tantum pontificali infula caput ornare, sed et virga abbatibus indomitum dorsa domare consuevistis. Hic si æque se habuerit, vobis meritum; si secus, a vobis exigam tormentum. Jam quod de adventu vestro significastis, felix illa dies, nullisque æquanda diebus, quæ vos vestramque Cluniacum simul videre meruerit. Sed absit ut sine me videat, et vestram mihi visionem invidet! Adero, et postpositis omnibus, nisi forte inevitabilibus, amico festivo, quod rarum nomen est, solemnis amicus occurrar. Et hoc quidem omni tempore, sed si illo, quod mandastis, adventus vester maturatus fuerit, præsentia mea, ut confido, per Dei gratiam non deerit. In ultimo quoniam, juxta sermonem vestrum, nolo vos otiosum torpere, fratrem domni Garnerii subprioris nostri, charissimi mei, ita vobis commendo, ut cum labore vestro prebus, sapiens, litteratus factus fuerit, nobis eum, sicut de altero fecistis, reassignetis, ut semper quod vos spargitis, nos colligamus; quod vos scri-

atis, nos metamus; quod vos molitis, nos comedamus.

EPISTOLA XLIV

Honorandis atque in Christi charitate venerabiliter suscipiendis fratribus, apud Montem Thabor Deo servientibus, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem æternam.

Frater quidam vestræ, ut dicebat, congregationis, ruper ad partes Gallicas et Hispanas, habitu peregrini, orationis, ut asserebat, causa veniens, per nos transitum fecit, et de statu vestro, qui consueque nobis ignotus fuerat, de ordine, de studio religiosæ conversationis vestræ, nos, ut dignum erat, non minimum lætificavit. Adauxit multo magis, imo prorsus univit sanctitati vestræ affectus cordium nostrorum : quod retulit non solum communi fide, non solum monastica professione, sed insuper Cluniacensis ordinis sollicita observatione vos corpori nostro moderno tempore esse unitos. Gavisi ergo sumus in Domino, quod terræ illi sanctæ, a qua salutem fidei et fidei salutis accepimus, aliquid bonorum studiorum, licet non per nos, per nostros tamen refudimus. Gaudere vero debetis et vos, si de semine quod sevestis fruges aliquas, si de virgulto a vobis plantato fructus, quamvis modicos, recipere potuistis. *Debet enim, ut ait magnus Apostolus, in spe qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi (I Cor. ix).* Fuit et hæc gratia superni largitoris nostræ vestræque Gallicæ, nostris-vestrisque diebus collata, ut præ cæteris mundi partibus, ante omnes mundi populos et nationes eligeretur per quam sacra humanæ redemptionis loca a jugo impiorum eruerentur, libertati restituerentur, et quæ prius quingentis fere annis, perfidis obstantibus, invia facta fuerant, jam pervia facta, orbis universi populis fidelibus aperirentur. Vos igitur, incolæ regionis sanctæ, sancti montis illius inhabitatores, cujus inhabitationem, transfigurato in eo Domino, princeps apostolorum Petrus, licet nesciens quid diceret, concupivit, cum ait : *Domine, bonum est nos hic esse (Matth. xvii; Marc. ix)*, cujus sanctitatem jam mente sanissimus extollens dicit : *Hanc vocem nos audivimus cum illo in monte sancto (II Petr. i)*; vos, inquam, charissimi, in monte sancto, sancti esse laborate, quoniam et hoc Sanctus sanctorum admonet, et frequenter iterando replicat et inculcat dicens : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (Levit. xix, xx)*. Ideo, licet Christianis omnibus generaliter, monachis omnibus specialiter dicatur, vobis tamen quodammodo specialius dicitur, quos non tantum Christiana professio, non tantum monastica devotio, sed et ipsius, ut dixi, sancti loci inhabitatio ad omne opus bonum promptiores exhibere, devotiores reddere, et in his constanter perdurantes beatiore facere debet. Ideo castitati, ideo humilitati, ideo charitati, omnem vos operam impendere convenit, ut nequaquam salutem vestræ opera vestra obvient, et Salvatorem vestrum salvare vos volentem impediatur, quoniam, ut ipsi optime nostis, non sancta loca, sed sancta opera salvant. Et quia

aut omnes, aut multi vestrorum, de cismarinis partibus ad transmarinas migraverunt, considerent animos, videant intentionem, quam hinc illuc trans-euntes habuerunt. Attendant et quam nunc habeant, quia juxta pagani, sed sapientis verbum,

Cælum, non animum mutant qui trans mare currunt.

(HORAT. *Epist.*, lib. I, ep. 11, vers. 27.)

Istud ad hoc infero, ut si mutandos agnoscitis pristinos affectus, in melius commutetis, quia, juxta Dominum: *Si oculus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit; si autem nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit* (Luc. XI). Purificate ergo tam recta intentione quam sacris virtutibus oculum cordis, quo Christum in monte suo non jam corporali, ut olim, sed spirituali gloria transformatum, ipsi spirituali immutatione transformati, nunc quidem per spem et amorem, in futuro autem facie ad faciem contemplari mereamini. Nos, ait Apostolus, *transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu* (II Cor. III); a gloria scilicet fidei ad gloriam speciei, a gloria virtutum ad gloriam gaudiorum, a gloria meritorum ad gloriam retributionum, tanquam a Domini Spiritu, quia spiritualia spiritualibus comparans, docet per Spiritum Dei et hic dari multiplicitates gratiarum, et ibi conferri immensitatem gloriarum. Præclaro igitur mente, et ipso nomine luminoso (sonat enim in nostram linguam versum Thabor *lumen adveniens*) huic certe tam splendido monti opera tenebrarum nullo pacto concordant, quia nulla societas lucis ad tenebras (II Cor. VI). Omnes enim filii lucis estis, et filii diei, non estis noctis, neque tenebrarum (I Thess. V). Non debet excidere a corde vestro sacri loci vestri tam cælestis et celebris illustratio, quem omnipotens Pater voce, Filius glorificato corpore, Spiritus sanctus lucida nube dedicare voluit. Tota plane divinitatis plenitudo locum illum consecrans, præter universalem salutem, quam omnibus inde providit, vestros quoque dies et tempora ista novissima prævidit. Admonuit tantis miraculis, tam sacris revelationibus tanti loci inhabitatores erga sacra vigilantissimos semper esse debere, nec ad præcepta cælestis magistri, quibus ab olim subditus est orbis terrarum, surdas aures afferre, de quo in hoc monte vestro omni humano generi imperatum est: *Ipsam audite* (Matth. XVII). Cumque in omnem terram sonus iste exierit, et ipsos remotissimos mundi fines atque extimos angulos penetraverit, ubi primo sonuit clarius resonare, ubi primo auditus est, debet velocius et diutius exaudiri. Sed novi quia hoc facitis, et, juvante gratia Salvatoris omnium, multo magis facietis. Ea de causa mox ut de vobis audivi vos mihi rapiens in cor meum charitate plenissima introduxi, rogans ut quod vobis prior et a nullo invitatus impendo, hoc vos mihi et fratribus, eidem nostro vestroque Domino famulantibus, rependatis. Oretis videlicet pro nobis, orantibus pro vobis, ut fides et charitas, quæ nos hic vobis etiam non visis et remotissimis jungunt, gratia Christi Domini et dono Spiritus ejus,

A in æternum convicturos et collæturos conjungat. A modo enim licet sero cognitis, et affectum quem plene possumus omnibus vobis, et effectum quem poterimus omnibus vestris, ut fratribus jam charissimis impendemus. Gratia Spiritus sancti cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA XLV.

Cum honore nominando, cum amore recolendo, Dei sacerdoti, domino ATONI Trecentium episcopo, frater PETRUS, humilis fratrum Cluniacensium abbas, salutem et vitam beatam.

Scripsistis, nil rescripsi. Misistis, nil remisit. Locutus estis, nil respondi. Quare hoc? Ut verbis apostolicis viro apostolico loquens utar: *Quia non diligo vos? Deus scit* (II Cor. XI). Sed mihi quid prodest, si Deus hoc scit, et amicus hoc nescit? Et, o quid dixi! amicus hoc nescit? Quo enim pacto manet amicus, qui diligi se nescit? Aut quomodo stabit illa antiqua amicitiae diffinitio, qua dictum est quod amicitia nihil sit aliud, quam divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et charitate consensio? Quæ consensio, vel, sicut ait quidam doctorum, charitas? Ad minus quam inter duos haberi non potest. Sed neque, juxta Tullium, neque, juxta Gregorium, convenire in una benevolentia vel charitate, duo vel plures poterunt, dum alternos animorum suorum affectus nesciunt, dum ad invicem sensa sua sibi non communicant, dum utrum sese diligant aut odiant, ignorant. Quorsum istud? Quia audivi, inquam, et quod majus est, in vestris litteris vidi; nam certius est vidisse quam audisse, suggestum esse beatitudini vestræ, a nescio quo, ut sic dicam, ex monacho, fervorem erga vos non novitiæ, sed vetustæ amicitiae meæ, vel ex toto friguisse, vel admodum intepuisse. Quod si auditum tantum, non creditum, ago gratias; si auditum et creditum, suscito querelas. Sed quia neutrum mihi certum est, nec gratias ago, nec querelas suscito. Hoc dico primum, non esse me adeo in amicitia inconstantem, non adeo levem, non adeo instabilem, ut quod in hac vita, quam tenemus, et in illa quam speramus, dulcius, honestius, utilius esse cognosco, abjiciam, ut tantam vitæ suavitatem, sola mihi reservata amaritudine, relinquam. Quæ enim, ut Ennius ait, potest esse vita vitalis, quæ non in amici mutua benevolentia consistit? Quid dulcius, quam habere cum quo omnia audeas sic loqui, ut tecum? Non igitur abjecta est, non refriguit; non intepuit mutua inter nos (quantum ad me) amicitia. Sed ut salva mutua charitate liceat conqueri, etsi non intepuit, tamen intepuisse apud vos eadem amicitia visa est, quando etsi falsidici illius verbis creditum non est, quia tamen tanti habuistis illa verba, ut inde mihi scriberetis dubitatum est. Sed de his satis. Quod vero semel, et iterum, et tertio scribenti nihil rescripsi, hæc fuit causa. Primo noxia valetudo corporis, secundo festinantia cursoris, tertio importunitas negotiosi temporis, quod me totum sibi tunc vacare cogebat, silere violento imperio coegerunt. Neque

enim non summa necessitate urgente, posset esse ei tantibus, et pericula nulla pro suo populo recusantibus, victoriam assidue subministrabit, gloriam gloria adaugebit; et post regnum transiens, æternum vobis cum sanctis regibus providebit. Latorem præsentium venerabilem virum, dominum Drogonem Nivernensis Ecclesiæ præcentorem, liberalitati vestræ commendamus, ut si forte necesse fuerit, ita vos munificum sentiat, quo et Deo et vobis gratias agat.

enim non summa necessitate urgente, posset esse ei tantibus, et pericula nulla pro suo populo recusantibus, victoriam assidue subministrabit, gloriam gloria adaugebit; et post regnum transiens, æternum vobis cum sanctis regibus providebit. Latorem præsentium venerabilem virum, dominum Drogonem Nivernensis Ecclesiæ præcentorem, liberalitati vestræ commendamus, ut si forte necesse fuerit, ita vos munificum sentiat, quo et Deo et vobis gratias agat.

EPISTOLA XLVI

Glorioso et magnifico sanctæ civitatis Jerusalem regi, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salvari ab eo qui dat salutem regibus.

Omnipotenti Regi regum, qui regali solio regni civitatis suæ Jerusalem celsitudinem vestram sublimavit, et glorioso diademate coronavit, gratias agimus, qui vos populo suo principem, Ecclesiæ suæ defensorem, hostibus suis hostem, in tanta, tam sacra, tam nobili, tam famosa urbe constituit, et, quod his omnibus majus est, præcelso ille suo nomine insignivit. Cum enim ipse a Patribus, a prophetis, ab angelis, ab ipsis Judæis, a gentilibus, dictus rex Israel, rex Jerusalem fuerit, vos ejusdem Jerusalem, vos ipsius veri Israel post se, et pro se regem esse voluit: ut secundam personam vestram, et regnum vobis ab ipso commissum, virga æquitatis sit virga regni vestri, ut diligatis justitiam et odiatis iniquitatem; inimicos autem crucis Christi et nominis Christiani, Turcos dico et Sarracenos, Persas et Arabes, seu quoslibet barbaros humanæ, imo suæ saluti adversantes, regatis in virga ferrea, et eos potenti dextra tanquam vas figuli confringatis. Ad quod viriliter exsequendum, quia armis non possumus, animis prosequimur, quia gladio non valemus, precibus, ut possumus, bellicos sudores vestros juvare satagimus. Date ergo illi qui vos glorificavit gloriam, ut sicut Christus in sacerdotibus suis quotidie de diabolo ejusque angelis triumphat, sic in regibus Christianis frequentia de gentibus trophæa reportet. Sic enim vobis decer-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(110) *Cluniacenses vestri episcopum suum.* Bene vestri. Nam Hato Trecensis episcopus, cui scribitur hæc epistola, monachus Cluniacensis fuit, ut ex his etiam Necrologii Arremanensis, cœnobii verbis ap-

paret, iv Kal. Septembris obiit Hato Trecensis episcopus et monachus Cluniacensis, qui dedit ecclesias de Clareyo, de Follis, et de Anglœura, et alia beneficia huic contulit monasterio.

EPISTOLA XLVII.

Venerabili et charissimo nobis domino patriarchæ Jerosolymitano, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas salutem et orationes.

Quia Jesu Christi Domini gratia illius vos Ecclesiæ sacerdotem constituit, a qua veteris legis et novæ gratiæ sacerdotium cœpit, et Salvator ipse singulari sacrificio Deo mundum reconcilians, sacerdos simul et hostia esse voluit, sicut Ecclesiam, ita et ejus præsulem speciali affectu excolere, speciali reverentia honorare, speciali devotione, si facultas daretur, ei obsequi opto, ambio, desidero. Nec solus ego, sed quancunque ubique terrarum diffusa est, humilis Cluniacensis congregatio, hoc idem, ut dignum est, optat, ambit et desiderat. Quia enim æternus Sol, longe clarius matutino sole, a vestro Oriente nostri Occidentis tenebras illustravit, et a Jerusalem in omnes gentes regni æterni Evangelium prædicari voluit, tanti beneficii debito obligamur, ut non solum sublimitati vestræ, tantæ sanctitatis locis præsidenti, verum etiam cuilibet minime obsequenti, ubi possumus, serviamus; eos autem quibus impendere hoc non possumus, singulari, ut justum est, affectu excolamus. Nam quia non datur, ordine monastico prohibente, ut illa, illa inquam supercœlestia redemptionis nostræ loca invisere, osculari, lacrymis infundere corporaliter valeamus, nec adorare in loco ubi steterunt pedes Domini, possumus: quod unum restat, effundimus coram illo corda nostra, vos ejus vicarium exorantes, ut pro nobis omnibus ipsi assistatis, et vices nostras, quod communis jubet charitas, suppleatis. Cumque devotione vel officio protrahente vel provocante, salutifera nativitatis, sepulturæ, resurrectionis, ascensionis loca visitatis, spirituali affectu nos vobiscum ubique ducite, et pro vestris Cluniacensibus Salvatori piissimo supplicate. Hoc ego hoc singuli, hoc omnes pariter supplicamus, et ut inconulsam nostri memoriæ perpetuo habeatis, corpore absentes, litteris præsentem rogamus. Addimus hoc precibus nostris, et quo possumus nisu deprecamur, quatenus vestram Cluniacensem Ecclesiam reliquiis sepulcri Dominici, et beatæ Mariæ, aliisque, quibus vobis visum fuerit, visitetis, ditetis, hono-

retis. Liberet diutius saltem hoc modo vobiscum loqui; sed quia præsentium lator ad iter festinabat, oportuit longa intercidi. Quem charitati vestræ ab ipso rogati, attentius commendamus. Est enim multa dignus commendatione, et, ut credimus, aut vobis aut multis vestrorum bene cognitus, dominus scilicet Drogo, Nivernensis Ecclesiæ præcentor, qui jam tertio Hierosolymitanum iter aggressus, multis laboribus, spe felici, multam sibi, ut credimus, requiem comparavit.

EPISTOLA XLVIII.

Venerabili et in intimis animæ recessibus recondendo, domino ALBERICO Hostiensi episcopo (441), et apostolicæ sedis legato, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et vitam immortalem.

Peregrinationi vestræ tam longinquæ, tam morosæ anxio corde compatimur et eo, qui solus abdita cordium novit, teste, affectu et desiderio pene vobiscum peregrinamur. Licet enim obedientia et legatio apostolica, ad illas Orientales partes vos transmiserit, et utilitas populi Christiani vos velut exsulem a solo proprio, et a fratribus vestris fecerit, dolemus tamen quod eum, quem solum ordinis et cordis nostri solatium, post illum magnæ et piæ memoriæ Matthæum episcopum in Romano palatio habebamus, quasi amisimus, dum, tantis regionibus interpositis tantoque mari comminante, reditum vestrum vix sperare audeamus. Et cum esse satis potuerit, quod vos Occidens in sinibus suis, Romæ dico retinens, valde a nobis remotum fecerat, nunc tandem vos Oriens velut violenter rapiens, remotissimum facit: et non solum nuntium, sed nec tenuem de tam intimo fratre et amico famam ad nos saltem per aera volare permisit. Litteras tamen, quas in discessu vestro nobis ab urbe direxistis, suscepi, legi, relegi, et in capitulo omnibus convocatis fratribus, ipse recitavi. Et licet nihil certi exinde de statu vestro audierim, et tunc quando a vobis illæ litteræ susceptæ sunt, et postmodum frequenter dulcem et commendabilem vestri memoriam eidem commendavi. Quod ipsi semper benigne accipiunt, verbisque et precibus, quibus possunt, iter vestrum devotissime comitantur, et ut dilectum ut patrem, ut dominum Christus Dominus sibi restituat, continue deprecantur. Et ut sicut surgente Domino de sepulcro gavisus sunt discipuli eo viso, ita vobis redeunte ab eodem sepulcro, gaudeant, fratres vestri et filii instanter exorant.

EPISTOLA XLIX.

Singulari Patri et amico suo domino PETRO Dei gratia Cluniacensi abbati, ATO Trecentis episcopus, idem quod sibi.

Ut verbis utar philosophi, principatum amoris locorum spatia dividere nequeunt, temporum incom-

moda separare non possunt. Affectus dominationis tenens et regens imperium, semper diligit, etsi quem diligit videre non possit. Vera enim amicitia oblivionem nescit, interruptionem non patitur. Non accipit ex impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium. Licet immineant agmina negotiorum, licet tumultuosis obstrepentium vocibus opprimatur, cum illo tamen mente versatur quem diligit, de illo cogitans, gaudens in illo. His amicitiae legibus agitur, ut in vobis gaudeam, assidue cogitem de vobis, vestræ non immemor sanctitatis, in qua multoties susceptus, et consilium et auxilium me gaudeo invenisse. Beatus ego, qui eandem amoris vicem in vobis esse confido: beatior autem, si pro certo sit. Sed est quod amplius dissimulare nequeo, amicitia compellente ut proferam. O Deus! ubi frequentes epistolæ, ubi crebra consolatio, ubi illa solita eloquentia, qua amicum senem relevare soleratis? Sed forsitan calami non inveniuntur, incaustum abest, desunt nuntii, via montuosa est, pericula comitantur. Sed satis dictum est sapienti. Dominus Theobaudus Senonensis archidiaconus hoc unum suspirat, venire ad vos. Negotia nostra, quæ magister Nicolaus amicus vester Romam portavit, melius quam speramus tractata sunt. Beneplacitum vestræ dignationis rescribite, ut sciam quid archidiacono debeam respondere.

EPISTOLA L.

Dilecto et cum amore mihi semper recolendo, domno ATONI Trecentium episcopo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem quam sibi.

Morem follis habes, charissime, qui spiritu, quo plenus est, emortuam fere scintillam ignescere, et in immensas quandoque flammæ erumpere cogit. Sic spiritus tuus, non ut ille aerius, sed ut credo, divinus, non quidem erga te emortuum ignem pectoris mei, sed diu silentio tectum vaporem sermonis mei, sæpe scribendo, sicut follis assidue flando, suscitare nititur, et ad verba solita revocare molitur. Sed nolo, nolo, inquam, hoc æstimet amicus animus; vel tarditatem verborum, defectum judicet animorum. Neque enim, etsi verba interpollantur, igneus ille vigor et cœlestis origo seminis jam ab antiquo concepti, aut exstinguitur, aut consopitur. Nam, juxta Scripturam nostram, *aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (Cant. viii). Sed sicut pene ubique cernitur, infra clihani concava vel fornices deprimentes exstans latet incendium; nec tamen foris lapideis repulsum obicibus ardoris alicujus ostentat indicium. Ita vis charitatis meæ, qua te semper in imo pectoris reconditum teneo, curarum obstaculis, sicut et ipse aliquando vidisti, assidue repressa, inesse quidem, ut est, semper amando potest; sed qualis intus lateat, vix

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(441) Alberico Hostiensi episcopo. Cui et Hugo Rothomagensis episcopus librum adversus hæreticos Armorici dedicavit, uti jam nos alibi notavimus, et de quo sic Chronicon Cluniacense, « Albericus Clu-

niacensis suo, id est Petri abbatis, tempore monachus; deinde Ostiensis factus est legatus apostolicus in partibus Hierosolymitanis. »

aliquando per verba se proderè potest. Est et aliud, quod per aliquanta tempora mihi silentium suavit, et non quidem, ut dixi, ab amore, sed a sermone spiritum tepescit, quia spem illam, quam de salute tua in ore loquor, ab ore tuo, quando et ubi sicut nosti, acceperam, differri plusquam olim crediderim video, et idcirco eam non quidem evanuisse, sed elanguisse pertimesco. Aut ergo dabis operam, ut spem, quam de te præsumpseram, resumam, aut quod unum possum, semel concepti silentii vincla non solvam. Malo enim me cum fructu intra memet-ipsam concludere, quam otiose me extra memet-ipsam diffundere. Nam quantum sit negotium, silentii otium, expertus agnoscit, maxime cum arbor operum ex radice prodeat et vigeat meditationum. Cur igitur tibi essem infructuose loquax, cum magis judicari possem, continuis instans surdo clamoribus procax? Ut enim audacter unanimi amico loquar, quis non desperet erga ea quæ sæpe monui profectum tuum, cum circa eadem quotidianum videam defectum tuum? Quis jam annosam quercum, altis jam radicibus innitentem, se evellere posse præsumat, cum molle vimen et recenti adhuc natiuitate tenerum, a domestica humo nulla vis studiosior agricolæ abrumpere potuerit? Sed ut jam non parcam et litteris fides nota tandem nobis duobus secreta committam, ubi est devotio illa, ubi est affectus ille cælo appropians, imo ipsum cælum, ut jam videbatur, exsuperans, quo te mihi, mihi inquam, imo ipsi, quod magis dicendum est, Deo, non dico in fratrem, sed, ut verbis tuis te familiariter arguam, in filium ac monachum devovisti? Ubi fides data, ubi tempus constitutum, ubi denominata dies, quando te mundum deserere, regnum Dei rapere, abjicere sæcularem fastum, humilem et pauperem Jesum sequi, sublimis adhuc et dives episcopus devovisti? An oculus ille pervigil, et simul omnia integre cernens, quando hæc facta sunt tunc clausus erat? Auris illa cuncta simul et integre audiens, quando hæc vicissim conferebantur absurdue- rat, ut non pro duobus Evangelii vel sæculi testibus, in quibus omne verbum stare dicitur (*Matth. xviii*), audiantur? An forte irruentibus agminibus episcopaliū negotiorum, ista ab animo explosa sunt, et occupantibus aliis cogitatibus locum, ea quasi re- pulsa cesserunt?

Sed ecce redeat, redeat certe ad mentem, fugax, si tamen jam fugata fuerat, memoria; recordetur festivæ Palmarum diei, publici quoque sermonis ad populum, quo a te dies illa solemniter illustrata est, non obliviscatur; memor sit capellæ illius Cluniacensis (112), quæ longe venustior hujus nostræ Burgundiæ ecclesiis, picturis decentibus decorata, et gestorum Christi clarioribus miraculis insignita, locum nobis secreti colloqui aptissimum præbuit.

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(112) Memor sit capellæ illius Cluniacensis. Hoc est beatæ Mariæ Virginis, quæ et vulgo *Capella abbatis* nuncupatur, et a domno Widone Viennensi

A Nec mente excidat quod episcopo locum abbas, ut dignum erat, in sede propria tribuit, reluctantem sedere coegit: ipse ei in matta monachica, quæ sēdi illi contigua erat, assedit. Collatio non de imis, sed de supernis habita est: aliquandiu, quia res sic exigebat, protracta est. Eousque ad ultimum deducta est, ut redeundi ad nos a vobis indiceretur dies, a nobis susciperetur, susceptus exspectaretur, exspectatus differretur; et licet te rogante, me concedente, de tempore in tempus dilatus, adhuc tamen a me exspectatur, monetur, invitatur. Sed, o quid faciam? Sacerdotem ab altari, pontificem a populo, pastorem ab ovibus, sejungere quæro? Frontem illam auri lamina radiantem, ineffabile nomen Dei gestantem, caput cidari decoratum, rationali pectus, superhumerali humeros adornatos, veste sacra et gemmata corpus præfulgens, ipsos in totius corporis fabrica ultimos pedes sandaliis indutos: ista, inquam, omnia, et adhuc plura supernum sonantia, et hominem illum his indutum non jam terrenum, sed totum cœlestem signantia cœlis detrahere, luto adjungere laboro, dum tantam sublimitatem, tantum fastigium humilitati monasticæ sociari ambio, et hominibus, qui omnium peripsema facti sunt, parem fieri concupisco? Novi, novi sacerdotalis ordinis dignitatem, agnosco sublimitatem; sed altio- rem et securiorem his judico humilitatem. Audio Christum dicentem: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei* (*Matth. xxiii*). Sed recolo eundem adjungentem: *Omnia quæcunque dixerint vobis servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere* (*ibid.*). Reminiscor et ipsum, in Scribas et legis peritos invehendo dixisse: *Væ vobis, qui tulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis, et eos qui introire volebant prohibuistis* (*ibid.*). Item eisdem: *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei* (*Matth. xxi*). Item ad ipsos: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est. Qui autem juraverit in auro templi, debet* (*Matth. xxiii*). Item: *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Propter hoc, amplius accipietis judicium* (*ibid.*). Rursus eundem per antiquum prophetam: *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos* (*Ezech. xxxiv*). Et post pauca: *Ecce ego ipse super pastores, et requiram gregem meum de manu eorum. Et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores seipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum et non erit eis ultra in escam* (*ibid.*).

Quorsum ista? ut attendens, charissime, pontificalis ordinis fastigium, attendas et periculum; agnoscens honorem, agnoscas et laborem; diligens forte gradum altio- rem, formides, sicut ab antiquis dictum est, casum graviorem. Si alliciunt aliqua oblectan-

archiepiscopo dedicata fuit anno 1118 ut ex ipsius dedicationis actis pag. 564 hujus Bibliothecæ positis liquet.

tia, deterreant ab eorum amore longe plura, non solum ubi post mortem sperantur, sed hic etiam, ubi de proximo sentiuntur, pungentia, mordentia, amaricantia. Hæc, inquam, et illa deterreant, hæc et illa invitent, ut sancta periculosa fugias, et ad sancta securiora confugias. Quia, ut apertius loquar, sicut sanctis episcopis præparatur in altis superior locus, ita, ut sic dicam, vita et moribus ex episcopis reservatur in imis inferior infernus. Et ne forte quilibet me ad ista inconsulte monere pontificem æstimet, accipiat non solus ille, sed mundus cum eo universus, sole clariora exempla, quibus non solum regia sed et ipsa pontificalis dignitas, hoc est, non tantum sæcularis, sed et ecclesiastica sublimitas, esse docetur aliquando contemnenda. Hinc de regia vel sæculari Evangelium: *Jesus, inquit, cum cognovisset quod venturi essent ut raperent eum, et constituerent sibi regem, fugit in montem (Joan. vi).* Hinc de pontificali, vel ecclesiastica: *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel (Luc. i).* Quod utique de Joanne Baptista, filio sacerdotis Zachariæ dicens: ostendit eum in ordine vicis suæ more patrio et sacerdotium habere potuisse, et illud tamen in fastu, luxu et deliciis, vilitate, jejuniis, solitudine commutasse. Sed si opponatur Joannem Baptistam non adeptum, sed adipiscendum episcopatum fugisse, succurrunt innumera exempla magnorum præsulum, sanctorum abbatum, qui non adipiscendos, sed jam adeptos honores fugientes, docuerant posteris esse quidem in officio commisso constanter et fideliter standum, sed omni tamen officio, omni gradui, omni dignitati, interno urgente periculo, esse renuntiandum. Sed ne sanctum Justum Lugdunensem episcopum, ut de proximo exempla sumantur, cum multis sanctis coepiscopis, ne sanctum Hilarionem, Sirum abbatem, cum multis sanctis coabbatibus producere molestum sit, mitto legentem ad gesta antiqua sanctorum, ut quæ dico aut nesciens discat, aut sciens, vera me dicere recognoscat.

Non autem hoc dico, ut adeo tibi timeam, aut te salvari in instanti ministerio diffidam, sed quia his nostris pessimis temporibus mundi malitiam viribus excrevisse, hominum inertiam a virtutibus defecisse considero, quia abundantiam nequitiae quasi ex adipe prodiisse, justitiam et pietatem velut ex sanguine remansisse video: opto tibi non quod fortius, sed quod quietius; non quod gloriosius, sed securius est, quia, ut ait Pater Augustinus, melius est parvum bonum cum parvo malo, quam magnum bonum cum magno malo. Sed esto, quantum ad animam nihil periculi sit, omnia tuta, omnia secu-

ANDREÆ CHESNI NOTÆ.

(115) *Expectat te in Cluniaco tua paradus charitatis.* Paradisum appellat et Gaufridus abbas Vindocinensis epist. 4, lib. iv, ad Hugonem abbatem Clun.: « Non tribuat, inquit, eis contra locum Cluniacensem, quem secundum paradisum vocare audeo, proclamandi occasionem. » Et Petrus Cellen-

ra, maneat pastorem pro ovibus copiosa merces in caelis, quid de latratibus canum, quid de insidiis, dolis, fraudibus, circumstantium, coherentium, servientium? Nonne hæc sentiebat, hæc dolebat ille qui dicebat: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa? (Psal. cxix.)* Item cum dicebat: *Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate (Psal. liv).* Nonne hæc fugere desiderabat, maxime cum superius dixisset: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine? (Ibid.)* Nonne per sapientem ait Sapientia: *Melius est ire ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio? (Prov. xv.)* Nonne eadem rursus, *Melius est, ait, sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa? (Prov. xxi, xxv.)* Nunquid non hanc mulierem litigiosam, Ecclesiam dico tibi commissam, in quadam sui parte, quotidie, imo continue experiris? Nunquid ad lites ejus et perpetuas contentiones non obsurdisti? An te solum non quassant, quæ audita amicos tuos defatigant? Hinc annui ad urbem Romam itus ac reditus, hinc frequentes legati a Galliis ad Italiam, de Italia ad Gallias, ab ortu solis usque ad occasum, item ab occasu ad ortum, omnia lustrant, quietum inquietant, et cum his qui oderunt pacem pacificum esse volentem, gratis impugnare non cessant. Fugienda ergo sunt ista, ut mihi videtur, amice charissime, non amplectenda: beata quies labori, securitas timori, salus periculis præponenda: ab hostibus ad amicos, ab extraneis ad fratres, imo ad filios et famulos veniendum, qui te ambiunt, qui de te longam famem suam reficere concupiscunt. Expectat te in Cluniaco tua ante paradisum voluptatis, paradus charitatis (115), ubi lignum vitæ, ubi amœnitas jucunda, ubi areolæ aromatum consitæ a pigmentariis: quorum aspectu jucundaberis, odore oblectaberis, gustu satiaberis. Rependes et tu vicem filiis tuis, sacris virtutibus tuis, dum humiliando pontificalem majestatem, docebis non superbire monasticam humilitatem. Quod donec gratia Dei dante, Spiritu Dei inspirante sit, interim rogando supplicat tibi semper devota unitas multitudinis nostræ, ut te eis tandem post longa sæcula repræsentantes, passionis scilicet et Resurrectionis Dominicæ sacratissimos dies sacerdos Dei cum eis peragas, et splendore adventus tui rutilantium dierum lumen adaugeas. Reliqua, super quæ scripsit paternitas tua, præcipue de domno Theobaldo, archidiacono, in ore fidei legati posui: quem, quia et meus est professione, et tuus devotione, dilectioni tuæ mihi super omnia pene ista mortalia chare transmittere studiose curavi.

sis epist. 1, lib. ii ad Petrum nostrum venerabilem *Hortum Domini* dicit, his verbis: « Dinumera stellas cœli, dinumera arenam maris, et dinumerare poteris fructum horti Domini, scilicet ecclesiæ Cluniacensis. »

EPISTOLA LI.

Charissimo filio NICOLAO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, perpetuam salutem in Domino. 3

Quoniam ex quo te agnovi, bonum et remotum in corde meo tibi semper hospitium reservo, oportet et te aliquando vicem affectui meo rependere, et quod potueris diligenti te compensare. Dominum Trecensem episcopum, quem jam ab antiquo, ut nosti, in summa pectoris mei arce constitui, nescio quomodo factum invisibilem doleo, quem rursus appareat, litteris et precibus directis invito. Tauto enim jam tempore se absentavit, ut cum per Dei et

A sui gratiam se, quod in proximo speramus, repræsentaverit, vereor multum ne illum sine indice non cognoscam, et deleta de corde meo non dilectione, sed dilecti imagine, coram astantibus cum occurrerit, erubescam. Ne igitur hoc contingat, da operam ut maturius veniat, et in hebdomada Passionis et Resurrectionis Dominicæ, mœroris et gaudii, tristitiæ et consolationis, discipulus et episcopus, Christi servos et monachos Christi præsentia visitet, exhortatione suscitet, et tantos humanæ salutis dies non cum populis furentibus, sed cum quietis et humilibus celebret.

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA PRIMA.

Venerabili et jucunda cordis memoria recolendo domino HENRICO Wintoniensi episcopo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem quam præparavit Deus diligentibus se.

Ex quo amplectenda reverentia vestra nuper a Cluniaco recessit, muta vobis permansit lingua mea, sed non tacuit de vobis conscientia mea. Siluit allocutio, sed non siluit devotio: tepuit loquacitas, sed non refriguit charitas. Nec mirum. Cum enim omnes pene Cluniacensis ovilis amici, cum omnes provisos, cum omnes benefactores in vobis uno confluerint, non est mirandum, si per multos olim divisus noster amor ad vos solum concurrerit. Sed quoniam istud apud vos constare certum habemus, non sunt de his multiplicanda verba, neque quod optime nostis fastidiose replicandum. Illud tamen, quod nunc mihi fuit causa scribendi, requiro, illud summopere mihi vestrisque rescribendum depono, quis regni Anglici, sed maxime quis vester vestrorumque sit status, quæ corporis incolumitas, quæ rerum prosperitas, qualiter nostra quoque loca se habeant, utrum pace lætentur, an adhuc dubia sorte laborent, quæ nostrorum conversatio, quæ sit fama. Ista omnia ideirco a vobis requiro, quia vobis maxime nostra omnia innituntur, et a vobis singulare post Deum, ut nostis, auxilium præstolantur. Fratres nostri, filii vestri pro vobis assidue Omnipotentis misericordiæ affectibus et precibus supplicantes, reverentiam vestram venerando salutant, et ut etiam apud Dominum eorum memoriam habeatis implorant.

EPISTOLA II.

Egregio et sublimiter venerando ALBERONI magnæ Leodiensis Ecclesiæ magno pontifici (114), ac nobili ejusdem Ecclesiæ conventui, frater PETRUS humilis,

ANDREÆ CHESNI NOTÆ.

(114) Alberoni magnæ Leodiensis Ecclesiæ pontifici. Albero hic sive Adalbero, nomine secundus, ordine vero quinquagesimus nonus inter pontifices Leodienses, ex primicerio Metensis Ecclesiæ factus fuit episcopus anno Christo 1136. « Juvenis qui-

B *Cluniacensium abbas, humilisque grex Cluniacensis ovilis, salutem.*

Utinam humilitati meæ talis daretur facultas qualis ab antiquo jam data est voluntas, ut amplectendam nobis et omnibus bonis personam vestram, ut sacrum et venerabile Ecclesiæ vobis a Deo commissæ collegium videre, ut jam dudum habeo, non chartis committere, sed ferventissimum charitatis affectum, quem ad vos ore ad os communicare vobis coram positus possem. Cum enim omnibus Christi Ecclesiis, quæ numerositate sua unius et catholicæ Ecclesiæ corpus perficiunt, charitatis compagine honorem simul et amorem debeamus, inter omnes Germanorum Ecclesias, hoc vobis quadam familiari prærogativa debemus, quorum non solum amore provocati, sed etiam frequentibus beneficiis et permaximis muneribus ad mutuam benevolentiam vicissitudinem rependendam, magnifice invitati sumus. Et frequenter quidem a magistris Ecclesiæ Dei, et ab innumeris populi Christiani principibus multa Cluniacense monasterium dona, multa beneficia percepit; sed cum hæc vestris donis, vestris beneficiis, vestris muneribus, comparantur, licet magna sint et pretiosa, vilescunt. Suscepit vere Clun. Ecclesia, et sæpe, ut dixi, suscipit multorum, et diversorum non in terra, sed in cælo thesaurizantium gazas; sed vestra xenia tanto aliorum munera superant, quanto homo pecoribus, quanta sapientia cunctis opibus antecellit. Auro igitur et topazio longe chariora Cluniacus a Leodiensi Ecclesia munera suscepit, quando magnificos viros, et summa cum laude ac dulcedine recolendos a vobis ad nos venientes, humili suorum collegio copulavit. Nam ut alios ante nostra tempora venientes, nobisque vultu incognitos taceam, quando Leodiensis Ecclesiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ

dem ætate, » sicut scribit Ægidius Aureæ Vallis religiosus, « sed in signum maturæ mentis canus capillo, et de prosapia Namurcensi » satus, cujus sororis filius Godefridus erat dux Lovanii.

Hezelonem, Tezelinum, Algerum, canonicos (115), magnosque suis temporibus magistros, humilitatis discipulos, et, ut ipsi qui vidimus, attestamus, veros monachos fecit? Quorum primus multo tempore pro Ecclesia, ad quam venerat, laborans, singulari scientia et prædicabili lingua, non solum audientium mores instruxit, sed corporalem novæ Ecclesiæ fabricam, quam aliqui vestrorum viderunt, plus cunctis mortalibus post reges Hispanos et Anglos, construxit. Sequens spiritualibus tantum studiis totum suum hominem occupans, in sancto proposito longævus consenuit, et prius Cluniaci sub sancto Patre Hugone, dehinc Vizeliaci cum domno Rainaldo abbate (116) ejus nepote, ac demum Lugdunensi archiepiscopo, degens, laudabilem vitam sancto fine conclusit. Tertius, cujus vix memoriam sine lacrymis facio, humilitate, puritate, vitæ totius sinceritate secundum meum iudicium longe præcedentes exsuperans, ita meo tempore apud nos vixit, in tantum benigne et sancte conversatus est, ut licet a nobis carne recesserit, spiritu tamen et memoria singulari nobiscum semper, dum vivimus, non esse non possit. Qui et librum De sacramento altaris, auctoritatibus sanctorum Patrum invincibiliter communitum, nobis et fidei suæ insigne testimonium, et contra quorundam modernorum, vel imperitiam, vel errorem, singulare præsidium dereliquit. Inspiret igitur omnipotens Spiritus, qui ubi vult spirat, cordibus vestris, ut sanctorum istorum, quos ante oculos mentis vestræ memorans, reduxi, vitam et exempla imitemini, qui a vobis, ut dixi, venientes, et more magni patriarchæ de terra, de cognatione, de domo propria egressi, peregrinatione sancta amissam patriam repetierunt, et mundi superbiam in humilitatem, luxum in frugalitatem, divitias in paupertatem, commutantes, ad eam jam per Dei gratiam pervenerunt. Hac ergo recordatione, charissimi, velut quodam charitatis glutino vobis ad-

hærentes, vosque vicissim nobis adhærere rogantes, ut hæc memoria apud vos sit continua, quæ et apud nos est perpetua, precamur. Hac confidentia fiducialiter vos etiam pro locis Cluniacensibus in diœcesi vestra constitutis oramus, qua a vobis nos non repelli, sed exaudiri speramus. Specialiter autem pro domino Gerardo priore de Bertreis (117), et domo sibi commissa vestram amicitiam deprecamur: qui non tantum nobilitate generis, qua vobis bene notus est, sed etiam honesta vitæ conversatione, qua a nobis commendandus est, hoc ut credimus, promeretur.

EPISTOLA III.

Illustri et glorioso regi Siciliae, domino et amico ROTGERIO (118), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem ab eo qui dat salutem regibus.

Per me, ait Dei Sapiencia, reges regnant, et legum conditores justa decernunt (Prov. viii). De quorum numero, quia vos esse cœlestis censura censuit, eisdem supernæ moderationi, quas possumus, gratias agimus, non tantum quia sublimitatem vestram magnis populis prætulit, sed quoniam maxime eisdem populis vos præferendo providit. Inde enim lætamur, inde in Domino gloriamur, inde celsitudinem vestram, etsi vultu incognitam, veræ dilectionis brachiis amplectimur, et ut ad honorem nominis sui, ad salutem populi sui omnipotens Salvator vestram regalem potentiam magnificet, et conservet, humiliter et frequenter precamur. Quis enim non gaudeat, quis non totis viribus, si necesse fuerit, collaboret, ut post tantos bellorum et malorum turbines, tam profundæ pacis bonum a Deo per vos Siculis, Apulis, Calabris multisque aliis gentibus collatum, conservetur, augeatur, dilatetur? Quis Ecclesiæ Dei se membrum agnoscens, de tantarum Ecclesiarum tam inconcussa et stabili pace per vos, ut dixi, et restituta et conservata, in Domino non exsultet? Quis audiens clericos, monachos, milites, rusticos, onu-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(115) *Hezelonem, Tezelinum, Algerum, canonicos.* De Hezelone jam ad Vitam S. Hugonis egimus. Tezelinum commendat et Chronici Cluniacensis scriptor, quem edidimus. Algerus denique sic et a Petro nostro laudatur Tractatu contra Petrobrusianos hæreticos: «Tertius, inquit, nempe Algerus, ante canonicus et magister Leodiensis, dehinc nostro tempore monachus et presbyter in monasterio Cluniacensi, ubi etiam liber ejus De sacramento altaris habetur, puræ ac devotæ conversationis exstitit.» Hic etiam ut refert alius auctor Chronici Clun. «pro ecclesiasticis negotiis ad diversas personas, et ad Ecclesias multas insignes composuit epistolas, quæ a plerisque summo conservantur et leguntur studio. Erat enim subtilis ingenio, facundus eloquio, in proposito stabilis, et quod his omnibus est pretiosius, existimabatur et erat tam fide quam doctrina catholicus. Jam senex quoque presbyter ordinatus est, et fere per decem annos religiose conversatus, bonam, quam et in clericatu duxerat, vitam felici obitu terminavit.»

(116) *Cum domno Rainaldo abbate.* Hujus memoriam abbas noster honorifico celebravit epitaphio, quod inter alios ejus versus et rhythmos habetur.

(117) *Pro domino Gerardo priore de Bertreis.* Prioratus hic, qui et Beatæ Mariæ de Bertreia dicitur, in diœcesi Leodiensi, quorum donatione venerit in jus et subjectionem Cluniacensium, docent ipsius, ad quem hæc epistola dirigitur, Adalberonis Leodiensis episcopi litteræ quæ et ipsæ pag. 1587 hujus Bibliothecæ Clun. integræ positæ sunt.

(118) *Regi Siciliae Rotgerio.* Rotgeri Northmanni, cognomento Bossi, Siciliae comitis et Apuliæ ducis filio, qui primus, inquit Thomas Fazelus, lib. vii posterioris Decadis rerum Sicularum, «non amplius Apuliæ ducem et Siciliae comitem se appellari passus, regium nomen provinciis, quibus præerat aptandum, et perennem sui notitiam regio stenmate et principio hoc splendido commendandam curavit.» Quare et, a suis rex tum Italiae, tum Siciliae salutatus, Panormi anno salutis 1129, Idibus Maii, in regem Siciliae unctus et coronatus est. Nec multo post illi etiam Innocentius papa II «urbem Neapolim, quæ usque ad ea tempora Græcorum imperatori paruerat, cum reliquo Terrælaboris, Apuliæ, ac Calabriae, ad fretum usque Siculum corpore, præter regium titulum concessit.»

stos pecuniis et diversis mercibus mercatores, omneque genus hominum in terra vestra manentium, aut per eam transeuntium tyrannorum, raptorum, insuper ipsorum latronum, omni timore sublato, sua omnia pacifice obtinere, quis, inquam, tanta bona per unum bonum principem tot tantisque hominum generibus impendi audiens, non quas potest Regi regum gratias agat, et ut tali regi regnum ab eo conservetur et augeatur, imploret? Ista me, ut dixi, ad vos amandum, primitus impulerunt: ista ut inter magnos reges, Romanos dico, Francos, Anglos, Hispanos, maximos Cluniacensis. Ecclesie amicos et benefactores, vos quoque admitterem, coegerunt. Ea de causa jam ex multo tempore pro pace, pro honore, pro salute vestra, et apud Deum precatorem, et apud homines predicatorem me constitui, et ad idem agendum tam de nostris, quam de alienis, quos potui, attraxi. Testis est horum conscientia mea, testis Romanus cancellarius, testis et ipse Dominus papa, quem Pisis, quem Romae, quem intra Gallias constitutum, praesens verbis, absens litteris, de pace vestra saepe conveni, et ne inimicis vestris vestram pacem, jusque perturbantibus crederet, et rogavi, et monui. Quod licet diu dilatatum, sed nunc tandem ad effectum perductum, nos et omnes quicumque audire potuerunt, pacis amatores laetificat, et ad gratiarum actiones Deo persolvendas invitat. Rogo ergo, et in quantum possum vos, ut charissimum et sublimem amicem admoneo, ut hanc pacem Pastoris vestri, ac summi Ecclesie Dei magistri toto affectu amplectamini, toto adrisu retinere studeatis, quatenus et ipse de vobis, sicut de optimo et speciali filio, et vos de ipso sicut de benigno et singulari Patre, in spiritualibus pariter et temporalibus gaudeatis. Filium nostrum Gaufridum, cum litteris vestris omnem benevolentiam redolentibus ad nos venientem, vobis cum his litteris remittimus, atque tam ipsum quam commissum ei monasteriolum, quod solum adhuc in regno Siciliae vestra Cluniacus habet, regiae clementiae commendamus, et quia tam se quam locum eundem singulariter a vobis diligere retulit, gratias agimus. Idecirco autem dixi, adhuc solum illud nos in regno Siciliae habere, quia quod non solum diu manere debeat, de tanti amici singulari amicitia omnino praesumo. Nam si hoc Deus cordi regio inspiraret, et per vos in regno vestro de jam facto semine in multam frugem parvum illud principium multiplicaret, cresceret et in corde nostro multiplicandae in terra illa monasticae religionis affectus. Quia sicut bene novit sapientia vestra, spes lucri majoris, majus efficitur fomentum laboris. Lucrum autem majus vocavi, multiplicatae religionis augmentum, quam major numerus monachorum melius potest servare, quam parvus, quia, ut ait Scriptura sacra: *Vae soli! quia cum ceciderit, non habet sublevantem* (Eccle. iv); et sicut rursum loquitur: *Frater fratrem adjuvans, sicut civitas for-*

tis et munita (Prov. xviii). Major ergo si fieri posset, fratrum vel locorum numerus, majorem in nobis succenderet propagandae religionis affectum, quia in eorum multiplicatione majorem sentimus esse profectum. Nec utilior posset accrescere regis gazis thesaurus, quam ille, quem de terris ad caelos translatum praeda non diripit, latro non subripit, et juxta sanctum Evangelium, tinea non corrumpit, fures non effodiunt, nec furantur (Matth. vi). Animet vos, et ad bene agendum magis magisque succendat, non solum (quod praecipuum est), timor Dei, maximum regnorum omnium robur, sed etiam, quam praemisi, probitatis vestrae fama per regiones hac illaque diffusa, quoniam magnifico regi timore Dei justitiae colla submittere gloriosum est, et famam optimam velle dilatare utile simul et honorificum est.

EPISTOLA IV.

Venerabili et charissimo fratri, PONTIO abbati Vize-liacensi, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Exspectaveram, ut fraternam non quidem senectutem, sed senectuti praeponderantem, diurnam laboris fatigationem, fraternae juventutis robur exciperet, et non arundineo, sed eburneo baculo assiduis extenuatas vires sudoribus sustentaret. Sed aliter, aliter quam putaverim, cessit; nec equiem quam speravit in fratre, fraternus affectus invenit. Circummeo, satago, sollicitor, angor, hac illaque distractus, tum de propriis, tum de alienis negotiis, non sine magnis animi motibus curiosus. Laborat senior, quiescit junior; et nec affectu, nec aetate deferens, umbra laborantis, ab aestu se abscondit laboris. Sed Deo gratias, reportat de laboribus propriis nobilem laborans triumphum; nec alteri invidens gloriam, solus quam meruit, victoriae obtinet palmam. Dormienti itaque fratri, nec pro fratre, nec pro fratribus a somno diutino evigilare volenti, indico: tantam tamque diurnam fratrum guerram, meo, meo, inquam, studio, mea cura, mea inquietudine, praevia et adjutrice Dei gratia consopitam, Eracliumque et Eustachium germanos, sacramentis inviolabilibus in perpetuum foedus amicitiamque juratos. Haec indicando et velut exprobrando mandavit, ut de pace fratrum meis ad praesens laboribus provisa, mecum gaudeatis; et deinceps de requie vestro studio nobis comparata, nos vobiscum gaudere faciatis. Ut tamen serio aliquid loquar, per filium meum charissimum Guillelmum mihi remandate quo tempore Cluniacum, vel circa venire, et nobiscum loqui possitis.

EPISTOLA V.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papae INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, obedientiam cum amore.

Venerabilis frater noster dominus Natalis, Resba-

censis abbas (1119), a paternitate vestra nuper rediens, Cluniacum venit. Qui a nobis, ut decebat, honorifice susceptus, post duos aut tres dies inopinatam nobis voluntatem suam prius coram paucis, dein coram cunctis fratribus nostris aperuit, velle se, scilicet pastorali sollicitudine deposita, nobiscum quietius Deo servire. Sed nos licet de tanti viri nobiscum cohabitatione valde gavisus, [cum] utilissimam ejus prudentiam ac religionem Cluniacensi Ecclesiae esse sciremus, monuimus tamen ut Ecclesiam, ad quam vocatus fuerat, non desereret, ne forte multiplicia bona, quae et ipse noveram per cum in domo illa sata et multiplicata, ejus absentia deperirent. Cumque hoc et solus et cum sociis saepe monuissem, saepe replicassem, animum tamen ejus a propositae quietis desiderio revocare non potui. Et quia spe et amore aeternorum, ad trans-euntia oculum mentis, nec ipsa occasione ecclesiasticae administrationis eum ullo modo velle reflectere prorsus cognovi, oro cum fratribus nostris pietatis vestrae servis et filiis, ut jam bonae voluntati ejus paterna benignitate acquiescatis, ejusque spirituale ac beatum otium, nec a suis monachis, nec a quibuslibet aliis inquietari ulterius permittatis. Sed nec sapientia vestra aliquem, utilitatem personae ad ejus inquietudinem praetendentem audiat, quoniam licet vestrae Resbacensi Ecclesiae sicut ipse non ignoratis, valde utilis fuerit, Cluniacensi tamen, quae familiaris vestra est, non inutilis esse poterit. Quia ergo non alibi, quam in sinu vestro, hoc est in Cluniaco requiescere maluit, provideat ei, ut dixi, pietas paterna quietem, quam justo ordine post Marthae meretur habere laborem.

EPISTOLA VI.

PONTIO fratri, frater PETRUS abbas humilis, salutem.

Ait Paulus Antonio pulsanti : *Nemo sic rogat ut minetur. Nemo cum precibus injuriam facit. Et minaris si non recipiaris, cum moriturus adveneris?* Haec vox mea est. Quod Paulus Antonio, hoc ego Pontio : Rogas et minaris, et cum precibus injuriam facis. Mellitum quidem, sed tamen gladium exeris. Nisi tibi provideam, vindictam de caelo minaris. Sed quia cum Deo litigare nolo, nec tutum mihi est tam valido obviare torrenti, necesse est cedere fortiori, in cuius tu potentia confisus, potentem impotens, fortem debilis, pauper divitem non vereris. Obsecro, parce minis ; parcat ut ipse Deus, non tantum mihi, sed etiam tibi, ut cum nobis peperceris, parce tuum facilius mereatur audiri.

EPISTOLA VII.

Venerabili et charissimo fratri GREGORIO, frater

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(1119) *Domnus Natalis Resbacensis abbas.* Subscripsit hic litteris Henrici Senonensis archiepiscopi, quibus Gilduinum Sancti Victoris Paris. abbatem de ecclesia Sanctae Mariae de Floriaco Senon. dioecesis investivit, et memoratur etiam in actis controversiae Hattonis Trecensis episcopi cum Gosleno Suessionensi praesule, super finibus discernendis ac determinandis, ubi tamen corrupte *Da-*

A PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, considerare mirabilia de lege Dei.

Gaudeo, et ut dignum est, vehementer exulto, quod inter innumerabiles nostri temporis miseros, pene te solum beatum invenio. Hujus tuae beatitudinis non ego novus praedicator sum, nec a me primum inventa loquor, sed vocem Christi Domini tui in te, qui membrum ejus es, non incongrue transfundo, qua loquitur in psalmis : *In capite libri scriptum est de me (Psal. xxxix).* Dicit caput, quod verum est de se : *In capite libri scriptum est de me.* Dico et ego, nec falli me credo, *In capite libri scriptum est de te.* Si enim beatus dicitur in capite psalmodum, cujus voluntas in lege Domini, cujus meditatio in lege Domini die ac nocte est (*Psal. 1*), cur ego te beatum non aestimem, non dicam, non praedicem, cujus voluntatem in lege Domini, cujus meditationem in lege Domini, cujus oculos in legendo legem Domini, cujus os in sonando legem Domini, cujus non solum articulos, sed et omnes artus in scribendo legem Domini, nocte ac die persistere, imo desudare video? *Beati*, inquit alius psalmus, *qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum (Psal. cxviii).* Nonne igitur secundum has sententias, non meas, sed Spiritus sancti, non hominis, sed Dei jure te beatum praedico? Quocumque enim me negotia trahunt, quascunque domos adire, quaecunque penetralia vel recessus domorum penetrare cogunt, Gregorium cum sermonibus, Gregorium cum epistolis, Gregorium cum diversis tractatibus, cum infinita schedarum vel librorum congerie invenio. Istis undique ac semper latera tua ambiri, sinus impleri, gremium gravari assidue conspicio, et monachum longe melius Cluniaci, quam quemlibet philosophum in Academia philosophantem stupeo. Cerno languidos, enerves et miseros orbem terrarum implevisse, non Deo, sed sibi vacare, studia negligere, talentum, juxta magnum Gregorium, in terra abscondere, et secundum alium quemdam, cum loquendo vel scribendo quam maxime prodesse possent, veluti pecora inutili vitam silentio transigere. Sed quid est, quod dixi, loquendo, vel scribendo, cum vix etiam legendo sese ad divina studeant animare? At tu non ita, qui juxta Hieronymum dicentem : *Ama studium Scripturarum, et carnis vitia non amabis* : non solum a te hoc sancto studio carnis vitia exclusisti, sed insuper gratiarum et virtutum spiritualium fruges de praemisso semine in multam messem consurgere coegisti. Utinam certe, utinam sic mea mitigarentur negotia, utinam sic se offerrent otia, ut tecum frequenter talia meditari, talia tractare, et meditata ac tracta-

talis abbas Resbacensis appellatur. Est autem Resbacense monasterium in Brigeio, sive Bria, vulgo *Resbés en Brie*, quod S. Audoenus Dagoberti regis cancellarius et archiepiscopus Rothomagensis, sub Regula sancti Benedicti fundavit, ut ex cap. 7 ejus Vitae, quae legitur apud Surium die 24 Aprilis, elucet.

ta, possem tibi verbo vel scripto quolibet communicare! Interim quod instat agatur. Proposuisti tria capitula, tresque de tribus ipsis quæstionum nodos implicuisti, meque ad dissolvendum ipsos, velut solutorem idoneum elegisti. Quod quidem neque in aliis ego sum. Voluntati tamen tuæ, et charitati, qua tibi astringor, pro posse deesse nec debeo, nec possum.

Prima propositio tua est, qua te et tecum multos alios moveri asseris: utrum beatæ Virgini matri, cui dictum est: *Ave, gratia plena* (*Luc. 1*), atque adjunctum, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*ibid.*), et in qua, juxta Hieronymum, tota divinitatis unda se contulit, utrum certe illi in adventu Spiritus sancti die Pentecostes facto super apostolos, aliquid gratiarum auctum sit. Sic enim proponis: Si aliquid gratiæ supra, quam prius habuerat, accepit, illud accepit, quod non habuit. Quod si habuit, non accepit. Et addis: Nec tamen credimus, quod hæc ex aliquo Scripturæ divinæ fonte derivetur opinio. Ac statim: Si enim totam Actuum apostolorum historiam revolvamus, nihil in ea unde vel levissimam conjecturam, ne dicam hujus rei argumentum quis possit elicere, ut arbitror, inveniemus. Nam cum ex auctoritate evangelica plenitudo omnium gratiarum fuerit in Maria, in cujus carnem tota se divinitatis unda contulit, et singulari ac insolita veneratione ab angelo salutata, gratia plena, Spiritu in eam super omnem creaturam superveniente, et virtute Altissimi obumbrata fuerit, mirum atque stupendum mihi videtur, quomodo alia superveniente gratia indiguerit, quæ Dei Filium in utero virginali de Spiritu sancto concepit. Confirmandi sane et corroborandi, Spiritu sancto adveniente, adhuc infirmi erant apostoli, adhuc carnales et divinorum sacramentorum, quæ per orbem terrarum fidelium mentibus infundere debebant, minus capaces. Et quia in omnem terram exiturus erat sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal. xviii*), congruum erat ut omnium linguarum genera cognoscerent, ne in nationes gentium missi, linguarum varietatem aliquatenus ignorarent. Nunquid dicendum est Mariam cum Joseph et puero angelo in somnis apparente, in Ægyptum profectam, ante hunc so-

lemnem Spiritus sancti adventum, Ægyptiorum linguam ignorasse? Hæc certe verba tua sunt, quæ ex epistola mihi a te missa excerpsti. Hæc verba et ex parte videntur quærere, utrum aliquid, ut jam dictum est, plus gratiæ sancta illa virgo et mater Domini in illo Pentecostes die acceperit, et ex parte

velle astruere quod nihil plus quam ante habebat acceperit.

Quod, ut absque præjudicio sanioris forte sententiæ loquar, utrum ita an aliter sit, clarius videbitur; si gratiæ a gratiis secernantur, si majora a minoribus Spiritus sancti charismata distinguantur. Majora vero Spiritus sancti charismata dico, quæ ad perficiendam justitiam hominis pertinent, ut ea de qui-

bus Apostolus scribit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem horum est charitas* (*I Cor. xiii*). De qua ipse alibi apertius: *Charitas, inquit, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim. 1*). Hæc est illa charitas, non tantum faciens sed omnino perficiens justitiam: ad quam cæteræ virtutes justitiæ cooperatrices, velut ad matrem filiæ respiciunt, de cujus radice exoriuntur, de cujus stipite, velut fructuosissimæ arboris, ramorum infinitas speciosa dependet. Ibi castitas, ibi humilitas, ibi veritas, ibi sinceritas, ibi obedientia, ibi omnis justitia. Lege Apostolum, et invenies cætera sigillatim exposita. Lege Evangelium, et audies Christum: *In hac universa lex pendet et prophetæ* (*Matth. xxii*). Hoc est charisma, majus omnibus charismatibus; hæc est gratia, major, ut sic dicam, omnibus gratiis. Hæc est, inquam, illa maxima et superexcellens gratia, de qua Gabriel beatæ Virgini ait: *Ave, gratia plena*. Hæc gratia hanc singularem virginem a tempore prolatae angelicæ salutationis sic plenam vel repletam esse intelligo, ut ei aliquam creaturarum, sive terrestrium, sive coelestium præferre nefas sit, conferre insuper absurdissimum sit. Hæc virtutum universarum gratia, cunctis creaturis excellentius illud omnipotentis Creatoris, non tantum spirituale, sed etiam corporale hospitium impleri et ornari decebat, ut sapientia Dei, quæ se delectari per singulos dies, quæ se ludere in orbem terrarum, quæ delicias suas esse cum filiis hominum per Sapientem fatetur (*Prov. viii*); quæ nec delectari nec ludere, nec deliciari, nisi in sacris virtutibus, et sanctis affectibus potest, in hac sancta et supercoelesti Virgine matre sua, præ cunctis hominibus vel angelis virtutum gratia plena, magis delectaretur, luderet, deliciaretur. Præ cunctis plane creaturis, et in terris virtutum gratia exornari, et in coelis sublimi gloria illam decuit clarificari, quæ sola inter omnes creaturas, matris Dei nomine meruit decorari. Nam cum multi dicantur martyres Dei, cum multi dicantur apostoli Dei, cum multi dicantur prophetæ Dei, cum multi dicantur angeli Dei, cum multi dicantur diversorum ordinum sancti Dei, ipsa sola dicitur mater Dei. Unde justum erat ut, juxta quod

Apostolus ad Hebræos loquitur, sicut Moyses fidelis famulus in domo (*Hebr. iii*), sicut Christus unicus Filius dominans in domo (*ibid.*), sic ipsa ejus mater virtutibus et gloria toti familiæ post ipsum in eadem principaretur domo. Sicut igitur est in ipsa singulare, ac super omnia post Deum, nomen matris Dei: ita est singularis, et super omnia post Deum in terris, et in coelis gratia et gloria ejusdem matris Dei. Unde quantum ad illam gratiam pertinet, quæ per Spiritum sanctum et virtutem Altissimi, utpote conceptricem, genitricem, ac nutricem omnipotentis Filii Dei, eam decuit purgari, sanctificari, glorificari, die Pentecostes nihil ei additum credo, imo absque omni hæsitacione confirmo. Quis enim sani capitis hoc unquam vel suspicari potuit,

ut quantum ad aliquam partem justitiæ spectat, post Filii Dei in ipsa conceptionem, et de ipsa nativitate, aliqua gratiæ portio ei addita fuerit, cum ipsam ante ista angelus gratia plenam dixerit? Nonne hoc absurdum, imo nefarium esse quilibet etiam valde brutus advertit, ut concipiens, vel pariens Deum imperfecta fuerit; post conceptionem vero vel partum divinum ad perfectionem ante non habitam pervenerit? Quis hoc non tantum abjiciat, sed non etiam exhorreat? Nihil enim ei usque ad ultimum vitæ mortalis terminum, gratiæ perfectricis accessit quod Deum concipiens et pariens non habuit, quia ex quo gratia plena dicta est, semper eadem gratia plena permansisse, absque augmento aliquo credenda est. Quod si nullo tempore vitæ suæ, post sæpè dictam conceptionem vel nativitate, ei aliquid præfatæ gratiæ additum est, nec die Pentecostes ipsi in talibus aliquid adjunctum est. Quis enim quod plenum est, nulla ex parte vacuum intelligitur, nihil ei addi potuisse cognoscitur, quæ plena gratia prædicatur. Quid enim virtutum spiritualium ad justificandam vel sanctificandam animam pertinentium, die illo Pentecostes acciperet, quæ inter cætera hoc in plenitudine evangelizatæ gratiæ accepit, quod nullus apostolorum vel die jam dicto, vel aliquo vitæ suæ tempore accipere meruit? Nam licet magna et immensa dona apostoli ea maxime die a datore gratiarum Spiritu Dei acceperint, nullus tamen illorum hoc donum meruit, ut in carne mortaliusque ad carnis mortem absque peccato omnino esse potuerit. Hinc verba illa apostoli Jacobi profusa sunt: *In multis offendimus omnes (Jac. III)*. Hinc et illa Joannis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. I)*. Hinc et illa magni Apostoli: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (I Cor. IV)*.

Quod ergo nec die Pentecostes apostoli accipere meruerunt, hoc multo ante Pentecosten tempore, de qua agitur mater Virgo, accepit. Unde Augustinus contra Coelestium Pelagianum, in libro De perfectione justitiæ hominis: *Cum de peccatis, inquit, agitur, nullam prorsus de matre Domini volo haberi quæstionem. Unde enim scimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo sancta Virgine excepta, si omnes sanctos et sanctas, dum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, sine dubio respondissent quod de se Joannes etiam apostolus ait: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus et veritas in nobis non est (I Joan. I) »* Hucusque Augustinus. Nullo autem pacto esse potuit, vel debuit, ipsa ratione hoc ipsum vociferante, ut Spiritus sancti sacrarium, Filii Dei reclinatorium, totius deitatis solum, qualibet vel parva peccati nubecula postmodum subintraverit, et cor illud conceptæ deitatis luce præfulgens, aliquis vel modicus tene-

A brosi cogitationis fugax saltem volatus fuscaverit. Ergo secundum ea quæ præmissa sunt, beatæ matri Virgini, nec die Pentecostes, nec aliquo post conceptionem Filii Dei die quantum ad majora et supra dicta gratiarum dona pertinet, nihil additum est. Sed sicut ei nihil additum in majoribus confirmo, ita ei aliquid in minoribus forte adauctum, non nego. Quæ sint vero illa minora, et sæpe fatus Apostolus docet: *Alii, ait, datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia curationum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum (I Cor. XII)*, et similia. Dicuntur vero minora respectu majorum supra scriptorum, quia majora, illa sine minoribus istis salvare possunt. Nam sine sermone sapientiæ vel scientiæ (non dico sine sapientia et scientia), sine gratia curationum, sine prophetia, sine discretione spirituum, sine generibus linguarum, sine interpretatione sermonum salvari possum, sine charitate et ei cohærentibus sacris virtutibus non possum. Majora ergo sunt, sine quibus salus non est; minora dicuntur, sine quibus salus integra esse potest. Unde quantum ad illa majora, ut jam dixi, die Pentecostes adauctum est beatæ Virgini; quantum vero ad ista minora, apostolis quidem omnia data sunt, sed nescio utrum et beatæ Virgini. Decebat enim ut illis, quorum sonus exiturus erat in orbem, sicut et ipse scripsisti, terrarum, et quorum verba perventura erant in fines orbis terrarum, daretur sermo sapientiæ, daretur sermo scientiæ, daretur gratia curationum, darentur genera linguarum, et si qua alia tantæ prædicationis officio necessaria esse judicavit donorum eorundem distributor Spiritus sanctus. Adjecta est eis ab eodem Spiritu Dei animositas cordium, sine qua nihil profuissent universarum genera linguarum. Quid enim prodesset peritiâ loquendi, si non adesset virtus audendi. Quid plane prodesset multiplex scientia verborum, nisi pelleretur timiditas animorum? Ut igitur fortes et invincibiles animo essent, induti sunt, sicut Christus eis promiserat, virtute ex alto, ne muti coram barbaris gentibus apparerent, et ut ad quod mittebantur prædicare sufficerent, impleta sunt ora eorum omnium quæ sub cælo sunt gentium verbo. De matre autem Domini quid dicetur? Quid dicetur, et de aliis sanctis mulieribus, quas fuisse cum apostolis tempore illius magni adventus Spiritus sancti, quis negare potest? Quis negare, inquam, potest eas tempore illo fuisse cum apostolis, cum dicat Scriptura, quod *Regressi post ascensionem Domini apostoli a monte Oliveti Hierosolymam venerunt, et ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes et reliqui (Act. I)*, ac statim subdat: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus? (Ibid.)*

Neque enim dici potest quod hæc unanimitas orationis discipulorum et mulierum sanctarum dissoluta fuerit usque ad diem illum, quo etiam per si-

gna visibilia super apostolos et alios credentes, Spiritus divinus descendit. Quod si unanimitas illa et perseverantia orationis, ac loci, usque ad diem illum protracta est, utique mater Domini, et mulieres illæ Salvatoris discipulæ, cum apostolis et aliis credentibus permanserunt, nec ab ipsis usque ad sacram illam diem donis cœlestibus insignem recesserunt. Ibi plane erat jam dicta sancta mater Domini; ibi Maria Magdalene, Jacobi et Salome, et cæteræ quæ, ut Evangelium loquitur, eum secutæ fuerant a Galilæa, ministrantes ei (*Matth. xxvii*). Quid igitur? Accepit sancta illa Virgo et mater Domini, acceperunt et aliæ beatæ mulieres quæ aderant, eam quam apostoli, gratiam, vel munera Spiritus sancti? Acceperunt majorem sanctificationem? Acceperunt majorem, quam habuerunt, cordis constantiam? Acceperunt eandem quam apostoli linguarum gratiam? Et de beata quidem Virgine supra dictum est, et omnino certum est, quod ei nihil ad puritatis, nihil ad sanctificationis, nihil prorsus ad omnium virtutum spiritualium perfectionem accesserit. Nihil enim ei augmenti ad justitiæ vel sanctitatis plenitudinem, per illum Spiritus sancti adventum accedere potuit: quam ante conceptum, et in conceptu filii Dei, omnium virtutum sanctificatione et perfectione idem Spiritus adimplevit. Sed nec de aliis bonis mulieribus dubium est, quod eis multa de simili virtutum gratia, ante illum Spiritus sancti adventum deerant: quarum imperfectionem idem Spiritus, qui spirat ubi vult, et prout vult, secundum mensuras sibi tantum notæ donationis suæ perfecit. Cum enim apostolis ipsis ante diem illum plurima de perfectione defuerint, non mirum si mulieribus illis multa perficienda restabant. Acceperunt ergo illæ gratiam, quam prius non habuerant, et sicut in eodem loco cum Christi discipulis facto de cœlo repente sono inventæ sunt, sic nec ab eadem collata apostolis gratia, quantum ad speciales animi virtutes pertinet, exclusæ sunt. Sed quid de miraculis? Quid de linguis diversis? Et ista cum apostolis beata Virgo, ac mulieres jam dictæ acceperunt? Et aliorum quidem miraculorum potentiam discipuli Christi, et ante ipsius passionem susceperunt, præcipiente ipso, *infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones ejicite* (*Matth. x*); et post resurrectionem insuper, quando tam de ipsis quam de credituris dictum est: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur* (*Marc. xvi*), et reliqua. Omnium vero linguarum gratiam non alio die, vel alio loco acceperunt, sed die Pentecostes, quando simul apostoli et mater Domini, ac sæpe dictæ mulieres in cœnaculo unanimiter in oratione perseverabant. Apostoli ergo et alii discipuli, qui adfuerunt, gratiam illam linguarum ea die acceperunt. Accepit igitur eam beata Virgo? Acceperunt et sanctæ mulieres? Sed certa est causa, qua discipulis hæc gratia data est. Prædicaturi enim erant, ut supra dictum est, orbi universo Evangelium. Sed nunquid

A ad prædicandum idem Evangelium beata Virgo vel reliquæ sanctæ feminae missæ erant, vel mittendæ in orbem universum? Non utique. Mater enim Domini non ad prædicandum verbum Dei, sed ad generandum Verbum Dei electa fuerat, nec ad aliquem gentium hæc de causa mittenda erat. Sed nec mulieres reliquæ ad simile officium alicubi leguntur destinatæ. Non sexum femineum hoc decebat quod virilem, ut ad prædicandum per diversa mitteretur, cum mulieres magis debeant parare aures ad audiendum quam aperire os ad prædicandum, maxime cum Apostolus dicat: *Mulierum loqui in ecclesia non permitto* (*I Tim. ii*). Et rursus de eisdem mulieribus: *Si quid discere voluerint, domi viros suos interrogent* (*I Cor. xiv*).

B Sed dicet aliquis: Nonne quædam sanctarum mulierum hymnos, vel cantica divina scripserunt? Sed aliud est cantare, aliud prædicare; aliud psallere, aliud evangelizare. Nam sicut virum sana doctrina, sic mulierem decent religiosa cantica. Inde est quod Maria soror Aaron, submerso Pharaone (*Exod. xv*), Debhora occiso Sisara (*Judic. v*), Anna nato Samuele (*I Reg. ii*), hæc ipsa Virgo et mater Domini concepto Salvatore, exultasse et cantasse (*Luc. i*) leguntur. Nulla tamen harum vel aliarum mulierum in aliquo textu divino ad prædicandum missa narratur. Sola Maria Magdalene legitur non quidam prædicasse, sed nuntiasse discipulis: *Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi* (*Joan. xx*). Mater ergo Domini et reliquæ ei adhærentes sanctæ mulieres, quæ ad nullam mittebantur gentium, quid necesse habuerunt die Pentecostes accipere a Spiritu sancto linguas omnium gentium? Nam quod in epistola tua legi, quando in Ægyptum cum filio fugit, non ignorasse eam linguam Ægyptiorum, si probatur ex Scripturis, tenendum est; si non probatur, non multum instandum est. Quæ enim necessitas fuit scire eam Ægyptiorum linguam, cum nec Judæi jam per totum orbem dispersi, quorum linguæ erat, Ægypto defuerint, nec interpretes deesse potuerint? Ut ergo breviter quod sentio exprimam, accepisse eam die Pentecostes gratiam illam linguarum omnium, nec affirmo, nec nego. Non affirmo, quia nullam necessariam vel probabilem causam, qua gratiam illam accipere debuerit, invenio. Non nego, quia fortasse alius invenire poterit, ad quod ego nondum sufficio. Hoc tantum constanter astruo, quod tamen supra jam dixi, beata Virgini post conceptum Dei Filium, nihil de illis excellentibus sancti Spiritus donis, aliquo tempore, dum mortalis vixit, adauctum. De inferioribus vero nihil superfluum aut indecens additum; sed si quid omnipotentis Filii Dei matrem de talium numero habere decuit, absque deputatione adjunctum. Sive tamen ei de hujusmodi charismatibus, quæ die Pentecostes data sunt apostolis, totum aut aliquid datum sit, et majoribus, quæ prædicta sunt adjunctum, sive non; non idcirco inferiori judicabitur apostolis, nec aliquis ipsorum præ-

pter hujuscemodi dona vel quælibet alia, major ipsa aut par ei esse censebitur. Nam neque Eliseus Eliæ præferretur, quia duplex in eo non virtutum spiritualium, sed miraculorum extrinsecus apparentium spiritus apparuit, nec, ut æstimo, Judas proditor aut Petro apostolo se conferet, quia par ei in miraculis visus est, aut Joanni Baptistæ se istorum signorum fastu præferet, de quo in Evangelio legitur, quia *Joannes Baptista signum fecit nullum (Joan. x)*. Hæc mihi de proposita prima quæstione, absque melioris sententiæ, ut supra dixi, præjudicio, ad præsens videntur.

Secundæ propositionis tuæ hæc summa est. Quæ ratione post conceptum Dei Filium et naturæ humanæ in alvo virginali personaliter unitum, gloriosa illa Maria aliquid in creaturis ignoraverit, et illam, in qua omnes thesauri sapientiæ et scientiæ etiam corporaliter erant absconditi (*Coloss. ii*), aliquid in creaturis latuerit, cum scriptum sit de quodam sancto (GREGORIUS, de S. Benedicto): *Animæ videnti creatorem angusta est omnis creatura. Et post pauca subjungit: Ex gratia itaque superaddita et meriti prærogativa, quæ virgo simul et mater Dei meruit existere, etiam in carne posita videtur sua sapientia angelorum scientiam transcendisse, sicut etiam super omnem angelicam naturam credimus eam exaltatam esse.* Si vero secundam divinitatis cognitionem alius alio sit beator, alius alio sapientior, hæc virgo etiam in carne omnibus angelorum ordinibus longe mihi sapientior videtur exstitisse, cui datum est, non solum in carne præter carnem vixisse, sed ipsum etiam Dei Verbum carnem factum genuisse. Hæc quidem scripsisti, sed ut de eruditione tua confido, non tam tua quam aliena protulisti. Quis enim, ut compendio utar, saltem mediocriter eruditorum ignorat, quod gloriosa illa, ut scribis, et ut verum est, Maria, post conceptum Dei Filium, non dico tantum aliquid vel aliqua, sed etiam multa in creaturis ignoraverit? An non ignoravit multa in creaturis, quæ multa etiam ignoravit in rebus domesticis? An non ignoravit multa in aliis cui necessarium fuit ut Joseph sponsus ab angelo admoneretur, et diceretur ei: *Surge et accipe puerum, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi? (Matth. ii.)* An non potuit multa ignorare in creaturis, cui iterum necesse fuit, ut rursus angelus Joseph in Ægypto appareret, et diceret: *Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri? (Ibid.)* Nam si ipsa hoc et illud prius noverat, et Herodem scilicet quærere puerum ad perdendum eum, et rursus post fugam suam in Ægyptum ipsum præscierat ante defunctum, superflue et tunc hortatus est Joseph angelus ad fugam, et post superfluo commonuit ad reditum. Cur enim angelus sollicitaretur, aut aliquem sollicitaret pro salvando puero, cujus mater omnia nosset, cujus persecutores omnes cognosceret; quorum voluntates; consilia, fraudes, subtili Spiritus scientia di-

gnosceret, quorum vita, quorum obitus ipsam nullatenus latere posset? Dubia sint ista, his tamen, quibus dubitare more quorundam philosophorum de omnibus conceditur. Succedat tamen exemplum, post quod nec ipsis, qui omnia sub utrum ponunt, hæsitare liceat. *Remansit, inquit, puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Æstimantes autem eum esse in comitatu, venerunt iter diei et requirebant eum inter cognatos et notos. Et non inveniētes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum (Luc. ii).* Quomodo certe, quomodo opinari potuit bonus animus nihil in creaturis beatam Virginem latere, cum eam latuerit filium Jerosolymis remansisse, cum æstimaverit eum in comitatu esse, cum eo inter cognatos et notos non invento, Jerusalem redierit, et vix post biduum requirendo invenerit? Sed audiatur ipsa Virgo, et magis ipsi de seipsa, quam cuiuslibet incircumspectæ opinioni credatur: *Fili, ait, quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes quærebamus te (ibid.).* Et utique cum dolens per diversa non quæsisset, si ubi esset subtili spiritus indagine cognovisset. Quæ ergo ubi tantus esset Filius ignorabat, quomodo omnia quæ in creaturis fieri poterant cognoscebat? Sed mirum est, ut proponis, quomodo illam in creaturis aliquid latuerit, in qua erant omnes thesauri sapientiæ et scientiæ etiam corporaliter absconditi (*Coloss. ii*). Sed hæc sententia, quam ex parte nescio quorum proponis, sicut nosti, apostolica est, et non de illa beata et semper nominanda Virgine, sed de ejus Filio dicta est. In illo enim, hoc est Dei et ipsius Filio, vere sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi; unde nec aliquid eum sicut Deum in creaturis latere, nec quidquam eorum quæ in cœlis, quæ in terris, quæ insuper apud inferos aguntur, ignorare possibile est. Qui enim solus Creator est omnium, solus est rector et cognitor universorum. Eapropter licet in utero hujus Virginis ille, in quo omnes hi thesauri latebant, etiam, ut dicis, corporaliter latuerit, non tamen ex thesauris illis sapientiæ et scientiæ in ipso absconditis, omnium rerum scientiam, quandiu hic mortaliter vixit, sancta hæc Virgo suscepit. Hoc enim solius Dei est, nec alicui mortalium in hac vita concessum est. Quod vero solius Dei est, participem habere non potest. Unde et ipse per prophetam loquitur: *Gloriam meam alteri non dabo (Isa. lii).* Et cui per quemdam sapientem dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum (II Par. v).* Si quis tamen hanc apostoli de Christo sententiam, gloriæ beatæ Virginis voluerit adaptare, sic saltem hoc faciat, sic erga sanctam Virginem officiosus et devotus appareat, ut regulam fidei non excedat. Attendat et videat quam caute Hieronymus, in talibus de Christo ad ipsam translatis, incedat. Ait enim in quadam re simili: *In Mariam vero totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit.* Statimque adjungit: *Quanquam aliter. Totius enim gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo in*

Mariam venit; quoniam Christus plenus gratiæ et A
veritatis in Maria conceptus, de Maria ad homines
processit. Tamen aliter, quia non ipsa plenitudinem
illam gratiæ, quæ in Christo est, quantum ad perso-
nam propriam spectat, suscepit. Aliud est enim in
persona propria habuisse illam plenitudinem gratiæ,
aliud personam illam genuisse, in qua erat illa pleni-
tudo gratiæ.

Sic forte, imò sic plane, ut mihi videtur, dici po-
test absconditos in Maria thesauros sapientiæ et
scienciæ, non quia in ea personaliter, hoc est quan-
tum ad propriam ejus personam pertinet, thesauri
illi absconditi fuerint, sed quia sacra illa ipsius vi-
scera Christum Dominum, in quo vere personaliter
erant absconditi, portaverint. Jam sequens illa sen-
tentia, quæ quasi ad roborandam opinionem falsam B
proposita est, quid valeat, prudentia tua advertat.
Nam facile est videre, non tantum tibi qui longe
difficiliora citissime pervides, sed cuilibet etiam le-
viter attendenti, quod hæc sententia jam dictæ
opinionis in nihilo suffragetur. Primo, quia non ex
canone tali est, cui omnimodam fidem præbere cogamur.
Licet enim a sancto Gregorio hæc in dia-
logo prolata sententia sit, non tamen eam debemus
fidem quibuslibet scriptis doctorum, quam nos de-
bere novimus summo sanctarum canoni Scriptu-
rarum. Nec tantum deferre compellimur post Vete-
ris ac Novi Testamenti paginas alicujus quantum-
libet docti et catholici scripto, quantum eidem
canoni divino. Unde Hieronymo Augustinus :
Absit, inquit, a sanctitate et sapientia tua, ut eam C
scriptis tuis velis auctoritatem dari, quæ soli digni-
tati sanctarum Scripturarum servatur! Cujuslibet
enim Scripturam licet examinare, de scriptis autem
illis nulli prorsus permittitur dubitare. Hoc in epi-
stola Augustini, et si non per eadem verba, eandem
prorsus continens sententiam invenies. Præter hoc
etiam, si de illo divino canone sumpta esset, nec
sic quidem ad probanda præmissa valeret. Quod
cuilibet paulò diligentius advertenti statim patebit.
Nam quia ait sanctus ille : Videnti Creatorem an-
gusta est omnis creatura, non inde sequitur quod
nihil eum latere potuerit in creatura. Subjecit enim
hanc sententiam verbis illis suis, quibus a sancto
Patre Benedicto totum mundum velut sub uno solis D
radio collectum visum esse jam dixerat. Potuit
verò et ille sanctus, et totum mundum simul col-
lectum videre, et potuerunt eum multa, quæ in
mundo fiebant, latere. Nulla enim necessitas urget
fateri, ut quia totum mundum collectum vidit, si-
mul etiam quæ in mundo fiebant cognoverit. Ipse
quippe etiam communis intuitus noster hoc habet,
ut de turri, vel monte, vel aliquo sublimi loco
multa simul terrarum spatia videamus, cum vix
pauca aliqua eorum quæ in spatiis illis aguntur, di-
scernere valeamus. Et licet longe valentior nostro
fuerit sancti illius a Deo dilatatus intuitus, in tan-
tum ut, sicut dictum est, totum simul mundum
aspicere potuerit; ubi tamen legitur eum totum

mundum collectum vidisse, non legitur omnia quo-
que eum, quæ in creaturis tunc temporis ageban-
tur, aliquatenus agnovisse. Eapropter nulla est, vel
a simili, vel a minori similitudo proposita, ut quia
ille totum mundum simul collectum vidisse scribi-
tur, idcirco sancta Virgo mater Domini cuncta, quæ
in creaturis, dum in corpore vixit, fiebant, agnovisse
credatur. Est adhuc et de hac sententia, quæ forte
se discutiendam obtulit, quod dicatur. Nam quod
ait ille : Videnti Creatorem angusta est omnis crea-
tura, verum est, sed in futura vita. Quod enim
Creator hic a mortali videri ut est, non possit, te-
statur illa orbi terrarum nota sententia : Non vide-
bit me homo, et vivet (Exod. xxxiii). Nec tamen id-
circo falsam hanc sententiam dico, vel sanctum
illum eo temporis spatio, quo assuetam hominum
visionem excessit, Creatorem vidisse, prout datum
est, nego. Novi namque et alios fuisse, vel esse mo-
dos, vel modum videndi Deum; quo et Jacob eum
se vidisse fatetur, cum dicit : Vidi Dominum facie
ad faciem (Gen. xxxii); quo et de Moysè legitur :
Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut
solet loqui homo ad amicum suum (Exod. xxxiii);
quo et LXX senioribus Israel apparuit ut scriptum
est : Et viderunt Deum, et comederunt, et biberunt
(Exod. xxxiv); quo et Isaias : Vidi Dominum seden-
tem super solium excelsum, et elevatum (Isa. vi);
quo et Micheas : Vidi Dominum sedentem, et om-
nem militiam cæli assistentem ei a dextris et sinistris
(III Reg. xxii); et multa similia. Hinc sunt et illa
verba Apostoli : Videmus nunc per speculum in
ænigmate, tunc autem facie ad faciem (I Cor. xiii). Hinc
et illa Joannis : Nondum apparuit quid erimus, sed
cum apparuerit, videbimus eum sicuti est (I Joan. iii).

Cum ergo omnes isti Deum non illo futuræ vitæ
modo, sed unicuique congruenti modo viderint, sub
nullius tamen horum conspectu, omnis creatura
coarctata legitur. Potuit in isto Deum vidente fieri
quod in aliis Deum videntibus factum non est. Sed
quolibet modo vel sancti illi, vel sanctus iste Deum
viderint, eo res deducitur, quo nec illi, nec iste in
visionibus illis suis totum quod in creaturis gere-
batur, visionum suarum tempore cognoverunt. Quod
si, ut jam dictum est, in visionibus suis multa eos
in creaturis latuerunt, non valet quod allatum fue-
rat ad probandum, sanctam Domini matrem nihil
in creaturis latuisse, nihil eorum, quæ in creaturis
suo tempore gerebantur, ignorare potuisse. Quod si
cuilibet sanctorum (quod tamen nusquam legitur)
datum in præsentis ad horam fuisset, non inde co-
geremur credere, quia et hoc beatæ Virgini datum
esset. Esset enim hoc quoddam miraculi genus, non
ad summa et majora pertinens sancti Spiritus dona,
quæ, sicut supra præmissum est, plus omnium crea-
tura beata Virgo habuit, sed ad illa mediâ, inter
quæ et miracula numerantur, quæ beatam Virgi-
nem in carne mortali positam accepisse, nemo in
toto canone divino legisse, ut puto, se recolat. Nec
idcirco tamen minor facientibus miracula ab aliquo

sanum sapiente æstimari poterit : quæ quod summum et majus est accipiens, talibus, licet Spiritus sancti donis, non eguit. Quod si quilibet pertinacius instans, eam sine miraculis aut minorem miraculorum factoribus esse, aut videri dixerit, dicat et Christum eo Christiano vel esse, vel videri minorem, qui majora quam Christus miracula operatus fuerit. De quo ipse in Evangelio: *Qui credit, inquit, in me, opera quæ facio et ipse faciet; et majora horum faciet* (Joan. xiv). Majora vero Christo miracula fecisse multos sæpe Christianos legimus. Quos majores eo esse disputandum non est, quia longe longius eo inferiores esse certum est. Jam quia de verbis illis Dialogi, ne ad probanda quæ proposita fuerant valere possint, satis actum arbitror, ad sequentia stylus procedat. In quibus legitur videri quibusdam, quod sæpe dicta Virgo mater Domini etiam in carne posita, sua sapientia angelorum scientiam transcendit, sicut et super omnem angelicam naturam exaltata esse creditur. Et sequitur versus. *Si enim, inquit auctor, secundum divinitatis cognitionem, alius alio fit beator, alius alio sapientior, hæc Virgo etiam in carne omnibus angelorum ordinibus longe mihi sapientior videtur existisse, cui datum est non solum in carne præter carnem vixisse, sed ipsum etiam Deum carnem factum genuisse.* Hæc verba, ut quod verum est fatear, venerabili et charissimæ mihi dilectioni tuæ, non a te quidem, sed per te prolata, et opinionem non tuam, sed quorundam proponentia, in tantum mihi absurda videntur, et de rudi et prorsus incircumspecto corde procedere, quod vix admirari sufficio. Quis enim admirari sufficiat, eum cui ista videntur non discrevisse quod perfacile erat, gratiam a gratia, laborem a retributione, meritum a beatitudine? Quid autem dixi gratiam a gratia, laborem a retributione, meritum a beatitudine? Hæc verba non nunc primum a me proferuntur, sed in Evangelio Joannis leguntur. *Nos, ait, omnes de plenitudine ejus accepimus; et gratiam pro gratia* (Joan. 1). Quid est gratiam pro gratia? Accipiunt enim sancti ejus geminam ab ipso gratiam, ita ut ex præcedente gratia sequatur et alia. Primo enim hic accipiunt gratiam operationis, ac pro ipsa alibi gratiam retributionis. Primo hic accipiunt gratiam sanctificationis, ac pro ipsa alibi gratiam glorificationis. Nec enim simul et opus bonum faciunt, et boni operis mercedem accipiunt, neque simul in sanctitate et virtutibus perficiuntur, et virtutum et sanctitatis gloriam assequuntur. Hic enim operantur, ibi remunerantur. Hic sanctificantur, ibi glorificantur. Quantum ergo ad morum puritatem, quantum ad vitæ perfectionem, quantum ad omnium virtutum sanctificationem pertinet, beata Virgo etiam in carne posita, omnem creaturam vel humanam vel angelicam summe transcendit. Quantum vero ad sapientiam, qua quibusdam videtur etiam in carne posita angelorum scientiam transcendisse, mihi prorsus non ita esse videtur.

A Si enim hoc concessero, labori retributionem, merito beatitudinem adjungam, et mercedem illam, gloriam illam, magnificentiam illam, qua universis creaturis post carnis mortem prælata est, eam ante mortem recepisse concedam. Hoc si concessero, omni auctoritate et ratione destitutus, angelis et hominibus ostentui ero. Nam si dixerò eam in carne mortali positam angelorum sapientiam non dico transcendisse, sed saltem sapientia sua adæquasse necesse erit ut eam adhuc in terris positam, omni miseria mortalitatis exuam, omni incorruptione, immortalitate, beatitudine induam. Nam si in carne, ut dicitur, posita, sapientiam angelorum assecuta est, etiam beatitudinem consecuta est. Neque enim angelorum sapientia sine beatitudine esse potest, quæ idcirco vera sapientia est, quia beata est. Beata autem, non nisi beatitudine est. Beatitudo autem est; ut eam vel definiam vel describam, sine omni molestia totius boni sufficientia.

Hanc autem beatitudinem, gloriosam matrem Domini in hac mortali vita assecutam non esse, quis nesciat? Nam si hanc assecuta esset, adhuc in terris posita omni corporali molestia caruisset, totius boni adepta jucunditate gauderet. Caruisset profecto indigentia, caruisset metu, caruisset dolore, et tandem omni corruptionis vel mortalitatis incommodo. Sed ita non fuisse, auctoritati evangelicæ credentibus, vel rationem ipsam sciscitantibus, advertere perfacile est. Licet enim ipsa post Filii Dei conceptionem omni peccato caruerit, dum tamen in carne vixit, pœna peccati non caruit. Pœna vero contraria est beatitudini. Si enim beatitudo est, quæ omni caret molestia, hanc ipsam in carne mortali assecuta non est, quæ in ea multa molesta passa est. Nam si egere non est beatitudinis, si timere non est beatitudinis, si dolere non est beatitudinis, si denique meri non est beatitudinis, tunc ipsa in carne beata non fuit, quæ in ea ista omnia toleravit. An non eguit, quando pariens suum et Dei Filium, reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio? (*Luc. 11.*) An non eguit, quæ pro filio hostias Deo oblatura, quia agnum non potuit, par turturum aut duos pullos columbarum obtulit? (*Ibid.*) An non timuit, quæ a facie Herodis in Ægyptum fugit? (*Matth. 11.*) An non doluit, cujus animam moriente Salvatore Filio, juxta justissimi Simeonis verba, nimii doloris gladius pertransivit? (*Luc. 11.*) An non omnes præter peccatum miseras conditionis humanæ experta est? Et quid tandem? Nonne et mortua est? Hæc omnia certe contraria sunt beatitudini angelicæ, quam eam assecutam etiam in carne mortali necesse erit dicere, si quis eam angelorum sapientiam vel transcendisse dixerit vel æquasse. Sapientia enim vel beatitudo angelica, in tantum individua, imo sic unum sunt, ut nec eorum sapientia sine beatitudine, nec beatitudo sine sapientia esse possit. Alioquin, quod omnino stolidum et pecuale est sentire, esset eorum aut sapientia misera, aut beatitudo insipiens. Quod quia im-

possibile est, ut vel sapientia quantum in ipsa est A misera, vel beatitudo possit esse insipiens, necesse est fieri angelicam sapientiam semper beatam, vel beatitudinem semper esse indivisibiliter sapientem. Unde, quoniam nullo pacto beatitudinem ab angelica sapientia quilibet secernere potest, si sapientia angelica beatæ Virgini in carne mortali datur, consequenter et beatitudo angelica concedetur. Quæ si ei in illa mortali carne conceditur, jam nec eguisse, nec timuisse, nec doluisse, nec ad ultimum obiisse, imò nec hominem eam fuisse dicetur. Datur ergo ei in carne mortali multa et magna sapientia, sed non tanta, quæ vel angelorum sapientiam superet, vel adæquet. Licet enim sublimis illa et supercœlestis Virgo sapientiam Dei, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii*), amictam carne humana in utero portaverit, genuerit, lactaverit, foverit, nutriverit, non tamen, dum mortalis vixit, eam ut angeli agnovit, vel sicut illi revelata facie, et abjecto velamine comprehendit. Manet enim quod supra scriptum est: *Non me videbit homo, et vivet (Exod. xxxiii)*. Videbant enim eum angeli sicuti est, videbat eum mater Virgo, plusquam ab aliquo mortaliter vivente videri poterat. Videbat ipsa eum plena gratia, plena Deo, plena virtutibus, plena Spiritu sancto et virtute Altissimi, fide et incomparabili divini amoris plenitudine; videbant eum beati illi spiritus non fide, sed re, non ut homo per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem. Videbant eum clarius in ipso gremio Virginis matris, quam ipsa posset videre beata Virgo mater, quia ipsa latentem in carne Deum ineffabili spiritus exultatione gaudens admirabatur, ipsi eum in carne, sicut et ante carnem, nullo carnis obstaculo præpediti cernebant, adorabant, contemplantur, pascebantur. Unde hoc non velatæ, sed revelatæ visionis divinæ pastu satiati, et contemplatione clarissima summæ sapientiæ plenissime sapientes effecti, beati non esse non poterant, qui in eo, quem conspiciebant, beatitudinem integram possidebant.

Qui igitur Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam, longe clarius, subtilius, perfectius beata Virgine, dum mortalis vixit, cernebant, nonne ipsa æterna ac summa Sapientia, quam conspiciebant, longe sapientiores beata Virgine erant? Plane sapientiores erant, qui non velatam, ut erat apud matrem, sed revelatam, ut est apud Patrem, videbant. Videbant eam certe sicuti est, et in ea visione singularem nullique in carne mortali concessam sapientiam possidebant ac beatitudinem. Quam jam retinebat plus omnibus sanctis beata Virgo per fidem, spem, et sublimissimam charitatem, qua illi, ut dictum est, fruebantur facie ad faciem. Non igitur eam, quam angeli, beata Virgo, dum in carne viveret, sapientiam obtinebat, quia nondum ut illi, quod postea fuit, beata esse poterat. Nam angelicam ei omnino sapientiam sine beatitudine concedere, sicut est

A omni auctoritati et rationi contrarium, sic est etiam non mediocriter stultum. Quid esset enim angelica sine beatitudine sapientia nisi, ut sic dicam, dæmonica quædam scientia? Dicuntur enim dæmones scientes, vel scii, quoniam plurima sciunt, sed quia beatitudinem nec re nec spe obtinent, omnino miseri et detestabiles sunt. Sapientes enim eos vocare non possum, licet multa plusquam homines in rerum natura comprehendant, quoniam nec sapientia dici potest, quæ rebus divinis vel æternis non militat; nec eum sapientem, qui sibi divina vel æterna congruis officiis vel affectibus non procurat. Inde est quod et sapientia mundi stultitia dicitur, et sapientes, mundo, non Deo servientes, stulti vocantur. Non habuit ergo B beata Virgo, dum moritura vixit, majorem vel parem sanctis angelis sapientiam, quia nec habere poterat beatitudinem, sine qua eorum sapientia nunquam esse potest, nec habuit dæmonum vel impiorum hominum sapientiam, quæ nec omnino vere dici sapientia potest. Majorem vel parem sanctis angelis non habuit sapientiam, quia nec, ut dictum est, habere potuit beatitudinem quam illi obtinent re. Malorum angelorum vel dæmonum non habuit: quia nec est sapientia, quam ad beatitudinem non referunt, neque re neque spe. Sed plane habuit ingentem, et omni sanctorum mortaliter viventium sapientiæ valde præferendam sapientiam: non eam, quæ more philosophico de creaturis curiose disputat, sed eam quæ Creatoris cognitionem devote ac sollicite investigat. Quantumcunque enim intellectus proficiat ad solam creaturarum veritatem perscrutandam, magis scientia quam sapientia dicitur. Ille autem intellectus, qui per creaturas, vel sine creaturis se in agnitionem et amorem solius Creatoris extendit, sapientia vere vocatur. Hanc itaque sapientiam, quæ, cæteris affectibus posthabitis, in solius conditoris et omnium honorum auctoris agnitionem et defæcatissimum amorem, adjuta ipsius Conditoris gratia se totam diffundit, beata Virgo et mater Dei plus omni mortali in carne vivente obtinuit; et ea sapientia summe sapiens, conditorem suum et omnium, omni mortali creatura excellentius D agnovit, coluit, dilexit et, quantum hic a vivente videri vel comprehendi poterat, licet incomprehensibilem, comprehendit.

Hic meus de istis sensus est, charissime, quod absque præjudicio verioris sententiæ loquor, ut puto catholicus. Sententiæ vero sancti Hieronymi, quas velut ad confirmandam jam dictam pro ipsa opinionem in epistola tua legi, prorsus pro ipsa nihil faciunt; sed vel ad demonstranda virtutum privilegia, quæ mortalis adhuc accepit, vel ad ostendendam sublimem et omnem creaturam superantem ipsius gloriam, quam post carnis mortem percepit, positæ sunt. Sed distinguendæ sunt a studioso lectore, quoniam quandoque permistim ponere videtur, et gratiam sanctificationis,

qua in terris constituta benedicta, sanctificata, atque ad Deum in carne portandum, gignendum, educandum, idonea facta est, et gloriam sublimationis, qua post carnis mortem fortassis et resurrectionem decorata, glorificata, et super omnes choros hominum et angelorum exaltata est. Quandoque enim in duobus vel pluribus sibi proximis versibus, quandoque in eodem versu utrumque et pene simul ponit, ita ut aliquando quæ terræ sunt cælo, aliquando quæ cæli sunt terræ, hoc est, ea quæ beata Virgo vel in terris ante, vel in cælis post, accepit, vel totum terræ, vel totum cælo tribuere videatur. Si ergo ubicunque hæc diversa simul posita sint, propriis intellectibus reddita fuerint, error nullus vel dubietas erit, nec aliud pro alio acceptum, confusionem aliquam lectori generare poterit. Inde est, verbi causa, illud, quod in epistola tua de verbis sancti illius positum legi: *Credendum est beatam Virginem ampliora angelis promeruisse virtutum privilegia: et percepisse gratiam, ab angelis etiam collaudatam.* Et illud: *Si mirabilis est eorum virtus et firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Maria, quam obumbravit virtus Altissimi, ut ultra omnem virtutem angelicam sit quod factum est in ea, et admirabile cunctis sæculis sacramentum. Quæ partim in hac vita, partim in futura, in ipsa et de ipsa impleta sunt.* Porro duo versus qui sequuntur, quorum primus sic incipit: *Ac per hoc etiam angelis exinde major præstatur gratia usque ad finem* C *secundi, ubi legitur: Tanto clarior resultat in gloria, non de hac, sed de futura intelliguntur. Et, ne longus singula discutiendo fiam, reliqua similia sic legenda, intelligenda et distinguenda sunt.*

Tertia quæstio ex ejusdem doctoris de ejusdem sermone beatæ Virginis exorta est verbis, quibus dicit: *Tempus non præjudicasse sacramento uniti hominis ac Dei, ita ut jam esset in illo per unitatem personæ ab initio sæculi, qui necdum erat natus de Maria virgine.* His verbis moveri se sagax et circumspecta eruditio tua ideo fatetur, quod eum, hoc est hominem a Deo assumptum, qui necdum erat natus de Maria virgine in illo, hoc est Deo, a quo assumptus est, ab initio sæculi D *jam per unitatem personæ fuisse affirmat. Pulsas ergo, et singulari nostro tempore vigilantia tua me velut circa talia studia frequenter dormitantem, imo etiam dormientem excitas et non ad legendum tantum, sed et ad intelligendum quæ legere, instigas. Et vere in hoc hujus tractatus loco, sic mihi nunc contigit. Sæpe enim, imo pene assidue, in nocturnis ipsius dominæ nostræ officiis hoc legi audieram, nec ita ut nunc adverteram. Sed postquam flatus studiosi pectoris tui, in emortuum pene, quantum ad istud pertinet, intellectus mei igniculum sufflavit, aliquanto ac subito inde extorto lumine, præcedentes tenebras utcunque fugavit. Vidi namque, prout mihi videtur, verba*

A illa sancti illius, præterquam se aliorum sanctorum de hujusmodi re tractatus habeant, aliquid novi sonare, intellectui tamen catholico per omnia concordare. Et quoniam de tanti viri fide et sano intellectu, nusquam nostri temporis vel linguæ Ecclesia, saltem in modico dubitavit, utpote quem inter præcipuos fidei suæ defensores, post apostolos et martyres habet, ad defendendum catholicum ejus sensum, minus forte usitatis verbis prelatum, omnem quam possumus operam dare debemus. Neque enim solus es, qui hujusmodi verbis ejus moveris, cum meminerim me ante biennium, vel triennium cum quodam et erudito, et ut creditur religioso, eadem verba prave interpretante, non semel tantum, sed frequenter egisse. Nam sumpta B *ex verbis illis occasione, peregrina quædam et pene hæretica magis conicere quam astruere videbatur, antiquis illis hæreticis fere consonans, qui Salvatorem humanam carnem ante Virginem de cælis attulisse, et suspicati sunt et professi. Quod sanctum illum sensisse nefas est opinari, cum eum ab hac suspicione, et singularis eruditio, et fides probatissima, et maxime ipsa ejus verba non dubia, non obscura, sed certa et clarissima adjuncta his, de quibus agitur verbis, omnino defendant. Ait enim sic in sermone illo, unde verba jam dicta excerpta sunt: Non quod jam, inquit, Jesus aut Christus esset ex Maria, sed quia in illo unico Filio Dei, jam unitas personæ commendabatur: quæ occulta erant in mysterio. Quid apertius? Plane, ut vides, negat quod Jesus aut Christus, quantum ad carnem susceptam de Virgine, ante Virginem fuerit. Quis ergo eum quod tam aperte negat, sensisse fatebitur? Sed objicis: Verum est quidem quia hoc negat. Astruit tamen constanter et prædicat tempus non præjudicasse sacramento uniti hominis ac Dei. Est statim evidentius. Ita, inquit, ut jam esset in illo per unitatem personæ ab initio sæculi, qui necdum erat natus de Maria Virgine. Ac post aliqua: Ideo jam Jesus erat in Filio qui populum educebat, et Christus in eo qui tentabatur, quoniam per sacramenti unitatem in Deo fuisse non dubitatur. Et versu interposito: Scrutandæ, inquit, sunt Scripturæ in quibus unitas in Christo commendatur personæ, cui non præjudicat tempus, ne unus semper dicatur.*

Quid ad ista dicetur? Dicit jam fuisse in illo, hoc est in Deo, per unitatem personæ, eum, id est hominem, qui necdum erat natus de Maria Virgine. Dicit jam Jesum fuisse in filio, et Christum in eo qui tentabatur, dicit unitati personæ Christi tempus non præjudicare, ne unus semper dicatur. Quomodo tempus non præjudicabit huic diversarum naturarum unitioni, cum divina ab æterno semper fuerit, humana ex Virgine esse cœperit? Quomodo non præjudicabit tempus, ne unus semper dicatur, cum hanc diversarum naturarum, hoc est humanæ et divinæ unitationem, nullum præteritum tempus habuerit, sed ex tempore Virginis de ipsa assumpta,

ac Filio Dei unita, unum Deum et hominem et esse et dici fecerit? Non re, inquam, sed sacramento, vel mysterio. Hæc etenim verba ab ipso ponuntur, cum tempus non præjudicasse sacramento dicitur, cum unitatem personæ occultam in mysterio fuisse fatetur. Sed rursus quæris quod sit hoc sacramentum, vel quale hic intelligatur mysterium. Et prorsus, ut mihi videtur, tota hæc quantacunque difficultas quæstionis in verbis istis, vel circa ea versatur. Cum enim in omni sacramento duo semper quæri soleant, occultans et occultatum, signans et signatum, nam et hoc ejus vel definitio vel descriptio notat, sacramentum scilicet dici cujuslibet sacræ rei signum, quæri potest et de isto de quo nunc agitur sacramento, quid in eo occultum, quid manifestum, quid signans, quid intelligatur signatum. Nam de nomine mysterii si quærat, certum est quia in hoc differt a sacramento, quod sacramentum semper aliquid tegere dicitur, mysterium tegi, non tegere prædicatur, licet aliquando alterum pro altero ponatur. Hoc est ergo totum quod intellectui legentis hanc obscuritatis nebulam superducit: quod in innumeris tam Veteris Testamenti quam Evangelii sacramentis quid pateat, quid lateat statim cernitur: in isto vero, de quo sermo est, sacramento, quid pro signo, quid pro signato accipi debeat non videtur. Quæritur enim, ut sicut verbi causa in antiquis sacramentis duo hæc diversa apparent, mare Rubrum quod videbatur, et Christi baptismus qui eo mari præsignabatur, agnus paschalis, quem Judæus comedebat, et Christus quem idem Judæus occisurus, et Christianus comesturus erat, tabernaculum quod Moyses, vel templum quod Salomon construxit, ac nostri temporis Ecclesia, quam utraque fabrica præsignavit; sicut, inquam, in his tribus sacramentis duo hæc distincta monstrantur, sic et in isto distingui quærentur. Nam verbum mysterii quod similiter ponitur, clarius elucescit, præcipue cum Apostolus de re simili hoc idem verbum in Epistola ponat, dicens mysterium temporibus æternis tacitum (*Coloss. 1*). Et, ne diu quod aliter inveniri non potest quærens, mihi laborem infructuosum, lectori prolixitatem tædiosam importem, nihil eum aliud sacramenti vel mysterii nomine intellexisse, nihil aliud distinxisse vel astruxisse arbitror, quam ipsum æternum et latens Deitatis consilium, quod penes eum æternaliter fuit, sed hominibus temporaliter apparuit. Hoc indicant et verba ipsius, quæ disputationi profusæ interserit, dicens: *Quod si tibi novum videtur, quod pro te hominem assumpsit, noveris quod semper cum eo et in ejus consilio fuit ut sic fieret; et nunc quando plenitudo temporis venit, id factum est, quod et in Christo semper fuit.*

Hoc certe totum est, quantum mihi videre datur, quod asserit; hoc totum, quo unitatem personæ Christi ex Deo et homine etiam ante Virginem factam docet. Hoc totum quod mysterium vel sacra-

mentum nominat non quod jam ut ipse fatetur, hoc est ante Virginem, esset Jesus aut Christus realiter, sed quod jam in immutabili deitatis consilio constabat æternaliter. Sicut enim semper Deus Verbum apud Deum erat, sic in immutabili et æterno, ut dictum est, consilio, quod nondum re subsistebat, Verbum caro factum erat. Quid autem mirum, si hoc de Christo et ipse sensit, et nos sentimus, cum de quolibet hoc homine, et de ipsis etiam creaturis inferioribus sentiamus? Nam de hominibus electis, ait Apostolus, quod et sanctus ille ad confirmandum quod probare intenderat, adducit. Qui elegit nos in ipso, hoc est in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati (*Ephes. 1*). Qui ergo elegit homines antequam essent homines, et elegit ut essent sancti et immaculati, antequam esse possent sancti et immaculati, quid mirum si ab Hieronymo, imo ab ipso Apostolo tunc dicitur fuisse Christus, quando nondum erat unde dictus est Christus? Quid mirum plane, si hoc dicitur de rationali animante, cum legatur simile quid dictum ab eodem Apostolo de irrationali, imo etiam de insensibili creatura? Loquens enim in Epistola ad Romanos de fide Abrahamæ, eamque magnifice commendans, introducit Deum ei dicentem: *Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (*Rom. iv*). Ergo, juxta istam sententiam, vivificat Deus mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Quod si Deus vivificat mortuos, imo quod plus est, secundum aliam Evangelii sententiam, omnes ei mortui adhuc mortui vivunt (*Luc. xx*), non quod vere quantum ad carnem vivant, sed quod apud ejus, per quem victuri sunt, immutabile consilium jam quasi vivunt, si non solum mortuos, sed etiam quælibet alia nondum existentia sic vocat velut jam existerent, quia futurum esse rerum illarum apud ejus constans consilium jam existit, quid vel valde mirandum, vel diu disputandum est, si in eadem persona Deus homini uniendus, jam ab initio sæculi unitus esse dicitur, cum non re ipsa, ut dictum est, sed firmo ac constanti deitatis consilio, unio illa ab æterno facta esse credatur? Nam et inde dictum est: *Qui fecit quæ futura sunt.* Hoc confirmat et illa sublimis, ac orbi terrarum jam ab antiquo Evangelii nota sententia: *Quod factum est, in ipso vita erat* (*Joan. 1*). Neque enim angeli vel homines, sol et luna, cælum et sidera, mare ac terra, et quæ infra continentur in verbo Dei substantialiter vivebant. Nam, si sic in eo viverent, ei coætæna essent. Sed quod factum est, in ipso vita erat, quia in ejus non mutanda voluntate vel consilio, quidquid creandum erat existebat, imo, ut verbo evangelico utar, in illa immutabili voluntate vel consilio, proprium esse sine dubio sortiturum, jam vivebat. Quod si ista omnia in illo verbo Dei hoc modo vivebant, quare non illa carnis humanæ cum ipso Verbo Dei unio, quæ suo tempore futura

erat, hoc modo jam ab æterno facta non dicetur, non scribetur, non prædicabitur, maxime cum Apostolus dicat : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis?* (Rom. 1.) Homo enim ille a Filio Dei assumptus, et congruo tempore ei personaliter unitus, ante omne sæculum, ante omne tempus, ante omnem creaturam, Filius Dei prædestinatione æterna factus est, et qui secundum Spiritum sanctificationis in Virgine supervenientem et ei obumbrantem, postquam, juxta

A Apostolum, venit plenitudo temporis, in eadem Virgine essentialiter conceptus, et de ea natus est (Gal. iv), ipse, juxta psalmum, ante luciferum (Psal. cix) jam dicta prædestinatione hac et sempiterno consilio eidem æternaliter unitus est. Si ergo clarior vel verior sententia de verbis propositis non alluxerit, ista interim teneatur; et si tibi, charissime, cui hanc epistolam scripsi, sic visum fuerit, secure lectio sæpe lecta legatur.

LIBER QUARTUS.

EPISTOLA PRIMA.

Suo Trencensi episcopo, frater PETRUS humilis, quod solet.

Ecce rediit rex, Marte succincti duces jam domesticos lares revisunt, apparatus bellicus conquievit, nullus episcopum militare cogit, fervor ætatis qui timebatur fugit, autumnus temperies ad procedendum arripit, messes in horreis reconditæ sunt, musta jam in doliis fervent, nulla domus necessitas, nulla reipublicæ cura, iter amici ad amicum impediunt. Exclusa sunt omnia, quæ obtendi solebant, non veniendi argumenta, solum velle aut nolle, absque negotiorum involucris, absque excusationum operculis, jam nude resectum patebit. Ipse insuper dominus Hugo, qui solus expectabatur comes itineris, vel Vizeliacum, vel Autisiodorum, vel etiam Treca, si a vobis jussum fuerit, adibit; et si ante præmissus partibus vestris nuntius hoc dixerit, die Nativitatem beatæ Virginis subsequente, ad vos iturus iter arripit, nec quousque vos vestris Cluniacensibus reconstituet, dimittet. Et quia desiderium, imo esuriam vos videndi satís, ut credo, aliæ litteræ loquuntur, taceant istæ, ne forte toties iterata legatio, dum nihil efficit, subtilius insipientibus videatur aut superflua, aut contempta.

EPISTOLA II.

Suo Cluniacensi abbati, suus Trencensis episcopus, idem quod sibi.

De paupere vena ingenii nostri vestris litteris respondere paravam. Repressi tamen me, ne eloquentia vestra paupertatem verborum meorum sepeliret. Abbas Clarævallensis præsens erat. Carnotensis episcopus domos nostras obsederat. Nicolaus meus, imo et vester, Roma redibat, comes Theobaldus (120) pro negotiis suis instanter et constanter me perurgebat. Et ecce litteræ amici, manus

ANDREÆ CHESNI NOTÆ.

(120) *Comes Theobaldus.* Palatinus Campaniæ qui perpulchras habet in Chronico Lemovicensi laudes. In eo namque circiter annum 1156 vocatur, « Theobaldus comes Campaniæ, pater orphanorum, et iudex viduarum, cæcorum oculus, pes claudorum, in sustinendis pauperibus singulariter munificus, in construendis monasteriis et erga religiosos quosque incomparabilis largitate. »

(121) *Pro domino rege Franciæ.* Ludovico VII,

B amici ingrediuntur. Furor me ipsum omnibus, imo et mihi, et gaudentes oculi desiderata pagina perfruuntur. Obstupui, fateor, et dulcedine litterarum, et extirpatione negotiorum, quæ vos ita ore aureo suppressistis. Vere rediit rex, siluit armorum strepitus, aeris aspiravit clementia, sed menses in horreis reconditæ non sunt, quia eas menses non invenerunt. Spes fuit in oculis, sed ecce luctus in manibus, quia tempestas a Domino immissa, faciem terræ nostræ vindemiavit. Musta in doliis non sunt, quia vineæ nostræ vix adhuc maturescere cœperunt. Frequens episcopatus nostri necessitas, rei cura familiaris, prohibent ne exeamus. Sed, si negotiis credimus, quando negotia finem habebunt? Eripiam me de corpore mortis hujus, et ibo ad illum, quem diligit anima mea, ut videam voluntatem Domini, et visitem templum ejus. Quinta die ante festivitatem sancti Remigii, domnum Hugonem Trencis habere volumus, ut cum illo, et per illum, quos videre desideramus, jam tandem videre possimus.

EPISTOLA III.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, obedientiam et amorem

Si quid minus sapienter dixero, rogo ut pietas paterna supportet. Nam fortassis ineptum esse poterit, sed indevotum erga vos esse non poterit. Pro domino rege Franciæ (121), magno, nobili et speciali filio vestro, benignitatem apostolicam deprecor, ut quia non solum rex est, non solum magnificus rector Christiani populi est, sed etiam quia opus manuum vestrarum est, quem ad regnum provexistis (122), quem sacris manibus vestris inunxistis, quem Gallis nostris potentioribus patribus regem designastis, si quid forte adhuc ut ætate juvenis inconsulte egit, ei condescendatis, et ejus forte

Juniore dicto, qui filius fuit Ludovici VI, cognomento Grossi.

(122) *Quem ad regnum provexistis.* Joannes Paris. ad annum 1151: « Hoc anno, inquit, synodum Remis papa Innocentius celebravit, in qua sanctus Bernardus affuit, multisque ad honorem Dei dispositis, Ludovicum filium Ludovici præsentem patre in regem coronavit. »

errorem sapientiae vestrae velamine contegatis. Est enim patris, ut filii, et maxime tanti, et errorem emendet, et honorem conservet. Hoc pro dissidio, quod inter ipsum et dominum Bituricensem archiepiscopum (123) est, dico. Est enim, sicut sensi, res non levis, et, ne de gravi incepto graviolem vergat in exitum, multum cavenda. Spiritus autem consilii, qui spirat ubi vult, qui per vos Ecclesiae suae per totum orbem diffusae assidue consulit, etiam nunc per vos regno Franciae non vili portioni Ecclesiae suae consulat, et tam de his quam de omnibus, unctio ejus cor vestrum edoceat. Nam non est meum ultra procedere, vel sapientiam vestram, cui per Dei gratiam utile consilium non deerit, quid in isto negotio agendum sit, edocere. Praeterea notum facio, Luxoviense monasterium, cui anno praeterito per fratres nostros Cluniacenses providere voluistis, et vere, sed brevi tempore providistis, in deteriolem statum quam prius fuerat relapsum, omni pene monastica religione et observantia destitutum, parum a saecularibus differre, in tantum ut quod praecipuis temporibus cuncta Galliarum monasteria antebat, nunc pene universa vix a longe sequi videatur. Additur ad hoc malum hebetudo, ne dicam stultitia pastoris, qui ita gregi proprio praest, ut jam fere de abbate nihil ei nisi nomen supersit. Quid plura dicerem? *Omne caput languidum, et omne cor mærens. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas (Isa. 1).* Provideat Pater filiis.

EPISTOLA IV.

Summo pontifici et nostro speciali Patri, domino papae INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, obedientiam et amorem.

Magister Petrus sapientiae vestrae, ut credo, optime notus, nuper a Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit. Quaesivimus quo tenderet. Gravatum se vexationibus quorundam, qui sibi, quod valde abhorrebat, nomen haeretici imponebant, majestatem apostolicam se appellasse, et ad eam confugere velle respondit. Laudavimus propositum, et, ut ad notam et commune refugium confugeret, admonuimus. Justitiam apostolicam, quae nulli unquam etiam extraneo vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, ubi ratio postularet, sibi occursum promissimus. Venit interim dominus Cisterciensis abbas, et de pace

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(123) Hoc pro dissidio quod inter ipsum, et d. Bituricensem archiepiscopum. Petrum de Castra sine dubio, qui nobili Castrensi in agro Bituricensi familia satus, ab Innocentio II Biturigas missus archiepiscopus electus fuerat, et refragante Ludovico rege, a dicto Innocentio consecratus, ut de eo Guillelmus de Nangiaco scripsit.

(124) Heraclium Lugdunensem canonicum, nostrum carne germanum. Heraclius hic frater Petri venerab. quem et alii Eraclium nuncupant, ex canonicatu postea fuit euectus ad archiepiscopatum Lugdunensem; et in ea dignitate multis a Federico Romanorum imperatore praerogativis, honoribus, ac beneficiis cumulatus ac sublimatus, ut vel hoc

A ipsius et Domini Clarevallensis, cujus causa appellaverat, nobiscum et cum ipso pariter egit. Deditimus et nos operam paci ejus, et ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, ut si qua catholicas aures offendentia aut scripsisset aut dixisset, hortatu ejus et aliorum bonorum et sapientium, et a verbis suis amoveret, et a libris abraderet. Et factum est ita. Ivit, rediit, cum domino Clarevallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis se pacifice convenisse, reversus retulit. Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo, ut credimus, inspiratus, dimissis scholarum et studiorum tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. Quod nos senectuti ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere putantes, et scientiam ejus vobis ex toto non incognitam, magnae fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes, voluntati ejus assensimus, et, si sic benignitati vestrae bene placitum esset, benigne et cum gaudio nobiscum, vestris ut nos per omnia, remanere concessimus. Rogo igitur ego qualiscunque tamen vester, rogat devotissimus vobis Cluniacensis conventus, rogat ipse per se, per nos, per praesentium latores filios vestros, per has quas ut scriberem rogavit litteras, ut reliquos dies vitae et senectutis suae, qui fortasse non multi sunt, in Cluniaco vestra cum consummare jubeatis, et ne a domo, quam velut passer, ne a nido, quem velut turtur, invenisse se gaudet, aliquorum instantia aut expelli aut commoveri valeat, more quo omnes bonos colitis, et etiam istum dilexistis scuto defensionis apostolicae protegatis.

EPISTOLA V.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papae INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis fratrum Cluniacensium abbas, obedientiam et amorem.

Confusus de benignitate paterna soleo filiali praesumptione etiam remotos et ignotos majestati apostolicae commendare. In quibus quia me saepe exauditum persensi, de notis et proximis me magis audiendum esse speravi. Unde domnum Heraclium Lugdunensem canonicum, nostrum carne germanum (124), pietati apostolicae de ea confixus, commendando: cui nulla alia urbem adeundi causa existit, quam ut Patrem viseret, ejusque animum mul-

dicti Federici praecipuum Arbosii datum anno 1157 evidentissime demonstrat: « In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Federicus, divina favente clementia, Romanorum imperator et semper Augustus. In examine cuncta Dei prospicientis aequale meritum credimus fere dantis et corroborantis. Credimus etiam ad imperialem nostram majestatem pertinere, omnium sanctarum Dei Ecclesiarum, praecipue earum quae specialiter sub jure ac dominio Romani imperii consistunt, commoda considerare, et perpetuo valitura corroboracionis nostrae suffragia eis impendere, si quid est incommodi abolere, ut inter saevientis hujus pelagi procellas secure et intrepide Deo servire, et pro stabilitate imperii nostri divinam misericordiam indefessis precibus va-

tiplicibus filiorum utilitatibus occupatum, sibi ar- A
ctius conciliaret. Rogo pro eo, nec rogare erubesco,
quoniam testimonium præteritæ juventutis ejus
maxime inter sæculares, ut dicitur, clericos, nec
in precibus confundit, nec aures vestras ab his
exaudiendis avertit. Quærat hoc, si placet, diligen-
tia pristina, a Lugdunensi, in qua educatus et magis
conversatus est, Ecclesia, quærat et a domino Ste-
phano archidiacono, cui si credi debeat, vos ipsum
judicem facio. Suscipiatur ergo, obsecro, in affectu
vestro, foveatur in gremio vestro, ut cum se a gra-
tia vestra senserit non exclusum, ea instantius agere
studeat, pro quibus et Dei et vestram gratiam sibi
multiplicius acquirat.

EPISTOLA VI

Honorandis et diligendis fratribus, domino LIONI ab- B
bati, domino STEPHANO archidiacono, et toti sanctæ

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

leant exorare. Noverit igitur omnium Christi imperii-
que nostri fidelium, tam præsens ætas quam suc-
cessura posteritas, quantis honoribus progenitores
nostri, et divi imperatores Lugdunensem Ecclesiam
sublimaverunt, quam largis beneficiis ditaverunt,
et quam digne eam nobis successoribus eorum im-
posterum transmiserunt imperialibus dignitatum fa-
stigiis exaltandam. Venientem itaque ad curiam
nostram ejusdem sedis Lugdunensis (quæ antiquis
temporibus, vita gentilium primis flaminibus, vel
primis legis doctoribus, cæteris civitatibus præmi-
nebat, nunc autem divina religione et imperiali ma-
gnificentia, latius præsidet, et inter omnes Ecclesias
Galliarum prima est, et primatus dignitate præful-
get) Eræckum archiepiscopum et primatem debita
honorificentia suscepimus, et consueta benevolentia
tractatum sicut prædecessorum nostrorum pia ac
veneranda sanxit auctoritas, et sicut sacra eorum-
dem nos informabant monumenta, de universo cor- C
pore civitatis Lugdunensis, et de omnibus regalibus,
infra vel extra civitatem per totum archiepiscopa-
tum constitutis, quæ tam antiquo quam moderno
tempore visa est habere Lugdunensis Ecclesia, ple-
nariè eum investimus. Concessimus itaque præfato
archiepiscopo et primati Eræchio, et per eum omni-
bus successoribus ejus in perpetuum, totum corpus
civitatis Lugdunensis, et omnia jura regalia, per
omnem archiepiscopatum ejus citra Ararim, infra
vel extra civitatem in abbatibus et earum possesso-
ribus, monasteriis, Ecclesiis, et earum appenditiis,
ubicunque sint, comitatibus, foris, duellis, merca-
tis, monetis, naulis, teloneis, pedagogiis, castellis,
villis, vicis, areis, servis, ancillis, tributariis, de-
cimis, forestibus, silvis, venationibus, molis, mo-
lendinis, aquis, aquarumque decursibus, campis,
pratis, pascuis, terris cultis et incultis, et in omni-
bus aliis rebus quæ in Lugdunensi episcopatu, ad
imperium pertinent. Concedimus quoque et casa- D
menta, tam comitis Savoyæ quam alia omnia de
antiquo et novo jure ad Ecclesiam Lugdunensem
pertinentia, et in supradictis omnibus sive infra
episcopatum vel extra sint, generalem jurisdictionem.
Nulla igitur in supradictis omnibus infestatio
tyrannorum sæviat, nullâ potestas ibi per violen-
tiam irruat, nullus comes, aut judex in his legem
facere præsumat præter archiepiscopum et primatem
Lugdunensem. Omnis Ecclesiæ possessio pro im-
munitate habeatur. Sit illa civitas Lugdunensis et
totus episcopatus liber ab omni extranea potestate,
salva per omnia imperiali justitia. Quatenus ibidem
Deo famulantes et primi constructoris memoriam
digne celebrare, nosque fautores et corroboratores
possint et velint Deo sedulis precibus commendare.

Lugdunensis Ecclesiæ capitulo, frater PETRUS, hu-
milis Cluniacensium abbas, salutem.

Præceptum Apostoli est: *Pacem sequimini cum
omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit
Deum (Hebr. xii)*. Item ejusdem mandatum est: *Si
fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus homini-
bus pacem habentes (Rom. xii)*. Hæc ego et similia
sacræ legis jussa attendens, fraternæ charitati et
paci, sicut mihi conscientia attestatur, omnem jam
ab antiquo operam dare disposui. Nec istud dile-
ctionem vestram ex toto latere arbitror, cum ex-
cepto præteriti anni discidio, jam per viginti fere
annos nulla inter Lugdunensem et Cluniacensem
Ecclesiam his, nullum jurgium, nulla vel parva ami-
citiæ læsio Christo corda nostra ad invicem uniente,
contigerit. Hanc unitatem temporibus reverendæ
memoriæ Hubaldi, Rainaldi, Petri, archiepiscopo-

Cæterum ut Lugdunensis Ecclesia dominum suum
imperatorem Romanorum recognovisse se semper
exsultet et gaudeat, archiepiscopum ejus ampliori
et eminentiori prærogativa dignitatis quæ a nostra
imperiali excellentia esse possit, semper videlicet
sacri palatii nostri Burgundiæ gloriosissimus exar-
chon, et summus princeps consilii nostri, et in om-
nibus faciendis, agendisque nostris præcipuus. Ut
autem hæc nostra donatio, et confirmatio perpetuæ
firmitatis robor obtineat, præsentem inde paginam
conscribi, et bulla aurea jussimus insigniri, anno-
tato signi nostri caractere, et adhibitis idoneis tes-
tibus, quorum nomina hæc sunt: Humbertus Bi-
suntinus archiepiscopus, Ado abbas Sancti Eugendi,
Heinricus curiæ protonotarius, Eberhaldus archi-
diaconus Bisuntinus, Matthæus dux Lotharingiæ,
Bertolphus dux de Cenuga, Leopoldus frater ducis
Bohemie, Udalricus comes de Luceburg, Hugo co-
mes de Tagesburg, Stephanus comes.

Signum domini Federici Romanorum imperatoris
invictissimi.

« Ego Reinaldus cancellarius vice Stephani
Viennensis archiepiscopi et archicancellarii, reco-
gnovi.

« Datum Arbosii xiv Kal. Decembr., indict. v,
anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo
quingentesimo septimo, regnante domino Frederico
Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni
ejus sexto, imperii vero tertio. »

Fuit demum et Sancti Justi Lugd. abbas, et se-
dis etiam apostolicæ per Gallias legatus, ut ipsemet
hoc alio præcepto testatur: « Heraclius Dei gratia
Lugdunensis archiepiscopus, apostolicæ sedis le-
gatus, omnibus in perpetuum. Noverint præsentis
et posteris quod nos et Ecclesia Sancti Justi, cui
abbatis nomine Domino volente præsidemus, con-
cessimus domui de Chasiriaco, interventu venera-
bilis fratris nostri Tarentasiensis archiepiscopi, in
perpetuum decimas terrarum quas in parrochia
Villarii acquisierunt, vel acquisituri sunt, cum eas
agricolarum more incoluerint, retento nobis et
Ecclesiæ nostræ Sancti Justi annuali censu, pro
uno quoque aratro, duobus sextariis siliginis, in
Calamontensi mensura. Testes fuere Guillelmus de
Marsiaco, Gaudemarum Brun, Artaudus, Girinus
Escoti, magister Beruo, Aymo Columbi. Et ut hoc
de cætero firmum maneat, sigillorum nostrorum
nos et conventus noster auctoritate volumus con-
firmari. »

Et hæc ad commendationem germani abbatis no-
stri, licet forte prolixiora quam illustratio loci re-
quirebat, adnotata sint.

rum, devote conservare studui, et ut a nostris integre conservaretur, pro posse semper effeci. Servavi igitur, et semper, ut dictum est, servare proposui, inter nostros et vestros pacis et concordiae bonum: nec quosdam etiam antecessorum in saepe commovendo animos vestros secutus sum, et ut vinculum hujus charitatis indissolubile maneret, assidue facere nisus sum. Admiror ergo, et adhuc familiarem coram vobis querelam depono, quod pactum pacis, in quod per manus sapientium et religiosarum personarum nondum finito anno convenimus, non quidem omnes, sed quidam vestrum ut mihi relatum est, dissolverunt, et ne apud Villamfrancam dominus Lugdunensis archiepiscopus secundum placiti tenorem, coemeterium dedicaret, etiam publice prohibuerunt. Quod utrum fieri debuisset, ipsi videte. Ut tamen quidquid ad nos pertinet, verbo et opere impleatur, moneo reverentiam vestram, et ne fastu aliquo me hoc dimittere putetis, etiam rogo, ut morbum discordiae nuper sanatum nequaquam rursus serpere permittatis, et jam pacem, quam nos vobis non fecte servare volumus, vos quoque nobis ex corde servetis. Et ne in quemlibet vel parvum obicem, pes inter nos mutuae pacis offendat; si quid forte de tenore pacti, quod tamen nescimus, restat implendum, parati sumus implere, et omnem, quantum in nobis est, materiam discidii vel scandali amputare. Non solum enim vobiscum, quos sicut viros ecclesiasticos decet, pacem diligere credimus; sed etiam cum his, qui oderunt pacem si fieri posset, pacifici semper esse vellemus.

EPISTOLA VII.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papae INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, obedientiam et amorem.

Verbosus saepe sum vobis, et sicut timeo, onerosus. Consolatur hunc meum timorem pietas paterna, quae vix filiis solet irasci: et si irascitur, cito solet placari. Clerus Luxoviensis [Lexoviensis], et populus, et tota simul, ut audivi, Ecclesia destituta morte episcopi sui (125), dominum Arnulfum Sagiensem archidiaconum (126), sibi in pontificem et pastorem elegit, et a domno Rothomagensi, ad quem jure canonico consecratio spectabat, consecrari more ecclesiastico fecit. Eum, inquam, elegit, eum consecrari fecit, non solum quia optimi et singularis inter suos testimonii persona est, non solum quia nobilis

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(125) *Lexoviensis Ecclesia destituta morte episcopi sui.* Joannis, qui decessit anno 1140.

(126) *Arnulfum Sagiensem archidiaconum.* Praefati Joannis nepotem, qui et epistolas plures et egregias scripsit, quas ex Bibliotheca Odonis Turnebi Adriani filii habemus, et post regimen annorum quadraginta tandem episcopatu cessit, ac in cenobio S. Victoris Paris. ordinem canonicorum regularium S. Augustini professus est, quibus et antea, videlicet anno 1170, ecclesiam B. Petri de Gaceio Lexoviensis diocesis in eleemosynam concesserat, ut ex ejus super ea concessione litteris palam est.

(127) *Comes Andegavorum.* Gaufridus, cognomento

A litteraturae est, non solum quia prudentia et strenuitate vobis, ut credo, non incognitus est; sed quia vester specialis filius, et Romanae Ecclesiae ab ipsa adolescentia familiaris alumnus est. Nam quis eum Romanae Ecclesiae alumnum non agnovit, qui eum audivit? Quis eum non a puero educatum in sinu Romanae Ecclesiae non putavit, quicumque eum de illa loquentem advertit? Quis non eum vere vestrum, quantum ad spiritum spectat, filium judicavit, qui ejus non tantum verba audire, sed, quod nostro tempore perrarum est, scripta legere potuit? Quae, sicut Salomon ait: *non agnoscitur in bonis amicus, nec absconditur in malis inimicus* (Eccli. xii), ita eum amicum schismatis tempore prodiderunt, ut pene superfluum sit eum nos de fidelitate et amicitia commendare, quem tanti tempestatum et turbinum tumultus, fidissimum et devotum alumnum noscuntur probasse. Prosit ergo Ecclesiae, quae eum elegit, quae illum sibi hac fiducia pastorem praefecit, quod honestatem in eo, quod scientiam, quod in juvenili aetate morum maturitatem, quod tandem in ejus promotione vestram gratiam concupivit. Prosit, ut ejus electio et consecratio a sede apostolica confirmetur, nec contra eum non solum ejus, sed et totius Ecclesiae Dei, quae in partibus illis est, hostis, comes Andegavorum (127) aliquatenus audiatur. Quidquid enim dixerit, quidquid sub nomine appellationis a se factae praetenderit, certum est eum appellasse, non ut gravatum, sed ut gravare volentem; non, ut oppressum, sed ut opprimere cupientem; nec ut justitia pro se faceret, sed ut iniquitas aequitatem, ut falsitas veritatem vinceret, meditantem. Ne enim episcopus Luxoviensis Ecclesiae fieret, voluit nequitiae suae moras lucrari, ut pastore absente, non esset qui lupo resisteret, nec esset qui morsibus belluinis ne gregem Dei pessunderent, vel in modico obviaret. Videat haec omnia sapientia vestra, provideat his omnibus pietas vestra, et, ne tyrannus, ut dicitur, appellatione apostolica non tyrannis, sed indigentibus debita, abutatur, permittat prudentia vestra.

EPISTOLA VIII.

Venerabili domino, domno MILONI Morinorum episcopo (128), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Quoniam charitatis laesio apud Deum tanti penditur, ut, sicut novit eruditio vestra, nec manus

Plantagenest, Fulconis regis Jerusalem filius, et Henrici II Anglorum regis pater.

(128) *Miloni Morinorum episcopo.* Primo nomine, qui consecratus anno Christi 1131 sedem tenuit usque ad annum 1149, multumque commendatur etiam a Roberto de Monte his verbis: « Anno 1139 florebat Gallicana Ecclesia, per viros religione ac sapientia illustres, Milonem Morinensem episcopum, humilitatis virtute praecipuum, Aluisum Atrebatensem liberalitate, atque consilio et facundia clarum, Godefridum Lingonensem, Hugonem Antisiodorensem, Joslenum Suessionensem, Gosfridum Carnotensem, Albericum Bituricensem archiepiscopum scientia litterarum atque consilii prudentia

cum ea ad altare oblatum suscipiatur, nec eleemosynæ suffragentur, nec martyrium prosit, nec peccata dimittantur, imo jam dimissa ad actorem revertantur, non debeo dissimulare, nec animum adversus fratrem, et maxime episcopum commovere, nisi forte justa fuerit zelo justitiæ commotionis materies. Nam pro justitia moveri, non est charitatis læsio, sed æquitatis actio. Vellem, si Deus gratiam largiretur, hunc animum erga omnes habere, vellem hunc etiam et vobis integre conservare. Quod ut melius possim, proposui non occultare animum meum vobis, nec in corde et corde loqui; sed quod me ad commovendum instigat, sicut amico absque ullo doli velamine denudare. Relatum nobis est, si tamen ita est, non a paucis, non a quibuslibet, sed a pluribus et magnis personis vos (quod salva fraternæ pace dico) ordine monastico derogare, data qualibet vel levi occasione frequenter lacerare, in publicis inde conventibus etiam declamare, ejus bona etiam maxima extenuare, leves excessus, qui adhuc ut hominibus, non angelis aliquando subripiunt, sermonibus rethoricis aggravare. Dictum est et hoc in synodo vestra coram cleri et populi multitudine imprecatam vos esse, ut Cluniacensium superbiam Deus destrueret, populoque a vobis injunctum, ut hinc Dominum exoraret. Et utinam misericors Salvator in nobis et nostris, atque in omnibus suis, non solum superbiam, sed et omnes usque ad solum Satanæ parietes destruat, muros in eis Jerusalem spiritualis construat, indeque omnium bonorum preces exaudiat. Sed, si hoc erat dicendum, non erat deridendum; si erat admonendum, non erat prædicandum; si erat orandum, non erat declamandum. Nam esto. Superbi sumus, rei sumus, peccatores sumus. Sed non tamen erant peccata fratrum in Ecclesia prædicanda, non erant delicta monachorum in exemplum populo proferenda; ne monachos superbos, et maxime Cluniacenses, populus audiens, ad imitandum traheretur, ne superbiam, quam in monachis audiebat notabilem, ideo in se minus damnabilem credere deceretur. Non satis idonea ad evitandam superbiam persuasio est, propositum exemplum superbiam, cum magis contrariis humilitatis et aliarum virtutum exemplis, morbus superbiam et aliorum malorum ab humanis pectoribus soleat expurgari. Oportuerat, sapientiam vestram, hoc non in Tarawanensi populo, sed in Cluniacensi ca-

pitulo prædicare, et ad humilitatis viam, fratrum nostrorum superbiam, ut pontificem decet, sacris persuasionibus revocare. Fuerat hoc ingerendum, sine populis, auribus ipsorum, non sine illis, auribus populorum, ut eos exhortatio corrigeret, non derogatio diffamaret. Non enim de tam diversis et remotis partibus terrarum Cluniacenses fratres audire, nedum exaudire poterant apud Tarwanam episcopum, de eorum superbia disputantem, cum fortassis obtemperassent, si eum audissent se de talibus in capitulo suo, cui bis aut ter interfuit, admonentem. In illo, inquam, capitulo, cui, sicut dixi, bis aut ter interfuit, et ubi superbos illos de amicitiam, beneficiorum, argumentorumque promissione, non modicum exhilaravit. Non ita episcopus Augustinus vera vel falsa fratrum mala populo prædicavit, vel in scriptis suis prædicari mandavit, cum dixit: *Ubi oritur peccatum, ibi moriatur, nec ad plures ejus correctio quam notitia extendatur.* Non ita Patres priores et magistri Ecclesiarum Dei, non ita, ut de nostri temporis singularibus viris loquar, domnus Guigo prior Carthusiensis, qui hoc de fonte veræ, non fictæ charitatis hauserat, ut mala cujusque auctori suo tantum nota faceret; bona cujuslibet non ipsi, sed eo absente omnibus divulgaret. Sed unde tamen hæc superbia? Cui episcoporum Cluniacenses fratres resistunt? cui non obediunt? cui non serviunt? Cui non obedientiam justam, non obsequium pro viribus, non reverentiam præ cunctis pene aliarum congregationum monachis impendunt? Nescio, nescio: Deus scit. Si scirem, non paterer; si nossem, corrigerem. Video res Cluniacenses velut totius reipublicæ Christianæ ærarium esse; de quo omnes hauriunt, quod pene exhauriunt, in quod rari pauca injiciunt, de quo plures multa accipiunt. Sed, quia per gratiam Dei universos pene Latinæ Ecclesiæ sacerdotes amicos habemus, precamur ut vos quoque inter reliquos propitium habeamus, cui et pauca illa nostra, quæ penes vos habentur, exposita sunt, et plurima alia per diversas mundi partes diffusa, ad obsequendum reverentiæ vestræ, si tamen ita placuerit, parata sunt. Accedit ad hanc querelam familiarem, quod canonicam abbavillæ sæcularium canonicorum quam comes de Pontivo (129) Cluniacensi monasterio quantum ad jus sæculare pertinet, dedit: etiam episcopus Ambianensis, ad quem ex ecclesiastica cura pertinet, de-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

clarissimum. Sunt autem Morini extremi hominum Galliam populi, inquit vetus poeta, sic antiqua Celtarum lingua dicti, quasi maritimi sive maris accolæ. Mare enim *mor*, et maritimi *morin-wyr* a Britannis Angliæ, qui veterem adhuc Gallicorum sermonem relincent, hodie quoque vocantur. Eorum civitas *Tarwana* non ita pridem, sed nunc omnino diruta, sedesque præsulum Boloniam, urbem ad Oceanum Ammiano Marcellino notam, translata.

(129) *Comes de Pontivo.* Inter Cluniacensium benefactores, comites Pontivi non magno proximi intervallo fuerunt. Illorum unus hic, qui canonicam

Abbatisvillæ, celebris agrum Pontivensis urbis, Cluniacensi monasterio quantum ad jus sæculare dedit. Alter *Willelmus comes Pontivi et Monstrolli*, qui, prout reperitur in Chartulario Cluniacensi, charta 224 anno 1035, in eleemosynam pro sua anima, et hæredum suorum, conventui S. Petri Cluniacensis perpetuo contulit x millia hælæcum pariter et concessit, in proprios usus dicti conventus distribuenda, et ad vicecomitatum suum de Abbatisvilla, quisquis illum, sive ipse, sive alius ad firmam a se teneret, annuatim infra festum B. Andræ apostoli percipienda.

disset, nisi ei a vobis et a paucis aliis dissuasum fuisset. Sed quid ego hinc de aliis queror? Possum quidem de eis jure conqueri, sed de vobis magis habeo jus querendi. Cum enim et charitas communis, et amicitia singularis, nil contra amicum facere suaderent, excessistis amicitiae metas, et nil vos laedentem amicum laesistis. Cumque sub ditione vestra, secundum spem a vobis datam, incrementa multiplicia speraremus, cessit nobis spes illa in contrarium, ut non solum nihil infra metas episcopii vestri vestra largitas nobis conferret, sed et aliorum donis et largitionibus contraireret. Probat hoc, ut accepi, apud Remorum urbem nuper factus episcoporum conventus, ubi cum dominus Remensis archiepiscopus, Suessionensis, Catalaunensis, Atrabatensis, et alii episcopi, utique magni, sapientes et religiosi viri, in negotio jam dicto assensum darent, solus inter omnes ab omnibus dissentiens apparuistis. Quare hoc? Si justa de causa, bene. Si non, ipse videte. Credo tamen in partibus vestris Sanctum Bertinum (130), Abbavillam, Gastum, Romiliacum, et alia urbis contigua loca (131) hoc judicare: quod fratres Cluniacenses episcopalis auctoritas tam facile, tam severe non debeat condemnare. Parco verbis, ne amicum, quem placare contendo, provocare videar. Oro igitur in fine epistolae, oro ego, deprecantur et nostri, ut quod nobis de amicitia, sicut supra dixi, promisit benignitas vestra, observet veritas vestra. Absit enim ut aliter faciendo quam promittendo sit in sancto ore vestro, est, et non; sed eadem implendo quae dicendo, sit semper in illo, est!

EPISTOLA IX.

Universali et nostro speciali Patri domino papae INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, obedientiam et amorem.

Imperator Hispanus (132), magnus Christiani populi princeps, devotus majestati vestrae filius, licet apud pietatem vestram multum possit et posse debeat, tamen, quia inter modernos reges praecipuus

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(130) Credo tamen in partibus vestris S. Bertinum, etc. Hoc est abbatiam S. Bertini confessoris in Audomarensi oppido, quam S. Hugo Cluniacensis abbas, cum pluribus aliis Flandriae monasteriis religione illustravit, ut est apud anonymum ejus Vitae scriptorem, quem Hugoni monacho subjecimus. Et de ea ipsa re leguntur etiam litterae Roberti Flandrensium comitis anno 1106 datae, quas pag. 558 hujus Bibliothecae jam exscripsimus.

(131) Romiliacum, et alia urbis contigua loca. Romiliacus, vel, ut efferunt alii, Rumiliacus, Clun. quoque juris membrum est, quod vulgo prioratus S. Petri de Romiliaco comite, Morinensis aetate superiori, nunc vero Boloniensis dioecesis. At quisnam illum coenobio Cluniacensi subjecerit nondum reperi. Quanquam et in ejus obedientia vel ante Petri abbatis tempora fuisse quodammodo colligi potest ex his Lucii papae III litterarum verbis, quibus monasterium hoc cum appendiciis suis specialiter munivit: «Locus autem ipse, inquit, scilicet praedictum monasterium de Rumiliaco cum omnibus pertinentiis suis, sicut hactenus fuisse cognoscitur, sub Cluniacensis mo-

amicus et benefactor Cluniacensis Ecclesiae est, me ad praesens mediatorem et apud vos intercessorem elegit. Pro quo ut exaudiri merear, quod facerem, si praesens essem, nunc absens facio; et me cum omnibus fratribus meis, filiis vestris, qui hoc audire potuerunt, ad pedes pietatis vestrae, non tantum corde, sed etiam corpore ipso prosterno. Oro, ut quorum preces tam paternae, tam benigne, toties et toties vestri gratia admisistis, hac saltem vice nequaquam benignitate solita repellatis. Largitas enim paternae gratiae, qua nos pene semper audire soletis, ubique diffusa, ab omnibus audita, trahit multos ad nos, et frequentatis precibus compellit nos fatigare vos. Sed non ego pro rege Hispano, non pro Romano, non pro quolibet mortalium preces fundere, si id justitiae repugnare cognoscerem. Unde licet earum rerum, quibus non interfui, testis esse non possim, sapientum tamen multorum, magnorum, probatorum etiam virorum testimonio, non minus quam oculis meis vel auribus credere compellor. Horum itaque omnium attestazione, ex quibus multi clerici, quidam monachi, nonnulli episcopi sunt, electionem Domini Salamantini episcopi in archiepiscopum Sancti Jacobi, ab omni clero, ab omni populo, canonice, pacifice, communiter factam, praedictus imperator per humilitatem meam majestati apostolicae repraesentat. Et quia illa Ecclesia, ad quam electus est, tanti apostoli corpore gloriosa (133), tot sedis apostolicae privilegiis sublimata, inter omnes Hispanas Ecclesias caput extulit, nobilem, prudentem, honestam, probatam personam, praeter aliis terrae illius Ecclesiis requirebat. Quam se invenisse tandem in isto laetata, cum sibi, ut dictum est, concorditer in pastorem elegit. Unde, si quis post illam communem et solemnem electionem, alicui proprio commodo inservire volens, ab illo descivit, provideat sollicitudo paterna, ne illi liceat obprivatum lucrum bona publica impedire, vel ea de causa pacem tantae Ecclesiae perturbare. Astat igitur, et ad fores vestrae misericordiae manu nostra

nasterii obedientia perpetuo, et subjectione consistat.

(132) Imperator Hispanus benefactor Clun. Eccl. Adelfonsus, qui praeter multas largitiones quibus Clun. coenobium ditavit, Petro etiam nostro ecclesiam S. Vincentii de Salamanca per manum Guidonis Ecclesiae cardinalis et legati, dedit, quatenus canonicalem habitum, qui tunc ibi habebatur, in monachalem transverteret, et ex ejus super ea donatione praeepto, quod in fine hujus tomi totum insertum est, apparet.

(133) Et quia illa Ecclesia tanti apostoli corpore gloriosa. Compostellana nempe, quae et Sancti Jacobi apostoli in Gallæcia dicitur, et ejus in ea corporis praesentia multum etiam ab antiquo gloriae docet Adelfonsus alter ipsius Hispaniae rex, qui cultoribus tumuli sancti Martini Turonensis rescribens anno 906: «De caetero, inquit, quod conquæritis ejus apostoli tumulus hic penes nos habetur, certissime pernoscite Jacobi apostoli Zebedaei, Bonargis, qui ab Herode decollatus est, sepulcrum habemus in archis Marmaricis, provincia Gallæciae.»

pulsat imperator Hispanus, Sancti Jacobi clerus et populus, ut electum suum non sublimiter, non superbe, sed humiliter et mansuete ad vos venientem, suscipiatis, vinculum apostolicæ severitatis, quod modeste pertulit, resolvatis, et, quod potestatis vestræ solius est, translationem ejus de Salamanca ad urbem Sancti Jacobi apostoli concedatis. Et ut apud pium Patrem legati contemplatione, ipsa possit juvari legatio, vobis cognitum et dilectum venerabilem fratrem nostrum Natalem, nuper Resbaci abbatem, paternitati vestræ direximus. Quem quia a Mariæ otio, quod apud nos elegit, invitum et reclamantem nostris viribus non potuimus, ad hoc suscipiendum negotium, cui resistere non potuit, obedientiæ virtute compulimus. Unde, si placet, quem nos exasperavimus mittendo, vos lætificate effectum precibus annuendc.

EPISTOLA X.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papæ INNOCENTIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, obedientiam, et se totum ad omnia.

Dominus Hugo Turonensis archiepiscopus (154) festinans adire majestatis vestræ præsentiam, in ipso devotionis suæ itinere apud Charitatem morbo correptus est. Quo ingravescente, cum jam de vita desperare cogeretur, monachicum ibidem indumentum suscepit, et per manum prioris nostri de Charitate, religionis habitu suscepto, Cluniacensis monachus effectus est. Quod Turonensis Ecclesia audiens, et ne hac occasione pastorem curam relinquere vellet formidans, domnum P. archidiaconem, domnumque Hugonem Nuceriensem abbatem cum aliis ad eum direxit, et ut ad ovile suum pastor rediret, omni studio, tota diligentia, summis precibus rogare curavit. Noluit ille, nec multorum et magnorum virorum precibus reditum persuadentibus, acquievit. Instantibus illis, nec a coeptis precibus ullo modo desistere volentibus, et hoc tantum respondit nihil se horum prius facturum, quam res vobis innotesceret, et a paternitate vestra quod sibi faciendum esset audiret. Supplicat ergo, quantum potest, nobilis illa et magna Turonensis Ecclesia; supplicamus et nos. Rogat (quod longe præstantius est) ipsa, ut nobis videtur, justitia, quatenus Patrem ad filios, pastorem ad oves, prælatum ad subditos,

A sublimitas vestra, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo a Deo commissa est, redire persuadeat, et, si sponte noluerit, etiam invitum compellat. Etenim; ut publica fama testatur, non mercenarius, qui videns lupum dimittit oves et fugit, sed pastor, qui pro domo Israel sibi commissa, murum se opponere et stare in prælio in die Domini consuevit. Sed unde rogo, unde supplico? Supplico quasi pro reo, cui aliquid indulgendum sit, cui commissum aliquod grave donandum sit. Sed, si ego vos unquam agnovi, si dulcem affectum vestrum erga religionis professores, et maxime conservatores adverti, qui de bono melior, de clerico monachus, qui de communi schemate cleri ad Martini sui nigrum habitum conversus est, non indignus ejus, et maxime prius adeptus pontificali sede, judicabitur. Redisset quidem, si magnos et sapientes viros audire voluisset, non deterior, sed jam melior factus ad sedem propriam; sed sapienti humilitate exspectare inde maluit sententiam apostolicam. Non obsit ergo ei vel Ecclesiæ suæ (quod tamen superflue loquor) quod se totum dispositioni apostolicæ proprio consilio, non alieno submitit; quod Martini, ut dictum est, habitum induit; quod tandem vester, et, ut sic dicam, magis proprie vester Cluniacensis monachus factus est. Placuit sanctitati vestræ in quibusdam aliis, quos nominare possem, episcopis, quod de communi clericorum vestitu, ad canonicalem habitum transierunt: placeat, et placebit, ut credo, quod magnus Turonensis archiepiscopus ad humilem monachorum habitum se convertit, et sic habitum et vitam in melius commutando, pontificali dignitati nihil melior factus detraxit.

EPISTOLA XI.

Venerabili Deique sacerdoti A. Narbonensi archiepiscopo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Audiens a pluribus dignationem vestram propter exile servitium a nostratibus Remensis concilii tempore vobis impensum, supra meritum gratiosam nobis existere, ad referendas benevolentiae vestræ gratias per vos ab Hispanis primo redire disposui. Sed quia multiplex curarum distractio propositum immutavit, per vos, ut proposueram, redire non potui. Quia ergo dilecto mihi præsentare non pos-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(154) Dominus Hugo Turonensis archiepiscopus. Hujus nominis secundus, Hildeberti successor, magnusque etiam, ut hæc epistola testatur, Cluniacensium amicus. Unde et R. Northmannorum ducis et comitis Andegavorum diplomati, terræ centum marcarum in Angliâ confirmatorio subscripsisse reperitur. Quod quidem diploma, licet mutilum, quia tamen Petro nostro Clun. abbati dirigi videtur, hic inserere non absonum fuerit. Est igitur hujusmodi: « Reverendissimo Patri Dei gratia Clun. abbati P. et sanctissimo conventui Clun. R. eadem gratia dux Northmannorum, et comes Andegavorum æternam in Domino salutem. Felicis memoriæ prædecessor noster Henricus rex Anglorum centum marcas argenti singulis annis Cluniacensibus fratribus in elemosyna dabat. Eo etiam decedente pro prædictis

centum marcis est terra prædictis fratribus, » etc., ut in Stephani regis litteris, quæ pag. 4398 habentur. « Illam ergo terram Clun. Ecclesiæ et fratribus ibidem Deo servientibus jure perpetuo possidendam concedimus. Donationem quoque de terra prædicta ab imperatrice factam laudamus et confirmamus. Testes sunt Hugo archiepiscopus Turonensis, Paganus de Claravalle, Guido de Sabolio. » Verum qualiter hæc inter se pro temporis ratione convenire possint, aliorum erit judicium. Porro mentio sit et hujus Hugonis archiepiscopi Turonensis in Historia veteri dominorum Ambaziensium, his verbis: « Goffridus consul Andegavensis, cui magno nihil erat magnum, cum exercitu suo Laudiacho venit, ibique mediante Hugone archiepiscopo pax utrinque (nempe cum Supplicio Ambasiæ domino) efficitur. »

sum personam meam, dirigo epistolam meam : in qua me præsentem sentiat, et quod a me audiret, ab ipsa audiat. Relatum mihi est ab amicis communibus, reverentiam vestram episcopalibus negotiis jam usque ad senium detritam, magis magisque in dies atteri; et molestiis curarum irruentium oppressam, solito vehementius fatigari. Cumque in Vita magni Martini scriptum legatur: *Optata est seni missio post laborem*, doleo laborare emeritum, qui justis sudoribus missionem promeruit, et, ut mihi dictum est, de Marthæ laboribus ad Mariæ quiescentis transire otium concupiscit. Si tamen (quod salvo amicitiae jure loquor), esset animus victor annorum, et cedere nescius senectuti, vererer pontificalem sublimitatem a summis ad ima retrahere, et, ut de pontificatu ad monasticum ordinem transitum faceret, invitare. Sed, quoniam locus humilior tutior esse solet, altior vero ruinam semper formidat, fugiendus est, ut mihi videtur, mons patens universis aurarum turbibus, amplectenda est vallis, nullis aerum subjecta proventibus. Vallis hæc Cluniacus vobis esse poterit, non solum humilitate, sed et situ ipso eandem significante: quæ multos non tantum inferioris, sed etiam vestri ordinis viros, pro Christo humiliatos suscepit, eosque suo tempore ad cœlestem sublimitatem provexit. Non igitur timeat humiliari in terris, a Deo super cœlos extollenda anima; nec pudeat eum se submittere hominibus, cum qui tali humiliatione conferri se non dubitat beatis spiritibus.

EPISTOLA XII.

Venerabili et præcordiali amico nostro domno GAUFRIDO Burdegalensi archiepiscopo (1155), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et sincerum affectum.

Inter varias pectoris mei curas, ingessit se aliquando cogitatio de amicitia, et quem cui amicum vel præponere vel supponere deberem, sollicita perquisivit. Cumque universas animæ latebras perscrutans, abdita universa omni discusso nubilo penetrasset, invenit in amicitia nulli supponendum, pene omnibus præferendum, quantum ad se, illum, illum certe meum Burdegalensem archiepiscopum, quem non dignitas pontificalis, non sublimitas temporalis, mihi in spirituali et vero amico associavit; sed animus terrena spernens, cœlestibus inhians, mores compta, prudentia singularis, amicitia constans, et vere Christus ipse ad universa mutui amoris primordia se medium exhibens, indivisibiliter conjunxit. Hoc semper, ex quo Carthusiense iter sanctitatem vestram mihi notam fecit, firmissimè cordi meo inhæsit, inhæret, et per Dei gratiam perpetuo inhærebit. Hæc quia præmittenda erant,

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(1155) *Gaufrido Burdegalensi archiepiscopo*. Celebris fuerunt hujus nominis duo Burdigalæ archiepiscopi tempore Petri Venerabilis. Unus qui privilegium a Ludovico Grosso Francorum rege tam pro se quam pro suffraganeis impetravit anno 1137; alter, qui concilio Balgenciensi pro dissolutione

A præmisi; nunc quæ ordine sequi debent, suppono. Ago quas possum gratias, quia non imparem in mutui amoris constantia vos inveni, quem de amici ad remotas Hispaniarum partes, et velut ad peregrina tendentis, mandatis precibus tam devotum conservatorem habui. Commendavi ei monasteria nostra, abbatias; prioratus et cellas: et ecce non ejus tantum, sed et omnium nostrum voce attestante, fidissimum etiam in hoc commisso reperi. Redire per provinciam vestram prius quidem disposueram; sed fortuitus rerum eventus, imo (quod verius est) Dei dispositio permutavit. Eapropter nec præsentia vestra mihi, ut nostis, charissima frui licitum fuit; nec de propositis Angeliacensis Ecclesiæ, et aliis negotiis vobiscum loqui, vel conferre facultas fuit. B Scripsi tamen inde domino papæ, et omnia ei per proprios nuntios notificans, ipsi sanctitatis vestræ litteras destinavi. Oportet autem, sicut novit sapientia vestra, et, ut inter nos tunc condictum fuit, rem secretam esse, ne dum corpus peccati in Ecclesia sancti Joannis destruere quærimus, re non suo tempore patefacta (quod Deus avertat) augeamus. Esse nostrum, super quo certificari vult sincera, humilis et sublimis benignitas et dignitas vestra, tale esse cognoscite. Illud quidem præteritum iter nostrum plus honoris quam personam, non dico Ecclesiam decet, habuit, quia, etsi non decuit personam, decuit Ecclesiam; profectus vero temporalis, non quantum cupiditas voluit, sed plus tamen quam meritum exegit. Quod vero ad personam spectat, utinam sospitatem corporis incolunitas spiritus æmularetur! Quod autem ad Ecclesiam respicit, pace super omnia et mutua et generali fruitur, Christoque Domino suo ita ut nunquam, prout videtur, melius humiliter et devote deservit, et pro suo domino et Patre Burdegalensi archiepiscopo, a nobis sæpius, ut dignum est, admonita, clementis Domini misericordiam deprecatur. Constantinum, super quo scripsistis, si hoc utile judicatis, ad quartam leugam revocate, et de universis Cluniacensibus negotiis, non solum ut legatus, sed ut ipse Cluniacensis abbas secure disponite. Nec enim absentem puto ubi vos estis, neque ubi ego sum, vos absens esse potestis. In fine, non tantum pro me et vestra Cluniacensi Ecclesia vos Deum sollicitè exorare rogo; sed et bonos illos partium vestrarum viros, quos ad Christi militiam et servitutem semper accingitis et fovetis, quatenus ut id ipsum faciant deprecemini, magis corde quam verbis imploro.

EPISTOLA XIII.

Nostro Wintoniensi episcopo, frater PETRUS, suus Clu-

matrimonii Ludovici Junioris et Alienoræ præsedis anno 1150. Utri horum, qui Cluniacensium ambo benefactores et amici, scribat, non omnino certum, nisi forte sequentium epistolarum ad Lucium et Eugenium pontifices, qui ante annum 1150 sederunt, de primo rem esse quodammodo declarent.

niacensium abbas, salutem et totum cordis sui affectum.

Pro Cluniaco rogare solco, nunc pro Marciniaco rogo. Materia, ut nostis, est multa rogandi. Singularis domus, excellens religio, non tantum mors, sed perpetua sepultura sororum sanctarum : quæ pro Christo suo ante mortem moriuntur, ante-sepulerum sepeliuntur. Præter hæc multarum parentum, et præcipue matris meæ, insuper et vestræ cœlestis in loco illo conversatio, felix excessus, beata sepulcra. Ista me ad orandum, vos ad exaudiendum compellunt, ut locum illum semper præ oculis habeatis, semper veneremini, semper colatis. Hæc spe fratrem præsentium latorem, ab illis Dei ancillis ad vos et ad partes vestras directum, orō ut more vestro benigne suscipiatis, audiatis et exaudiatis. Omnipotens et misericors Salvator noster, cui jugiter, ut possumus, pro vobis assistimus, statuat procellam vestram in auram, et silcant fluctus ejus.

EPISTOLA XIV.

Venerabili et præcordiali amico, domno GUARINO Ambianensi episcopo (136), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem quam sibi.

Quid dicam? quid loquar? quas tam sincero amico gratias agam? Divisit et vere divisit sapiens dilectio vestra inter amicos et amicos, inter veros et falsos, inter dantes verba et exhibentes opera. Promittunt alii magna magnis meritis amicorum, et nihil solvunt. Nihil promisistis, et nullis erga vos meritis nostris, multa et magna solvistis. Hæc est causa, hæc summa materia, hoc indissolubile vinculum quo vobis astringimur, quo vobis colligamur, quo licet absentem integrum totius amoris et affectus nostri viscera vobis refundimus. Nec mirum. Quis enim non summopere trahatur, quis non alliciatur, tantis ex parte vestra impensis; nullis, ut dictum est, ex nostra repensis beneficiis? Sed, si plenum sacrificium, si integrum holocaustum offerre Deo disponitis, si caput et caudam simul im-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(136) Domno Guarino Ambianensi episcopo. Qui et ipse de præcipuis Cluniacensium fratrum benefactoribus non postremus, ut vel ejus de concessione Ecclesiæ domni Petri cum altaribus in Ambianensi diocesi litteræ, pag. 1403 jam descriptæ, docent, vel etiam ex aliis multis in Chartulario Sancti Martini de Campis, nobilis Cluniacensis cœnobii membri, existentibus colligi potest. Inter has habetur una de Wancio, in qua se Galrinum Albianensis Ecclesiæ ministrum humillimum nuncupat, atque « se precibus reverendissimi episcopi Suessionensis Goislani et prioris Sancti Martini de Campis confirmare Sancto Martino ecclesiam in honore egregii confessoris et pretiosissimi pontificis Christi Martini in territorio Wangneii sitam, altare de Bonaio, et altare de Curcellis. » Anno 1127. Sunt et aliquæ quibus modo Guarinus, modo Warinus; et aliquæ demum, quibus Gaurinus Ambianensis episcopus inscribitur, qualis est hæc de ecclesia Sancti Gervasii apud Eneram : « In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Quia in corpore Christi, quod est Ecclesia, prælati tanquam oculis major vigilantia cura super hæles; et maxime religiosos imponitur, dignum est

A molare proposuistis, venite, venite, inquam, ad nos, ut videamus quem diu videre optavimus, et fruamur etiam hic in Christo, quo etiam alibi perpetuo frui desideramus. Hoc per eum, qui dilexit nos, et qui vobis inspiravit diligere nos, non tantum rogamus, sed etiam obsecramus, ut, antequam proxima ætas finiatur, Cluniacus vestra vos videat, et præsentia vestri diu exoptata exilaretur et gaudeat.

EPISTOLA XV.

Dilecto et per omnia diligendo ac venerando amico nostro, domno SUGERIO, abbati Sancti Dionysii (157), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

O infelix sors hominum, et, si dici fas esset, fortuna miseranda! Video sæpe invitis oculis quos videre nollem. Videre non possum saltem per multa sæcula semel, quos assidue cernere exoptarem. Ad quid istud? Instant et astant mihi sæpe sæculares et duri rerum sæcularium exactores, quos, si possem, ut dixi, summo studio evitarem. Dilectum vero meum illum, illum, inquam, meum etiam antequam meum dilectum abbatem Sancti Dionysii, et ante utriusque abbatiam mihi charum, et post de charo charissimum factum, nec post longa tempora videre possum. Retinet eum Francia, nostræque semper illum Burgundiæ invidet, ut nunquam illum apud Cluniacum, nisi semel, videre potuerim. De hoc igitur familiarem querelam depono, gratias quas possum agens, quod licet seipsum nobis subtraxerit, beneficia tamen multimoda exhibere non desinit. Attestantur hoc fratres nostri in vestris partibus commorantes, dicentes in causis et necessitatibus suis non modo Patrem monasterii Sancti Dionysii, sed et suum Cluniacenses in vobis invenisse abbatem. Doleo inde tamen, non quia vos semper nobis gratis gratus, sed quia nos nil inveniētes quid respondere possimus, vestris beneficiis semper videamur ingrati. Interim rogo, quantum possum, et supplico ut, vel Dei, vel amicitia, vel regni vestri,

ut eis beneficia nostra conferamus, quorum precibus pax nobis et securitas concedatur. Idcirco ego Gaurinus Dei gratia Ambianensis episcopus ecclesiam S. Gervasii de Enera, quæ diu contra apostolica decreta in manu fuerat laica cum peste Simonica, monachis S. Martini de Campis libere et absolute do in eleemosynam cum omnibus appendiciis suis, in præsentia domini Alberici Hostiensis episcopi et apostolicæ sedis legati, et domini Gausleni Suessionensis episcopi, et domini Gaufridi Cathalaunensis episcopi, teste domno Gaurino Ambianensis Ecclesiæ thesaurario, et magistro Rainerio Cathalaunensi archidiacono. Actum est anno incarnati Verbi 1138.

(157) Domno Sugerio abbati S. Dionysii. Cui scribit et infra lib. vi, epist. 20, et ipse Sugerius illi vicissim epist. præcedente : cui tamen et alias plures nunc primum adjicere dedit codex ms. epistolarum ejusdem, quas vir doctissimus Carolus Labæus e Bibliotheca nunquam satis laudati præsidis I. A. Thuani, magno, sicut speratur, omnium bono, propediem editurus est.

in ejus ultimis partibus constituti sumus, occasione, in Cluniaco vestra ante proxime futuram hiemem vos videamus. Credo et si veneritis, quia, juxta prophetiam, non tantum in futura vita, de qua hoc dictum est, sed etiam in præsenti gaudium et lætitiā videbitis, et gaudebitis, et lætabitur cor vestrum (*Isa. LX*).

EPISTOLA XVI.

Reverendo Patri et domino PETRO, Dei gratia Cluniacensium abbati, frater BERNARDUS, Claravallis vocatus abbas, seipsum quantulus est.

Itane joculari libet? Dignanter sane atque amicabiliter, etc. Vide inter epistolas S. Bernardi, Patrologiæ 1, CLXXXII, col. 596.

EPISTOLA XVII.

Singulari veneratione colendo, totis charitatis brachiis amplectendo, individuo cordis mei hospiti, domino BERNARDO Claravallis abbati, frater PETERUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem ad quam suspirat æternam.

Quoniam tam dulcibus et jucundis amici litteris, quibus et ipse jucundus et citus-occurrere debuisssem, tardus rescriptor occurro, mirabitur fortassis solers sanctitas vestra, et segnitiei vel contemptui, ut timeo, deputabit. Sed absit utrumque, nec absit tantum, sed prorsus utrumque abest, cum fere nihil unquam, quantum ad litteras pertinet, vel libentius susceperim, vel studiosius legerim. Tarditatis causa ex parte existit lator earum, qui Cluniacum veniens, nec me ibi inveniens, cum ipse non valde remotus, hoc est Marciani essem, litteras quas ferebat mihi nec detulit, nec misit, sed Cluniaci dimisit. Et ne velut accusare bonum virum videar, credo eum aut quibuslibet negotiis retractum, aut acerrimæ, quæ tunc incumbabat, hiemis austeritate, ne me conaretur adire, deterritum. Moratus sum et ego ibidem, tam nivibus quam negotiis detentus per mensem, et vix in initio Quadragesimæ domum redii. Suscepi tandem a subpriori, cui traditæ fuerant, litteras illas vestras. Tractus est statim animus, et cum in affectum vestri multum ante caleret, longe amplius per easdem litteras flatu pectoris vestri succensus, nihil ultra frigidum repidumve sibi inesse permisit. Tractus, inquam, sicque tractus est, ut quod nunquam, nisi sacrorum reverentia librorum me fecisse memini, perlectam epistolam mox exosculatus sim. Et, ut eos quos poteram, quia tunc non omnes poteram, in vestræ charitatis affectum, more mihi solito excitarem, circumpositis quibusque, quod mihi soli legeram relegi, eosque erga vos in majorem dilectionis affectum pro viribus commovi. Recondi statim eas, et argenteis sive aureis, quos pro more mihi a patribus relicto, ad opus eleemosynæ mecum ferre soleo, adjunxi. Nec incongrue. Nam super omne aurum et argentum vestra mihi gratia bona, vestra charitas est pretiosa. Rescribere quod animo incederat sequenti die statim volui; sed a quotidiano, imo pene continuo exactore alia reposcente prohi-

bitus, conticui. Imperavi mihi plane silentium, cui resistere non poteram, durissimus imperator, et cura multiplex infinitarum causarum, non uno tantum, sed multis me diebus silere coegit. Transibant quandoque quindecim dies, quandoque integer mensis, quandoque continui menses, quibus scribere semper nitebar, nec imperatore jam dicto permittebar. Rupi tandem importunum vinculum, et, licet ægre, jugum oneris et sceptrum exactoris furtim scriptitando superavi. Ac ne superfluous videar, tantopere excusans tarditatem rescribendi, ipse excusare coegistis, dum dixistis: *Non multum temporis est, ex quo scribens ad vos, coronam vestram debita veneratione salutavi, et non responditis mihi verbum; nec multo ante rursum ex urbe Roma vobis scripseram, et nec tunc quidem vel unum iota recepi. Modo miramini quod revertenti nuper de Hispaniis nugas meas denuo vobis ingerere non præsumpsi? Quod si culpa est quacunque ex causa non scripsisse, sine culpa profecto non erit noluisse, ne dicam contempsisse, rescribere. Hoc quidem vos. Sed quid ego? Istud plaue. Negare, inquam, culpam quam imponitis nullo modo possem, si tanto amico primo scribenti rescribere contempsissem. Fateor enim quod primum scribenti verè rescribere debuisssem; sed, prout recolare possum, dum in urbe moraremur, scripsi ego prior, rescripsistis posterior vos. Non ergo ad me pertinuit rescribere, qui prior scripseram; sed vestrum fuit rescribere, quia prior scripseram. Et potuissem quidem rescribere etiam rescribenti, sed plena scriptoque meo ad unguem satisfaciens responsio vestra silentium mihi imposuit respondendi. Quod si ita est, culpa mihi imposita me deserens, vos incipit intueri quia inculpabilem culpæ, et sarcina aliena, ne dicam vestra, aggravare humeros fratris innocentis voluistis. Quod vero vice alia idem a me factum dicitis, quia rei memoria menti non inest, responsio deest. Quæ si forte adesse potuerit; aut probabilis excusatio, aut humilis satisfactio deesse non poterit. Sed addidistis: *En in quo pro me faceret justitia. Et ego: Interim juxta causas præmissas pro me facit justitia, quia apud me non invenitur culpa. Jam non, si non parcerem, et læsum, quod de vobis dixistis, amicum me vocare potuissem et læsionis vel injuriarum pœnam merito exigere. Sed parco more meo, sed cuncta etiam non rogatus remitto. Nullarum, ut dixistis, memor sum injuriarum. Nam et hoc ad sequentem materiam pertinet, ut qui notas simultates de multorum cordibus non ludo, sed serio excludere satago, et ad excludendum vos incitare intendo, prior ipse omnibus indulgeam, et quod ut alii faciant laboro, ante ipse faciam. Sed rursum forte dicetis: Itane joculari libet? Libet equidem, sed vobiscum. Vobiscum certe, sed non ita cum aliis. Nam, cum quibusdam aliis gravitatem excedere, vanitatem incurrere formidarem. At vobiscum vanitatem non vereor, charitatem, ne labatur, persequor. Unde dulce mihi est semper vobiscum**

loqui, et melleam inter nos charitatis dulcedinem jucundis sermonibus conservare. Caveo enim, quantum possum de illorum fratrum numero esse, qui oderant Joseph in corde suo, nec poterant ei quidquam pacifice loqui (*Gen. xxi*). Utinam et sic (quod non glorians dico) omnes nostri vestrique fratres facerent, et a linea charitatis, qua sola post fidem, et baptismatis sacramentum fratres dicuntur, et qua speciali consanguinitate sibi junguntur, non degenerarent, metuerentque; quod ait Apostolus, *Periculum in falsis fratribus* (*II Cor. xi*). Utinam plane hoc omnes facerent, et cor a cogitatu doloso, linguam juxta psalmum quem frequentant, a verbo aspero custodirent (*Psal. xc*). Videntur ista quæ præmisi magna promittere, et velut ad peragenda maxima se præparare. Sed ne de his illud usitatum dicatur:

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

(HORAT., *De art. poet.*, vers. 158.)

fateor me non tantum maximam, sed nec magnam, nec modicam habere causam vobis scribendi: earum tamen rerum, quas magnas vel maximas sæculares æstimant, et de quibus se magnos vel maximos fieri posse filii sæculi sperant.

Est tamen magna, et in tantum causas omnes præcellens, ut excellentior omnibus ab Apostolo dicatur (*I Cor. xiii*). Et si ejus nomen quæritur, ab eo charitas nominatur. Hæc mihi tota, et sola causa scribendi fuit, quam me personæ vestræ integram servare confido, quamque nostros vestrosque sibi ad invicem melius solito servaturos, vestro maxime studio non despero. Nam, quantum ad eam charitatem spectat, quam vobis in abdito cordis mei jam ab antiquo reservo, videtur mihi quod aquæ multæ, ut scriptum est, non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere (*Cant. viii*). Hoc in quibusdam casibus mihi sæpe expertus videor, quod aquæ multæ non poterunt eam extinguere, nec flumina obruere. Quando enim extinguui vel obrui poterit sincerus erga vos et ignitus mei pectoris affectus quibuslibet sinistri rumoris rivulis, cum nec aquæ multæ decimarum potuerint eum extinguere, nec impetus Lingonensium fluminum obruere? Nostis quod dico, nec ob aliud dico, nisi ut constantis in amoris proposito erga vos animi mei insignia recolens, stabilem de cætero me esse posse prudentia vestra præsumat. Præsumo et ego hoc idem de vobis, nec a cordis vestri penitralibus me cujuslibet impulsu posse excludi confido. Sed, cum uterque nostrum pastor dicatur, cum ovilia nostra non parva ovium Christi multitudine sint referta, cum utriusque præcipiatur: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui* (*Prov. xxvii*), videndum est si pecus nostrum nobis notum est, si valet, si languet, si debile, si robustum, si mortuum certe vel vivum. Nam, cum dilectus ille discipulus dicat: *Qui non diligit, manet in morte* (*I Joan. iii*), quid ego de languore pecudis meæ sollicitor, cum eam jam mortuam esse cognoscam? Si enim in morte manet qui non diligit, in

A qua morte manet qui odit? Si in morte manet qui non diligit, in qua morte manet qui detrahit? Ad quid hoc dico? Cerno aliquos, tam de nostris ovilibus quam de vestris, adversum se invicem jurata bella suscepisse, et eos, qui in Domini habitare unanimes debuerant, a charitate mutila descivisse. Video eos de ejusdem Domini esse familia, de ejusdem Regis esse militia, eodem nomine Christianos, eodem et monachos nuncupari. Intueor non solum communis fidei vinculo, sed insuper ejusdem monasticæ regulæ jugo submissos: Dominicum agrum multis, sed diversis sudoribus excolere. Et cum eos, ut dixi, Christianum nomen conjungat, cum monastica professio uniat; sola eos mentium nescio quæ occulta, et nefanda varietas separat, et ab illa sincera cordium unitate, in quam videntur congregati, disgregat. Et, o res plena lamentis, nec ullis lacrymarum fontibus digne deflenda! superbum archangelum de coelis projectum rursus cœlestia occupasse, et qui in aquilone sedem suam stabilire non potuit, in meridiana, hoc est in splendidiore cœli parte, eam firmasse. Vere ita plane, ita se fecisse gloriatur, quando, expulso eo qui habitat in coelis, et cujus locus non in mutuo rancore, sed in fraterna pace factus est, mentibus hominum professione cœlestium, exemplo splendentium, jure tyrannico principatur. Cunque sortem illum, atrium suum diuturna pace custodientem, fortior superveniens vicerit, cum mundi principem foras ejecerit, cum solium ejus, qui rex est filiorum superbiæ, etiam in laicis Christianis everterit, quibus putas planctibus erit dolendum, si eversum in aliis nequitiae suæ thronum Satan in monachorum cordibus erexerit? Absit, absit ut ille qui sic a Salvatore enervatus dicitur, ut ipsius etiam ancillis ligetur, ut ipsi a servis ejus velut avi illudatur, in tantum ipse servis ejus et ancillis illudat, eisque ut vilibus mancipiis dominetur. Sed cur sibi adversantur? cur sibi detrahunt? cur ab invicem consumuntur? Veniat, rogo, veniat materies litis in medium; et si quid justæ querelæ adversum se invicem afferre potuerint, æquis decernentibus arbitris terminetur. Quid exigis, quæso, frater a fratre? et, ut in duobus nominatis omnium dissidentium varietas comprehendatur, quid exigis, inquam, frater Cluniacensis, a fratre Cisterciensi, vel econverso? Si urbes sunt, si castra, si villæ, si fundus, si possessio aliqua terrena vel parva, vel magna, si denique aurum, si argentum, si quælibet quantitas vel qualitas pecuniæ, dic, age, propone. Adsunt judices non iniquitatis, sed æquitatis, omnes hujusmodi lites statim dirimere præparati. Facile pax reformabitur, læsa charitas curabitur, postquam pro talibus vel similibus ortum fuisse tantum cordium discidium cognoscetur. Sed video utrumque vestrum omnia ista abjecisse, nihil vobis in terris residui fecisse, pauperem Christum beata paupertate ditatos vos sequi proposuisse. Non est ergo hic materies quam quærebam. Sed non desistam, non fatigabor, non

quiescam, donec ad fundum inquisitionis veritatis perveniam.

Est fortasse inter vos litis hujus causa diversa consuetudo, varia monastici ordinis observatio. Sed si hæc, charissimi, tanti mali causa est, valde irrationabilis, et (quod salva utriusque vestrum gratia loquor), valde puerilis et stulta est. An non videtur vobis irrationabilis, puerilis, et stulta, quam omnis ratio destituit, et cui omnis sanum sapiens contradicit? Nam, si varia consuetudo, si multiplex rerum infinitarum varietas, Christi servos a mutua charitate divellere debet, quid jam pacis, quid concordiae, quid unitatis, quid tandem de lege Christi non solum monachis, sed et omnibus Christianis residuum erit, de qua a magno Apostolo dictum est: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi?* (Gal. vi.) Si, inquam, lex Christi, id est charitas, ab omnibus diversos usus sequentibus relinquenda est, nusquam plane ultra quaerenda est. Nusquam enim inveniri poterit, postquam ab omnibus morem diversum sequentibus exclusa fuerit. Nonne, charissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesiis jam ab antiquo refertus est? Cumque omnem pene numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum sub una fide, et eadem charitate Deo famulantium, tanta pene apud eas invenitur varietas usuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus ecclesiasticis officiis, hoc in vestitu vario; hoc præter authentica, quæ mutari non possunt, jejunia, in jejuniis diversis. Hoc in universis similibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, a praelatis Ecclesiarum, quibus, secundum Apostolum, quantum ad talia pertinet, in suo sensu licet abundare (Rom. xiv), instituta sunt. Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ charitatem, quia mutaverunt consuetudinem? Cessabunt esse Christiani; quia videntur in diversis usibus varii? Peribit ab his omnibus summum pacis bonum, quia unusquisque modo vario operatur bonum? Non ita sensit vita et verbo doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de jejuniis Sabbati loquens, quod Romæ servari viderat, et Mediolani episcopus factus servari non inveni-erat, ait: *Quando Romæ sum, jejunium a Romana Ecclesia servatum custodio. Quando Mediolani, morem ejusdem Ecclesiæ sequens non jejunio.* Hinc et Pater Augustinus bonæ matris suæ devotionem describens, narrat eam, juxta morem quem apud Africanas Ecclesias teneri viderat, oblationes suas contra Ecclesiarum Italiæ observantiam Mediolani

A voluisse offerre, sed ab Ambrosio prohibitam fuisse.

Sed quid in istis laboro? Frustra rem patentem multiplicibus testimoniis vel exemplis cingerem, maxime cum nec apud antiquos ipsius Paschalis temporis dissonantia, nec apud modernos ipsius sacrificii Christiani inter Græcos et Latinos nota varietas, charitatem lædere, vel schisma aliquod unitatis gignere potuerit. Testes sunt præcedentis rei Patres sancti, et eorum, quos Ecclesiæ reliquerunt, approbati libri, quod alio tempore Oriens, alio Occidens, alio in eadem Britanniae insula Angli, alio Scoti Christiani, scilicet antiquiores, Pascha Domini celebrabant (138). Testes sumus et nos temporis nostri, qui Romanam Ecclesiam, et totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis videmus, cum Græca Ecclesia, et maxima Orientis pars ac Barbaræ, sed Christianæ gentes, sacrificare de fermentato dicantur. Cum hoc ita sit, nec antiqui, nec moderni propter tam celebres et famosas usuum dissonantias a charitate mutua desciverunt, quia nihil quod fidem vel charitatem læderet, in his omnibus invenerunt: Ad quid istud? Ut si propter varios usus vestri, o fratres, animi variati sunt, si propter diversitatem consuetudinum diversificati sunt, si propter alium, et alium morem ab Ecclesiarum institutoribus vobis traditum, a pacis vel unitatis charitate languerunt, tantorum Patrum tam venerandis exemplis in unum redeant, et more sanctorum, qui convalescerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, a charitatis super omnem morbum formidando languore, convalescant.

Sed dicetis: Aliter usuum varietas accipienda est in diversis Ecclesiis, aliter in ejusdem ordinis viris. Si Ecclesiarum multarum usus, salva fide et charitate, variantur, mirum non est; sed, si ejusdem propositi et professionis homines non eundem institutionum morem servaverint, mirum est. Estne, inquam, hoc totum quod vos, charissimi, ab invicem dividit? Est hoc totum quod charitatem in vobis lædit? Est hoc totum quod filios pacis inter se pacificos esse non sinit? Si laicus homo cum his qui oderant pacem pacificus erat, monachus homo cum monacho homine nefando duello certabit? Filius lucis filios tenebrarum, ne pacis bonum turbetur, diligit; filius lucis, filium lucis, (quod ad propositum non ad monachum refero), impugnabit? Si hæc certe tota est animorum vestrorum indignatio, si hæc tota charitatis læsio, facile curabitur, sed, si abfuerit obstinatio.

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(138) *Alio Angli, alio Scoti Pascha Domini celebrabant.* Beda, lib. ii Hist. Eccl. Angl., cap. 49: « Misit, inquit, papa Honorius litteras genti Scotorum, quos in observatione sancti Paschæ errare compererat, solerter exhortans ne paucitatem suam, in extremis terræ finibus constitutam, sapientio-rem antiquis sive modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi Ecclesiis æstimarent, neve contra paschales computos et decreta synodalia totius orbis pon-

tificum aliud Pascha celebrarent. » Et cap. 25, lib. iii: « His temporibus quæstio facta est frequens et magna de observatione Paschæ, confirmantibus eis qui de Cantia vel de Galliis advenerant quod Scoti Dominicum Paschæ diem contra universalis Ecclesiæ morem celebrarent. » Qui autem essent hi Scoti, qui Angli, et unde primum in insulam Britannicam advecti, jam nos post Guillelmum Cambdenum, in Historia Angliæ et Scotiæ docuimus.

Attendite ergo ne lucem sensuum vestrorum propriæ sententiæ amor obnubilet, quia unitatem assequi non meretur quisquis non ipsam, sed quod vult ipse tuetur. Unde rogo ut, absque studio partium et propriæ sententiæ defensandæ, utrum hæc justa discidii causa sit discutiatis, et, cum injustam esse cognoveritis, discissos animos uniatis. Nam ecce sub eadem regula uterque vestrum militat, qua speciali militia salutem æternam se quisque vestrum posse consequi sperat. Quod si neuter vestrum spe sua frustratur, nescio quis locus discordiæ, quis discidio, quis oblocutioni superesse jam possit. Dixistis enim mirum esse si ejusdem propositi et professionis homines non eundem institutionum servaverint morem. Ad quod ego: Si ejusdem propositi et professionis homines, non eundem institutionum morem servaverint, et tamen observationibus diversis ad eandem salutem et æternam vitam pervenerint, quid refert? Quid plane refert, quid obest, si vario tramite ad eandem regionem, si multiplici via ad eandem vitam, si multiplici itinere ad eandem, quæ sursum est, Jerusalem pervenitur, quæ est mater nostra? Si enim tu, o Cluniacensis, Cisterciensem, aut tu, Cisterciensis, Cluniacensem in assumpto proposito errare cognosceres, et juxta Scripturam, per viam, quæ videtur hominibus recta, ad interitum tendere provideres, justa, fateor, tibi esset causa fratrem corrigendi, revocandi, aut, si audire te nollet, objurgandi et detestandi. Tunc certe si obloquereris, si contradiceres, si et odires, te juste judicare, te recte agere confiterer, maxime cum de talibus audiam magnum Prophetam Deo dicentem: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi (Psal. cxxxviii)*. Gratularer insuper te non surdum esse auditorem Scripturæ dicentis: *Discurre, festina, suscita animum tuum; ne des somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ (Prov. vi)*: et illius: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine (Jer. xlviii)*. Tunc justas plane odiorum tibi causas esse faterer, et ad debellandos hostes Dei, et eos qui, secundum Apostolum, in hypocrisi faciunt mendacium (*I Tim. iv*), gressus tuos, et ego accinctus zeli gladio comes individuus comitarer. At nunc cum sub eadem [regula] variis, sed sacris, institutis utrumque vestrum de terris ad cælos tendere videam, et per diversas semitas ad idem bravium tendentes sic currere ut comprehendatis, non superest tibi, ut mihi videtur, causa aliqua indignandi, non odiendi, non obloquendi.

Sed exigis adhuc ut quod dixi probem, et quomodo sub eadem regula vel ejusdem regulæ professione, per diversos tramites tuto monachus incedere possit, ostendam. Ad quod mihi perfacilis patet responsio, et auctoritas juncta rationi non deest, posse et te Cluniacensem tuo usu, et te Cisterciensem tuo more, et feliciter per viam mandatorum Dei currere, et feliciter ad finem cursui debitum pervenire. Et quia eam, quæ semper in talibus

A præmittenda est auctoritatem præmissi, præmittatur et in hac serie ipsa, nec ratio modico saltem intervallo disjungatur ab ipsa. Sed quid objicis, frater? Dico ejusdem regulæ professos, ejusdem regulæ mandata non similiter observare. Verum est, inquam, quod dicis, ejusdem regulæ mandata in quibusdam capitulis ab ejusdem regulæ professis dissimiliter observari. Sed, ne hujusmodi monachos propter ista reos existimes, ne hac de causa prævaricationis arguere audeas, audi cœlestem, imo Regis cœlorum auctoritatem: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit (Luc. xi)*. Audi et Apostolum: *Omnia vestra in charitate fiant (I Cor. xvi)*. Audi et patrem Augustinum: *Habe charitatem, et fac quidquid vis*. Audi et ipsum regulæ scriptorem, imo ipsius regulæ dictatorem Spiritum sanctum: *Sic, inquit, abbas omnia temperet atque disponat, ut animæ salventur; et quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant*. Et quid clarius, quid apertius, quid lucidius? Nonne ipsa verborum serenitas absque omni prorsus nubilo se esse ostendit, et clarissimam veritatis lucem, remoto omnium nubium velamine mortalibus manifestat? Ecce magister cœlestis totum corpus tuum, o frater, simplicitate oculi, hoc est universa opera tua, puritatis intentione, lucida esse docet. Ecce post ipsum summus Ecclesiæ doctor omnia tua in charitate fieri præcipit, ecce maximus post apostolos Ecclesiarum instructor, omnem tibi quæ volueris faciendi potestatem, charitate manente concedit. Ecce ipse, cui inniteris, Benedictus Pater, abbatem sic omnia temperare jubet, ut animæ salventur, et murmur absit: et saluti sub eadem Regula diversa sequentium metuis? Nonne cernis tutissimos ab omni periculo, quorum et quod majus est præcepta a qualibet varietatis mobilitate vel culpa, intentio salvandi animas juxta ipsam Regulam, excusat? Sed jam, ut et ipsa ratio auctoritatibus præmissis in omnibus famulari intelligatur, eique indivisibiliter cohærere, subjungantur aliqua de instanti quæstione capitula, in quibus simplici oculo, sincera charitate, salvandarum animarum intentione, quædam mutata monstrentur. Nam his demonstratis, nihil, ut arbitror, quantum ad præsens negotium pertinet, tibi quærendum relinquam. Simplici namque oculo tu uteris, qui non nisi post annum novitio aditum claustrum aperis, quia, juxta Apostolum et regulæ verba, Spiritum noviter venientis, utrum ex Deo sit, per totius anni spatium perscrutaris. Simplici oculo et tu uteris, qui advenientem infra ejusdem anni metam suscipis, quia eum per tantum temporis dilatatum, ad pristinas fæces, et ad prioris vitæ detestanda mala redire formidas. Simplici oculo tu uteris, qui duabus tunicis, et duabus cucullis, vel ejusdem generis paucis additis vestibus contentus es, quia, et si non præceptum, consilium tamen vel existimationem scriptoris regulæ sequi, quam alterius generis vestes addere vel assumere maluisti. Simplici oculo et tu uteris, qui usum mediocritatæ

pelliciarum admisisti, quia debilibus, quia infirmis, quia delicatis, quia omnibus, quantum ad frigidiores terrarum partes pertinet, ne murmurarent, ne languerent, ne, rationabili necessitate subtracta, et aliqui a proposito recederent, providisti. Simplici oculo tu uteris, qui non nisi tertio fugitivos revertentes recipis, quia et ipsa Regulæ verba conservare, et a frequenti fuga stultos vel instabiles monachos studes, negato demum reversionis aditu deterrere. Simplici oculo et tu uteris, qui plusquam tertio monachum redeuntem recipis, quia times ne venia denegata, expositus hostibus pereat, et ovem vagabundam lupus, qui et clausas rapere ac dispergere solet, interimat. Simplici oculo tu uteris, qui absque exceptione aliqua regularia jejunia tam æstatis quam hiemis observas, quia et, prout ea tradita sunt, vis conservare et prolixioris abstinentiæ cumulationem fructum recipere.

Sed quod puro charitatis animo loquor, octo diebus Natalis Domini, Epiphania, Purificatione, qui vere per omnia dies Dominici sunt, jejunia a quibuslibet observari non satis approbo. Simplici oculo et tu uteris, qui et hos dies, quos prædixi, et omnem authenticam duodecim lectionum solemnitatem ab hac regularium jejuniorum consuetudine excipis, quia ipsum Dominum, quia apostolos, quia quosdam alios sanctorum, et sic honorare conaris, et omnium pene religiosorum sic jejunantium morem imitari proponis. Simplici oculo tu uteris, qui opus manuum, secundum Regulæ præceptum, observas, quia et Regulæ obedire, et otiositatem inimicam animæ, secundum ejusdem Regulæ dicta, talibus exercitiis, tam sacris non solum monasticis, sed et apostolicis institutionibus vis cavere, et in quantum facultas datur, juxta Patres antiquos, et vitæ necessaria providere. Simplici oculo et tu uteris, qui hoc opus manuum ex parte postposuisti, quia non in silvis, nec in desertis, sed in medio urbium et castrorum constitutus, et undique populis circumseptus, nec toties et toties ire ac redire horum causa operum, per promiscuam utriusque sexus multitudinem absque aliquo vel plurimo periculo potes; nec insuper opportuna loca, ubi talibus exerceri operibus possis, plerumque possides. Sed ne inimica religiosi otiositas te vacante locum tibi nocendi inveniat, aut ubi et quando potes manibus operaris, aut ubi non potes, opus hoc manuum operibus divinis per vices variando compensas, sicque ne domum pectoris tui vacantem nequam spiritus sibi vindicet, quibus potes sacris studiis totum vitæ tuæ tempus occupas. Simplici oculo tu uteris, qui in omnibus advenientibus vel discedentibus hospitibus, inclinato capite vel prostrato omni corpore in terram Christum adorās, eisque universis pedes abluis, quia præcipuum hospitalitatis bonum, secundum Evangelii et Regulæ decreta, summo excolere studio, ut decet, satagis, et tam sanctæ humanitatis exhibitione condignam mercedem tibi vindicare contendis. Simplici oculo et tu uteris, qui

A non ante omnes hospites prosterneris, qui non omnibus pedes abluis, quia impossibile omnino tibi esset ante tantam hospitem multitudinem assidue advenientem semper in terram prosterni, omnibus pedes abluere, in tantum ut si ad ista continue vacare velles, cunctis aliis ordinis tui exercitiis omisis, nec istud solum explere valeres. Et quia quod impossibile tibi esse perspicias omittis, quod hospitum susceptioni necessarium est pro viribus exhibes, eosque quo potes honore prosequeris a jam dictis, quæ explere non vales, simplicitate oculi excusaris. Simplici oculo tu uteris, qui mensam abbatis cum hospitibus et peregrinis semper esse vis, quia et Regulæ obedire et hospitibus tibi humanius deservire videris. Simplici oculo et tu uteris, qui mensam abbatis non semper cum hospitibus, sed semper cum fratribus esse decernis, quia multorum abbatum, ut mitius loquar, profusioni, qui hospitum occasione sibi propitii, suis impii esse solebant, eum ad mensam communem revocando mederis. Simplici oculo tu uteris, qui velut Esdras legem, qui velut Machabæi ruinas templi Dei, sic tu monastici ordinis plurima detrimenta multasque in multis multorum monasteriorum morumque ruinas reparare laboras, et delicatis magis quam necessariis condescensionibus explosis, ad antiqui et primi fervoris morem, nostrorum temporum teporem revocare contendis. Simplici oculo et tu uteris, qui ita et Regulæ et ordinis mandata moderaris, ut secundum ejusdem Regulæ verba sit, et quod fortes cupiant et infirmi non refugiant, ut qui pane non potest, lacte saltem ne vitam perdat, alatur; et qui anhelis cursibus propositum bravium comprehendere non valet, lento saltem pede ad illud pertinere doceatur, quia non minus patriæ inhabitator dicitur, qui ad eam post annum, quam qui post mensem revertitur.

Quod tamen salvo itinerantium diverso labore dico, quia juxta apostolicam vocem; *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem* (I Cor. III). Habes tu hujus propositi tui Benedictum auctorem, ejus licet scripta, ubi charitas jubet, ipso teste minime sequi cogaris; sequi tamen quia tanto viro congrua visa sunt, devotione laudabili delectaris. Habes, et tu institutionum tuarum eundem Benedictum auctorem, qui ad finem charitatis universa scripta sua redigi præcipit, et animarum saluti quoquo modo, isto vel illo ordine inservire. Habes et Maurum præcipuum inter ejus discipulos discipulum, qui, ab eo missus ad Gallias, aliqua vel multa de ejus regula, eo, quem supra scripsi, oculo legitur immutasse. Habes et plurimos post ipsum monasteriorum Patres, quos Spiritu Dei pro temporibus, pro locis, pro personis, ad moderanda sæpeditæ Regulæ scripta actos esse, et vita præcellens, et innumera tam in vita, quam post mortem a Deo per ipsos facta miracula, luce clarius manifestant. Et quid ultra dicam? Simili ratione per reliqua omnia, quæ videntur diversa

capitula currente, simplicem oculum, quem alius A
charitatem, alius salvandarum animarum inten-
tionem nuncupat, ubique reperies, et hoc modo
nihil diversum, nihil dissonum, quia per charitatem
fiunt omnia unum in his quæ varie servari videntur
invenies.

Istis adjicio (quod tamen omnibus patet) nihil
pene talium in Regula præceptum, sed cum condi-
tionis additamento, et abbatis temperamento pro-
latum. Quod etiam si imperative dictum fuisset,
nequaquam simplici oculo, id est charitati evange-
licæ præjudicare potuisset. Talia enim, ut nosti, de
numero præceptorum mobilium sunt, et quando
charitas imperat, absque aliquo transgressionis ti-
more movenda sunt. Nec suspecta esse debet hoc
respectu Regulæ professis Regulæ prævaricatio, quia B
Regula illa illius sancti Patris, ex illa sublimi, et
generali charitatis Regula pendet, ex qua et *in qua*,
juxta Veritatis verba, *universa lex pendet et pro-
phetæ (Matth. xxii)*. Quod si universa lex, tunc et
illius Regulæ lex. Monachus ergo Regulam patris
Benedicti profitens, tunc eam vere servat, quando
in servatis vel mutatis quibuslibet ejus capitulis,
charitatis legem ubique conservat. Quid igitur? Si
hæc certe, o fratres, tota mutui erat causa dissidii,
nonne jam vobis prorsus exclusa videtur? Nonne
jam fraterna pace uniri debent corda monachorum,
cum varia illa, propter quæ discissa fuerant, sim-
plex fecerit charitas unum? Nonne multa unum fa-
cit, quæ sub uno monastici ordinis, vel unius Regulæ C
proposito, diversa, sed bona sequentes, ad unum sum-
mi boni vel sempiternæ vitæ debitum finem perducit?
Fiat ergo pax, o Jerusalem, in virtute tua, ut sequatur
et abundantia in turribus tuis (*Psal. cxxi*). Sed ne
forte inveniamur de illis esse qui dicunt: Pax, pax,
et non est pax (*Fer. vi*); scrutemur si qua adhuc
divortii causa supersit, ne forte nobis dormientibus
ac securis repentinus de caverna sua anguis exsi-
liat, et aliquem ex nostris vel vestris incautius
quiescentem mordeat. Fortassis enim vestes istæ
coloris diversi incentivum discordiæ præstant, et
multiformis varietas vestium varietatem quoque pa-
rit et mentium. Nam, ut pene assidue cerno, et om-
nibus ipsis quoque negligenter intuentibus adver-
tere perfacile est, niger, ut sic dicam, monachus D
album fortuitu occurrentem obliquo sidere respicit,
albus nigrum vix media oculi parte, et quando se
ingerit, contuetur. Vidi plurimos, nec recordor
quoties, de nigrorum numero, occurrentem quem-
piam album quasi monstrum ridentes, et velut si
chimæra vel centaurus, vel portentum aliquod pere-
grinum oculis ingereretur, voce vel gestu corporis
se stupere signantes. Vidi e converso loquaces prius,
et multa passim occurrentia ad invicem conferentes
albos, nigro quolibet adveniente, subito obmutuisse,
et, velut ab hostibus hostium secreta rimantibus,
silentii sibi remedio præcavisse. Intuitus sum utrius-
que generis hominum linguas tacentes, oculos, ma-
nus pedesque loquentes, et quod voce, ne proderen-

tur, indicare nolebant, gestuum suffragio clarius
inclamasse; vocem mutam, membra loquacia, et
perverso naturæ ordine, lapidibus clamoros, homi-
nes hominibus taciturnos. Recordatus sum sæpe
talia videns, illius Salomonici verbi, quo de simili
hominum genere fatetur: *Annuat oculis, terit pede,
digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in
omni tempore jurgia concitat (Prov. iv)*. Et, o pessi-
mi angeli et a Deo projecti pravum, et pertinax con-
siliium, qui nolens se solum æternæ paci periisse,
socios sibi suæ perditionis undecunque acquirit; et
ut gloriosiore palma lætetur, cedros vel abietes pa-
radisi Dei, cujus ipse olim colonus existit, violen-
to nequitiae suæ impulsu subruere conatur! Dolet
sibi periisse hæresum palmam, quia prisceis tempo-
ribus Ecclesiam Dei scindere consueverat; et videns
se fidem nullo jam pacto lædere posse, Spiritu Dei
eadem fide replente orbem terrarum, ad charitatis
mutuæ læsionem totum conatum convertit. Nam
quia, ut infideles sint, hominibus Christianis jam
persuadere non potest, toto conamine, ne se invi-
cem diligant, elaborat. Jam Arii, jam Sabellii, jam
Novati, jam Donati, jam Pelagii, jam antiquioris
horum execrandi Manichæi, secta periit, jam innu-
merabilium hæreticorum nebulæ lucem fidei ob-
umbrantes, Dei flante spiritu evanuerunt, et
meram nobis diem omni remota caligine relique-
runt.

Sed his succedens Africus turbo, omnia subito
turbare contendit, et quia fidem prævaluisse cogno-
scit, læsione charitatis pristina damna recompensare
molitur. Sed ut deploratione omissa, ad ea quæ
coeperam stylum reducam, cur tibi, o albe monache,
nigredo fratris tui non mentis, sed vestis, exsecran-
da videtur? Cur tibi, o niger monache, albedo fra-
tris tui, non mentis, sed vestis admiranda creditur?
Nonne uterque vestrum de ovibus pastoris illius est,
qui dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego
Dominus agnosco eas, et sequuntur me; et ego vitam
æternam do eis, et non peribunt in æternum, neque
rapiet eas quisquam de manu mea? (Joan. x)*. Et
quis unquam pastor, non dicam Deus, sed vel ho-
mo, de velleribus ovium suarum discoloribus dispu-
tavit? quis unquam causatus est? Quis unquam ma-
gis albas quam nigras, nigras quam albas suas esse
oves judicavit? Quis unquam non utrum nigræ vel
albæ, sed utrum nigræ vel albæ de eodem suo
grege essent attendit? Et, o malitia hominum! et o
innocentia pecudum! O constans in sua origine,
creata in brutis animalibus substantia! o perversa
in rationali animante natura! Quis unquam albus
aries nigrum dedignatus est? Quæ unquam ovis ni-
gra albam detestata est? Nonne commupiter, non-
ne pacifice, nonne omnino tranquille, sine omni
multiplicis coloris quæstione; absque omni inquietu-
dine caulas pastorales replent? Et quidem ali-
quando aries arietem cornibus impetit, ovis ovem
crebris pulsibus tundit; sed hos vel has non varie-
tas coloris ad pugnam excitat, sed innata cunctis

animalibus ac modo quolibet irā excita provocat. At nunc, ut video, stolidior pecude homo, in honore positus non intelligit; et, quod magis deflendum est, monachus homo a charitatis unitate vario variatus colore sese disjungit. Noli, noli, oro te, frater, si ovis Christi esse cupis, vario de vellere causari, quia nullum de ovili suo pastor ille projicit, nisi quem non coloris varietas, sed fidei vel charitatis læsio ab ovium suarum grege secernit. Non, inquam, secernit quempiam ab ovili suo propter colorem, qui de tam semotis regionibus, de tam diversis religionibus, in uno Christianæ fidei ovili Judæum congregavit pariter et gentilem. Hoc fortassis docuit, et patientia illius sancti patriarchæ Jacob, qui decies a Laban immutatam mercedem æquo animo tulit, et nihil differre inter album et nigrum vel varium pecus, eodem boni pastoris animo, et cura multicolorem gregem pascendo monstravit. Et cum dicat Apostolus: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura* (Gal. v). Et alio loco: *Ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* (Coloss. iii), quis puerilis animus in tantum desipere potuit, ut vel variarum vestium colorem, vel diversum consuetudinum morem, servata nova creatura in Christo, aliquid, quantum ad salutem, differre putaret? Quod si quantum ad salutem nil refert, cur varius vestium color monachos separat? cur schisma generat, cur animos dividit? cur charitatem lædit? Non est, non est causa aliqua, non ratio ulla, non dico odiendi, non dico dividendi, sed nec grunniendi in istis. Habes tu idoneum defensorem albedinis tuæ, simplicem, ut supra dixi, oculum conscientiae tuæ, quo, ne longo temporis usu niger inductus, putaret non nisi sub atro colore suo monachum esse posse, albam cucullam et tunicam induisti, et quia sub nigrorum habitu innumerabiles hujus ordinis tepefactos a proposito cernebas, ad majorem et novum monasticæ religionis fervorem, hoc hactenus inusitato vestium candore excitare arte laudabili voluisti. Flabes, et tu non dissimiliter probabilem auctorem nigredinis tuæ, longissimum a patribus traditum consuetudinis morem: quo tutior tibi videris sequendo vetera, quam ad inveniendum nova. Habes uterque utriusque coloris tui inexpugnabilem propugnatricem ipsius communis Regulæ vocem, quæ præcipit ut de vestium colore aut grossitudine non causentur monachi, sed illius coloris aut qualitatis vestibus utantur, quæ est in provincia, qua habitant, vel facilius inveniri, vel levius comparari poterint. Tutatur ergo albedinem tuam ratio supra dicta, vel fortasse major, quam nondum novi, aliqua. Tuetur et nigredinem tuam paterna auctoritas, quæ omni rationi æquipollet, et quam inferiorem judicari ab aliquo sanum sapiente non decet. Et cujus Patris exemplum ad hoc afferendum afferre potero? et quem majorem magno Martino re-

A perire valebo? Ille, inquam, ille magnus Martinus monachus et episcopus, nigrarum colorem vestium suis vestibus dedicavit. De qua re sic in ejus Vita legitur. Quem cum nigro ac pendulo pallio circumtectum contigua de laterè jumenta vidissent, paululum in partem alteram pavefacta cesserunt. Quod vero monachus fuerit, monasterium quod non longe ab oppido Pictavensi, monasterium quod Mediolani, monasterium quod sibi Turonis construxit testantur. Ecce monachus Martinus, ecce nigris vestibus contectus Martinus. Sed quid et de his Hieronymus in Epistola ad Nepotianum missa scribit? *Vestes, ait, pullas æque ut candidas evita*. Monens eum scilicet, ut fastum vel jactantiam caveret, non solum in candidis vestibus, quibus tunc magis sæculares utebantur, sed etiam in pullis, quibus illius temporis religionis professores uti consueverant.

De his admirandus ille Nolanus episcopus Paulinus, jam dicti Martini, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, contemporaneus ac familiaris, multisque sæpe ab ipsis, sed et a magno papa Gregorio laudibus prædicatus, iter cujusdam nobilissimæ sed ad religionis monasticæ propositum nuper conversæ feminæ describens, sic in epistola Sulpicio Severo directa loquitur: *Vidimus gloriam Domini in illo matris et filiorum itinere. In eo quidem, sed longe dispari cultu. Macro illam et vilioris asellis burico sedentem, tota hujus sæculi pompa, qua honorati et opulenti poterant circumflui senatores prosequuntur; carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, et carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente. Sed splendoribus vanitatis prælucebat Christianæ humilitatis gratia. Admirabantur divites pauperiem sanctam, ut illos nostra pauperies ridebat. Vidimus dignam Deo hujus mundi confusionem, purpuream, sericam, auratamque suppellectilem, pannis veteribus et nigris servientem. Benediximus Dominum, qui humiles excelsos facit, esurientes implet bonis, et divites dimittit inanes*. Ecce non solum viri antiquæ religionis, sed etiam mulieres, sanctitatis propositum assumentes, vestibus nigris usæ scribuntur. Nam, ut quod sentio fatear, visum est, ut mihi videtur, magnis Patribus illis nigrum hunc, de quo D agitur; colorem magis humilitati, magis poenitentiae, magis luctui convenire. Quibus studius quia totam monachi vitam maxime invigilare oportet, decreverunt ut color moribus, vestes virtutibus, qua possent cognatione jungerentur. Vestes enim candidas magis gloriam quam abjectionem, magis gaudium quam moerorem antiquitus designasse, magis etiam Ecclesiæ, ut omnibus notum est, sic interpretantibus, et angelus resurgentis, et angeli ascendentis Domini præcones indicarunt; ipseque Salvator in illa transformationis suæ gloria vestibus niveis præclarus apparens, ostendit. Inde bonus et doctus vir Sidonius Arvernus episcopus, quorundam vitia mordaci reprehensione irridens, inter alia quibus in eos invehitur: *Procedunt, inquit,*

Abati ad exsequias, pullati ad nuptias, ostendens eos in tantum moribus et actu confusos, ut apparatus funereum nuptiali, nuptialem funereo, per-verso ordine permutarent. Nam qui morem communem temporis illius servabant, non abati ad exsequias, pullati ad nuptias, sed abati ad nuptias, pullati ad exsequias procedebant, ut abati nuptiali gaudio, pullati luctui funereo concordarent. Vidi nuper ipse in Hispaniis constitutus, et admiratus sum, antiquum hunc morem ab Hispanis adhuc omnibus observari. Mortua quippe uxore maritus, mortuo marito conjux, mortuis filiis patres, mortuis patribus filii, defunctis quibuslibet cognatis cognati, extinctis quolibet casu amicis amici, statim arma deponunt, sericas vestes, peregrinarum pel-lium tegmina abjiciunt, totumque penitus multico-
lorem ac pretiosum habitum abdicantes, nigris tantum vilibusque indumentis se contegunt. Sic crinibus propriis, sic jumentorum suorum caudis decurtatis, seque et ipsa atro prorsus colore denigrant. Talibus luctus dolorisve insignibus, subtractos charissimos deflent, et integri ad minus spatium anni, in tali mœrore publica lege consummant.

Hac tanta auctoritate vel ratione tibi colorique tuo, niger monache, satisfacio, nec tamen ideo albi albedinem condemno. Laudaris tu, quia Patrum tuorum sanctum non vis excedere morem; laudatur et ille, quia, vestium in solito candore, sui magis ac magis animi in sancto proposito excitat etiam hoc modo fervorem. Distinguit se quodammodo tali colore, non a communi (quod nefas esset) charitate, sed a multorum hujus ordinis nota omnibus tepiditate. Cum sis igitur sub uno pastore Jesu Christo, cum habites in uno ovili Ecclesiae, cum ex una vivas æternorum fide et spe, tam tu, albe, quam tu, niger monache, quid de variis velleribus, ut parum austerius loquar, stultissimæ oves causamini? Quid tam nulla, imo tam stulta de causa, contra vos adinvicem movemini? Cur tam puerili occasione primam illam stolam charitatis scinditis? Cur ipsa habitacula separatis? Cur vos ipsos non jam ovino, sed lupino dente mordetis? Cur detrahitis? Cur laceratis? Videte, cavete, ne hoc nomen innocentiae, quo oves nuncupamini, non de illis vos faciat, quas positurus est summus Pastor a dextris, et de quibus ipse ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribit in æternum (Joan. x)*. Sed (quod absit!) inter illas vos constituat, de quibus legitur et cantatur: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos (Psal. XLVIII)*. Cernitis adhuc stultam esse causam, de colore disputare? Dam-nabilem, fratrem pro colore odire; pessimam, fratri pro colore detrahere. Si tota hæc mutui causa erat discidii, si sola tanti materia divortii, si, inquam, schismatis monastici hæc sola et tota erat occasio nonne hac tam multis rationibus explosa, cordium vestrorum jam vetus scissura unietur? Nonne læsa charitas curabitur? Nonne ad pacis filios evangelica

A pax reverteretur? Satisfacite igitur paci, filii pacis, et cum ea perpetuum foedus inite, ne forte, si aliter fiat, proferatur, quandoque etiam contra vos dirissima illa prophetæ sententia: *Non est pax, dicit Deus meus, impiis (Isa. XLVIII)*. Et jam Deo gratias, æstimo me quorundam nostri ordinis virorum, antiquas odiorum causas et latebras penetrasse, nec jam ad quærendum etiam sollicito cogitatu aliquid superesse. Quod si res ita se habet, neque, tu albe, nigrum, neque, tu niger monache, album, si præscripta servare volueritis, infestabis, neque adversus fratrem pro diverso consuetudinum more, vel pro vario tam sæpe nominato colore, a statu altissimæ charitatis moveberis. Sed quid dixi? Quomodo mente excessi? Ubi intellectus animi? Unde acies obscurata videndi? Putabam me omnem scandalorum materiam invenisse, arbitrabar me omnes odiorum latebras detexisse. Suspicebam, ut dixi, solam diversitatem consuetudinum, solam varietatem colorum, qualitatem, aut quantitatem vestium, aut escarum, charitatem inter monachos vulnerasse, et tanti mali istam tantummodo causam existere. Cernebam festucam in oculo fratris, sed trabem permaximam, et quercum prævalidam in meo vel ipsius oculo videre non poteram. At nunc clarificato oculo, serenata die, et sole meridiano jam nil latere permittente, video, video, inquam, quod liceat mihi dicere pace omnium, unde tamen certus sum, quod licebit mihi omnium pace bonorum. Nam qui indignabitur, de se, ut ait Hieronymus, dictum fatebitur. Non refugit manum medentis pars sospes corporis, sed quæ se palpantis digitis tremens subducit, pestem sine dubio intrinsecus latere ostendit.

Quid est ergo quod exciderat? Dic, dic, inquam, tu, ut mei propositi prius hominem alloquar, dic, o niger monache, da gloriam Deo; et quod in imis cordis tui contra fratrem adhuc latet, denuda. Quis, inquis, pati potest novos homines veteribus anteferri, eorum studia, nostrorum actibus præponi, nostros viliores, illos chariores videri? Quis æquo oculo aspicere potest, mundum ex plurima sui parte a nostro veteri ordine averti, ad ipsorum novum propositum converti, relinqui tritas a sæculis vias, concursus fieri ad ignotas hactenus semitas? Quis patiatur novos veteribus, juniores senioribus, albos nigris monachis anteferri? Hoc, tu, inquam, niger, dicis. Sed tu, albe, quid proponis? Felices nos, inquis, quos longe probabilior institutio commendat, quos beatiores aliis monachis mundus prædicat, quorum opinio, aliorum existimationem, quorum dies, aliorum lucernam, quorum sol, aliorum sidus obscurat. Nos religionis perditæ restauratores, nos emortui ordinis resuscitatores, nos languentium, tepentium, sordentium monachorum justissimi condemnatores. Nos moribus, nos actibus, nos usibus, nos vestibus a cæteris divisi, et veterum teporem ostentui fecimus, et novum nostrorum fervorem præcellere approbamus. Ecce, ecce, vera illa occultior,

sed longe aliis charitati infestior causa, quæ mentium vestrarum unitatem scindebat, quæ ipsas domos ab invicem secernebat, quæ ad verba detractoria vel maledica linguas vestras persæpe, juxta Prophetam, ut gladium acuebat. Sed retundatur lethalis gladius gladio verbi divini, et ne levi inanis gloriæ vento tantis sudoribus fruges collectæ dispergantur, si sapientes estis satagite. Et, o infelix nimiumque deslenda jactura! si longissimi ævi tui mundissimam continentiam, si invincibilem obedientiam, si jejunia infracta, si perpetuas vigiliæ, si tam grave jugum disciplinæ, si tot palmas patientiæ, si, ut breviter multa concludam, tantos tamque innumeros non jam terrenæ, sed coelestis vitæ labores, per tanta tempora ad stipendium æternitatis, a te per Dei gratiam congregatos, unus nequam serpentis sibilus disperserit, et te solo flatu evacuans, inanem in conspectu summi judicis draco vœternus effecerit. Et ubi est quod Salvator hoc morbo adhuc laborantibus discipulis ait: *Videbam Satanam quasi fulgur de cælo cadentem?* (Luc. x). Ubi est, quod, facta huic simili contentione inter eos, quis eorum videretur esse major, alibi dicit: *Vos autem non sic; sed qui major est in vobis fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut ministrator?* (Luc. xxii). Ubi latet absconditum ab oculis memoriæ, quod excelsus ille et magnus, *cujus, juxta psalmum, magnitudinis non est finis* (Psal. cxliv); et qui, juxta Apostolum, *est super omnia Deus benedictus in sæcula* (Rom. ix), servis suis non se præferens vel conferens, sed submittens, sequitur et dicit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat?* (Luc. xxii). Corripitur apostolus, ne se præferat apostolo et non corripietur monachus, ne se præferat monachos? Supponitur a Christo magistro, minori discipulo major, inferiori superior, et super Cisterciensem ego Cluniacensis elevari conabor? Submittit se suis discipulis ipse Christus, et super fratrem longe forsitan meliorem tumentem superbia levabit cervicem Christianus, et monachus? Dejicit se majestas, et jactat se infirmitas? Humiliat se celsitudo, et extollitur putredo? Servit Deus, et imperare nititur limus. Et quomodo cecidisti, frater, de gradu regulæ tuæ, quo te conscendisse gloriabar, ut monachus omnibus se inferiorem, et viliorem non solum sua lingua pronuntiet, sed et intimo cordis credat affectu? Et quid ultra laboro? Non est necesse religiosi, sapientibus, litteratis acrius instare, nec, ut vulgo dicitur, Minervam docere, vel ligna ad silvam, vel aquam ad flumina sive mare deferre. Intelligit, agnoscit utriusque vestrum sapientiæ sicut sine fide, sic et sine charitate impossibile Deo placere; nec aliquem, humilitate abjecta, posse eandem charitatem nisu quolibet retinere. Unde enim humilitas recedit, ibi necessario superbia succedit. Ubi superbia succedit, ibi statim et invidia accedit. Ubi invidia oritur, confestim charitas moritur. Nam neque eum, cui invidet invidus, potest diligere, nec in non diligente charitas aliquo

A modo permanere. Propter ista, unde abest charitas, abest humilitas; et unde abest humilitas, abest et charitas. Hoc docet clare et Apostolus, cum dicit: *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non est ambitiosa* (I Cor. xiii). Et quia nec etiam alienarum rerum cupida, subdit: *Non quærit quæ sua sunt* (ibid.).

B Inflationem ergo omnem, ambitionem omnem, cupiditatem omnem, avaritiam omnem excludit charitas; imo per charitatem, juxta sequentia Apostoli, expellitur tota simul iniquitas. Jam si hanc charitatem, quam legem Christi idem Apostolus vocat, vis frater Cluniacensis frater Cisterciensis, integram conservare, si per ipsam maximos tibi thesauros in cælo recondere, si reconditos conservare, da totam quam potueris operam, et causas non dico eam fugantes, non dico eam perimentes, sed vel parum eam lædentes a te abige; si expulsæ redire voluerint, firmi pectoris redeuntibus ostium claude, et cohabitatricem sempiternam, totis sanctæ animæ tuæ amplexibus retine. Sublevabit te charitas ipsa firmiter retenta ad regna cælorum, quæ nimia ac dulci vi sua inclinavit usque ad terras Regem cælorum. Fidelis inde testis est Apostolus, dicens quod propter nimiam charitatem Filium suum miserit Deus in similitudinem carnis peccati (Rom. viii). Gaudebis perenniter coram Deo charitate, et gaudium tuum (Joan. xvi), sicut ipse promisit, nemo tollet a te, quando erit Deus omnia in omnibus (I Cor. xv). Quando satiaberis a longinqua esurie tua? Cum manifesta fuerit gloria ejus. Quando cum apparueris similis ei cris et per hanc charitatem ei sempiternæ unitus, videbis eum sicuti est (I Joan. iii).

C Jam tandem ad vos, mi charissime, cui præsens epistola mittitur, stylus recurat, ut a quo sumpsit initium, in ipso suam fortassis importunam prolixitatem finiat. Causa mihi scribendi, ut superius professus sum, teste conscientia, sola vere charitas fuit, ut, quantum ad utrumque nostrum attinet, flatu collocationis eam recalescere, et in mutui affectus solitas vel majores flammæ erumpere cogere. Restat ut vos quem lacteam fortemque columnam, cui innititur, monastici ordinis ædificio summa providentia præparavit, et velut rutilum sidus exemplo verboque non solum monachis, sed et toti Latinæ Ecclesiæ nostro tempore insigniter lucem donavit, restat, inquam, ut totam quam potueritis huic divino operi detis operam, et unius nominis et ordinis maximas congregationes nequaquam ultra dissidere patiamini. Studui ego semper, ut sanctos illos congregationis vestræ monachos nostris fratribus commendarem, et ipsos illis perfectæ unionis charitatis, si fieri posset, etiam inviscerarem. Hoc publice, hoc privatim, hoc in magnis nostrorum conventibus facere non neglexi, et ut rubiginem illam livoris et zeli contrarii, quæ interiora viscerum latenter rodere solet, eraderem. modis quibus potui laboravi. Instate et vos pro magna illa gratia a Deo

vobis collata, agro communi, ut sicut nullus post vos nostris diebus plura utilia in illo plantasse probatur, ita laudabili studio et industria, omne satis utilibus contrarium avellatur. Expellite sublimi illo et ex Spiritu Dei flammante eloquio ab eorum cordibus, ut mitius loquar, puerilem illam æmulationem, a lingua susurationem, et loco istorum, velint nolint, fraternam ingerite dilectionem. Non segreget ultra greges vestros a nostris gregibus usuum diversitas, colorum varietas; sed a summa unitate derivata, corruta reparans, discissa redintegrans, divisa unificans universa uniat charitas. Sic plane, sic decet, ut quibus est unus Dominus, una fides, unum baptisma: quos continet una Ecclesia, quos manet una perennis et beata vita, eis quoque, juxta Scripturam, sit cor unum et anima una (*Act. iv.*) Misi gemmeo amico salis gemmam, cujus corporalem usum vobis utilem olim audivi, et cujus specialem intellectum suprascriptis necessarium esse putavi. Nam quamlibet multos et pretiosos apparatus virtutum suarum æterni regis mensæ, si sine fraterni amoris sale intulerint, ut insulsi rejicientur, si hoc sale eos condierint, epulæ jam placentes cum offerentibus admittentur. Nam qui in lege sua nullum sacrificium sine sale suscipit, nullius munus virtutis sine tali condimento sibi placere ostendit.

Misi et novam translationem nostram contra pessimum nequam Mahumet (439) hæresim disputantem quæ dum nuper in Hispaniis morarer meo studio de lingua Arabica versa est in Latinam. Feci autem eam transferri a perito utriusque linguæ viro, magistro Petro Toletano. Sed quia lingua Latina non adeo ei familiaris vel nota erat ut Arabica, dedi ei coadjutorem doctum virum dilectum filium, et fratrem Petrum notarium nostrum, reverentiæ vestræ, ut aestimo, bene cognitum. Qui verba Latina impolite vel confuse plerumque ab eo prolata poliens et ordinans, epistolam imo libellum, multis, ut credo, propter ignotarum rerum notitiam perutilem futurum perfecit. Fuit autem in transferendo hæc mea intentio, ut morem illum Patrum sequer, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimum, ut sic dicam, hæresim silendo præterirent: quin ei totis fidei viribus resisterent, et scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hoc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce universarum hæresum, in quam omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquiæ conflu-

xerunt, facere volui, ut sicut lethali ejus peste dimidius pene orbis infectus agnoscitur, ita quam sit exsecrandus et conculcandus, detecta ejus stultitia et turpitudine, a nescientibus agnoscat. Agnosce-
tis ipse legendo, et, sicut arbitror, ut dignum est deflebitis, per tam nefarias et abjectissimas sordes, tantam humani generis partem deceptam, et a Conditore suo per spurcissimi hominis sectam, etiam post Redemptoris gratiam tam leviter aversam. Nec ignoro equidem quoniam scriptura ista, quæ perditis illis in propria lingua prodesse non potuit, in Latinam versa minus proderit. Sed proderit fortassis aliquibus Latinis, quos et de ignotis instruet, et quam damnabilis sit hæresis, quæ ad aures eorum pervenerat, impugnando et expugnando ostendet. Et ut nihil damnabilis sectæ nostros lateret, totam illam illorum legem, quam in propria lingua Alcoram vel Alcyren vocant, ex integro et per ordinem feci transferri. Interpretatur autem Alcoran vel Alcyren, si e verbo verbi expressa translatio fiat, collectaneus præceptorum, quæ, sibi per partes de cælo missa nequam ille confinxit. Feci insuper et quasdam ejus fabulas cum quodam Abdia Judæo et aliis Judæis habitas transferri, quæ inauditis deliramentis, et velut somniorum phantasiis super universa ipsius scripta nefanda sectam etiam pecoribus ostentui faciunt. Sed quia res diffusa est, et propter linguæ barbariem ex magna sui parte ad intelligendum difficilis, breviter dico quis iste fuerit, et quid docuerit. Putant enim quidam hunc Nicolaum illum unum ex septem primis diaconibus fuisse, et Nicolaitarum ab eo dictorum sectam, quæ etiam in Apocalypsi nominatur, hanc modernorum Saracenorum legem existere. Somniant et alii alios, et sicut lectionis incuriosi et rerum gestarum ignari, sicut et in aliis casibus, falsa quælibet opinantur.

Fuit autem iste tempore imperatoris Heraclii, paulo post tempora magni et primi Gregorii Romani pontificis, ante annos ferme quingentos quinquaginta, Arabs natione, vilis genere, antiquæ idololatriæ cultor, ineruditus, nullarum pene litterarum, strenuus in sæcularibus, et calliditate multa, de ignobili et egeno in divitem et famosum proventus. Hic paulatim crescendo, et contiguos quosque, et maxime sanguinis proximos insidiis, rapiis, incursionibus frequenter infestando: quos poterat furtim, quos poterat publice occidendo, terrorem sui auxit; et sæpe in congressionibus factus superior, ad regnum suæ gentis aspirare coepit. Cumque univeis pari modo resistentibus, et ejus ignobili-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(439) Misi novam translationem nostram contra pessimam nequam Mahumet hæresim. Translationis hujus meminit et in Summula sectæ Saracenorum, quam ex Alcorano nunc primum editioni huic adjecimus, ubi et rationem reddit quare de Arabico in Latinum sectam illam transferre curaverit, et eam etiam scripto refellere, si magnæ suæ occupationes permetterent, adjuvante Deo promittit. Quod et quinque libris fecisse testatur auctor Chronici Clu-

niacensis. Verum quia libros hos, quamlibet adhibuerimus diligentiam, nancisci nondum licuit, illorum saltem, qui per capita distribui sunt, argumenta, quæ paucis abhinc diebus ad notitiam nostram pervenerunt, ex alio itidem Cluniacensi Chronico dare peropportunum hic videtur. (*Opusculi adversus sectam Saracenorum duos priores libellos edidit domnus Martenius, præfixis quatuor librorum capitulis. Vide infra.*)

tatem contemnentibus, videret se hac via non posse consequi quod sperabat, quia vi gladii non potuit, religionis velamine et divini prophetæ nomine rex fieri attentavit. Et quia inter barbaros barbarus, inter idololatrias et ipse idololatram habitabat, et inter illos, quos, utpote præcunctis gentibus, tam divinæ quam humanæ legis exsortes, et ignaros, faciles ad se ducendum esse noverat, conceptæ iniquitati dare operam cœpit. Et quia prophetas Dei maguos fuisse homines audierat, prophetam se ejus esse, prædicare jam omnibus cœpit. Interim iudicio illius qui terribilis in consiliis dicitur super filios hominum, et qui miseretur cui vult, et quem vult indurat, dedit Satan successum errori, et Sergium monachum hæretici Nestorii sectatorem, expulsus ab Ecclesia ad partes illas Arabiæ transmisit, et monachum hæreticum pseudoprophetæ conjunxit. Ita Sergius conjunctus Mahumet, quod ei deerat supplevit; et Scripturas sacras, tam Veteris Testamenti quam Novi, secundum magistri sui Nestorii intellectum, qui Salvatorem nostrum Deum esse negabat, partim, prout sibi visum est, exposuit, et eum ab idololatria avertens, Christianum Nestorianum effecit. Et ut tota iniquitatis plenitudo in Mahumet conflueret, et nihil ei ad perditionem sui vel aliorum deesset, adjuncti sunt Judæi hæretico; et ne verus Christianus fieret dolose præcaventes, homini novis rebus inhianti non Scripturarum sanctarum veritatem, sed fabulas suas, quibus nunc usque abundant, Mahumet Judæi insibilant. Sic ab optimis doctoribus Judæis et hæreticis Mahumet institutus, Alcoran suum condidit, et tam ex fabulis Judaicis quam ex hæreticorum næniis confectum nefariam scripturam barbaro illo suo modo contexit. Quod paulatim per tomos a Gabriele, cujus jam nomen ex sacra Scriptura cognoverat, sibi allatum mentitus, gentem Deum ignorantem lethali haustu infecit, et more talium oram calicis melle liniens, subsequente mortifero veneno, animas et corpora gentis miseræ, prohi dolor! interemit. Sic plane impius ille fecit, quando et legem Judaicam, et Christianam collaudans, nec tamen esse tenendam confirmans, probando reprobis reprobavit.

Inde est quod Moysen optimum prophetam fuisse, Christum Dominum majorem omnibus existisse confirmat, natum de Virgine prædicat, nuntium Dei, Verbum Dei, Spiritum Dei fatetur, nec nuntium, Verbum, et Spiritum, ut nos, aut intelligit, aut confitetur. Filium Dei dici, aut credi, prorsus deridet. Et de humanæ generationis similitudine vaccinus homo Filii Dei æternam nativitatem metiens, vel gignere, vel generari Deum potuisse, quanto potest nisu denegat et subsannat. Resurrectionem carnis sæpe replicando astruit, iudicium commune in fine sæculi non a Christo, sed a Deo exercendum esse non negat. Illi tamen iudicio Christum, ut omnium Dominum, ac seipsum ad gentis suæ præsidium adfuturum vesanit. Inferni tormenta qualia sibi libuit, et qualia adinvenire

A magnum pseudoprophetam decuit, describit. Paradisum non societatis angelicæ, nec visionis divinæ, nec summi illius boni, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor. II*), sed vere talem, qualem caro et sanguis, imo fæx carnis et sanguinis concupiscebat, qualemque sibi parari optabat, depinxit. Ibi carni, et omnigenorum fructuum esum, ibi lactis, et mellis rivulos, et aquarum splendentium; ibi pulcherrimarum mulierum, et virginum amplexus et luxus, in quibus tota ejus paradisi finitur, sectatoribus suis promittit. Inter ista, omnium pene antiquarum hæresum fæces, quas diabolo imbuente sorbuerat, revomens, cum Sabellio Trinitatem abnegat, cum suo Nestorio Christi deitatem abjicit, cum Manichæo mortem Domini diffitetur, licet regressum ejus non neget ad cœlos.

His et similibus non acquisitionis, sed perditionis populum imbuens, a Deo plenissime avertit; et ne evangelicus sermo ultra in eis posset habere locum, velut omnia quæ sunt Evangelii et Christi scientibus, cordium eorum aditum ferreo impietatis obice obturavit. Circumcisionem insuper velut ab Ismaele gentis illius patre sumptam, tenendam esse decrevit; et super hæc omnia, quo magis sibi allicere carnales mentes hominum posset, gulæ ac libidini frena laxavit, et ipse decem et octo simul uxores habens, atque multorum aliorum velut ex responso diviño conjuges adulterans, majorem sibi velut exemplo prophetico numerum perditorum adjunxit. Et ne ex toto inhonestus proderetur, studium elemosynarum, et quædam opera misericordiæ commendat; orationes collaudat, et sic undique monstruosus, ut ille ait, humano capiti equinam cervicem, et plumas avium copulat (*HORATIUS, De arte poet.*). Qui quoniam suadente jam dicto monacho, ac præfatis Judæis, idololatriam et reliquit, et relinquendam quibus potuit persuasit, atque unum Deum, deorum multiplicitate relicta, colendum esse prædicavit, hominibus agrestibus et imperitis inaudita dicere visus est; et quia rationi eorum hæc prædicatio concordat, propheta Dei primo ab eis creditur, dehinc processu temporis et erroris, in regem ab eis, quod concupierat, sublimatus est. Sic bona malis permiscens, vera falsis confundens, erroris semina sævit, et suo partim tempore, partim et maxime post suum tempus, segetem nefariam igne æterno concremandam produxit. Nam statim Romano languescente, imo pene deficiente imperio permittente eo per quem reges regnant, Arabum vel Sarracenorum hac peste infectorum surrexit principatus, atque vi armata maximas Asiæ partes cum tota Africa ac parte Hispaniæ paulatim occupans; in subjectos sicut imperium, sic et errorem transfudit. Hos licet hæreticos nominem, quia aliqua nobiscum credunt, in pluribus a nobis dissentiunt, fortassis rectius paganos aut ethnicos (quod plus est) nominarem, quia quamvis de Domino vera aliqua dicant, plura tamen falsa prædicant, nec ba-

ptismati, sacrificio, pœnitentiæ, vel alicui Christiano A sacramento (quod nunquam ullus præter hos hæreticus fecit) communicant.

Quam brevius potui vitam hominis summamque nefandæ legis notavi. Hoc ea de causa feci, ut et rem vobis notam facerem, et ad scribendum contra tam perniciosum errorem animarem. Nam licet, ut supra dixi, hoc perditis illis, ut æstimo prodesse non possit responsionem tamen condignam, sicut contra alias, ita et contra hanc hæresim Christianum armarium habere deceret. Quæ si superflua quilibet causatus fuerit, quoniam quibus resistere debeant talibus armis muniti non adsunt, noverit in republica magni regis quædam fieri ad tutelam, quædam fieri ad decorem, quædam etiam ad utrumque. Nam ad tutelam facta sunt a Salomone pacifico arma, licet tempore suo minus necessaria; præparati sunt a David sumptus, parata et ornamenta, templi divini constructioni, et ornatui deputata. Sed nec illa ejus tempore alicui usui profecerunt, sed in usus divinos post ejus tempora transierunt. Manserunt itaque ista aliquanto tempore otiosa, sed incumbente necessitate, aperuerunt quæ diu vacaverant fructuosa. Nec tamen, ut mihi videtur, opus istud etiam hoc tempore otiosum vocare debeo, quoniam, juxta Apostolum, vestrum est, et omnium doctorum virorum, omnem scientiam extollentem se adversus altitudinem Dei, omni studio, verbo et scripto impugnare, destruere, conculcare (*II Cor. x*). Quod si hinc errantes converti non possint, saltem infirmis C Ecclesiæ, qui scandalizari vel occulte moveri levibus etiam ex causis solent, consilium et providere doctus vel doctor, si zelum habet justitiæ, non debet negligere. Propono inde vobis Patres omnes, et præcipue Patrem Augustinum, qui, licet Julianum Pelagianum, licet Faustum Manichæum, et verbis et labore suo ad fidem rectam convertere nequiverit, non tamen de eorum errore magna condere contra eos volumina omisit. Sic de reliquis sui temporis, et non sui temporis hæreticis, sic de Judæis, sic de paganis faciens, non solum contra eos sui temporis homines armavit; sed etiam ad nos, et ad posteros omnes maxime ædificationis et instructionis charisma transmisit. Si igitur reverentiæ vestræ in his laborandi Deo aspirante voluntas adfuerit (nam facultas D per ejus gratiam deesse non poterit) rescribite, et mitemus librum quem nondum misimus, ut per os vestrum ipsius laude repletum, spiritui nequitie spiritus benignus respondeat, et thesauros Ecclesiæ suæ gazis vestræ sapientiæ suppleat. Mittite, si placet, per præsentium latorem vel per alium, epistolam illam vestram quibusdam Carnotensibus monachis, ut mihi videtur, missam, respondentem de Regulæ præceptis, et de diversis monastici ordinis usibus, quam Cluniaci semel legi, sed nunquam postea ad relegendum habere potui. Missem et ego nostram eruditæ dilectioni vestræ, quam contra

hæreticorum provincialium quædam capitula ante quatuor vel quinque annos scripsi, si ad manum hanc habuissem, ut hanc legeretis; et si quid supplendum esset, aliquo vestro tractatu vel epistola suppleretis. Sed a quodam fratre nostro nuper in Arverniam delata, et ante annum in alio volumine contra ipsos hæreticos a me in Provinciam missa, mitti vobis non potuit. Mittetur autem, postquam eam ex aliquo exemplari rescripsero. Super his omnibus quid vobis videatur, rescribite. Et licet ego impedimentis pluribus præpeditus distulerim, vos, si facultas est, diu differre nolite.

EPISTOLA XVIII.

Universali pontifici, et speciali Cluniacensis Ecclesiæ Patri, domino papæ COELESTINO (1140), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, sincerum amorem, et plenam obedientiam.

Benedictus Dominus Deus noster, qui memor verbi sui, in quo nobis spem dedit, more suo nullatenus se oblitum verborum suorum etiam hoc tempore monstravit, quibus suos ab ipsis recedens consolari dignatus est, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii)*. Apparet hoc in innumeris ipsius gratiæ donis, apparet hoc nunc specialiter et in vobis, quem his nostris diebus summum pontificem, animarum nostrarum custodem, totius Ecclesiæ suæ adhuc in terris peregrinantis, hoc est unicæ columbæ inter corvos gementis præsulem, propitia mortalibus benignitas divina concessit. Non hoc, ut jam nobis relatum est, humanus fastus, non sibi providens humana cupiditas, non Romanus turbo sæpe auditus, orbemque terrarum suo impulsu concutere solitus, effecit; sed adversa pacificans, diversa uniens, discissa redintegrans, spiritus ille, qui ubi vult spirat, velut in sibilo auræ tenuis, juxta verbum Domini factum ad Eliam (*III Reg. xix*), leniter adimplevit. Gavisus sum audientes ista, et in immensum cor nostrum exhilaratum est; agnoscentes non armis, non turribus, non minacibus agminibus, rem divinam tutari; sed sola misericordis Domini manu, et suavi protectione ad pacem compositam esse. Agnovimus vere quod agnoscendum erat, imperasse Christum ventis et mari, et factam esse insolitam tranquillitatem; statuisse procellam maris in auram, et siluisse fluctus ejus. Et hoc quis non miretur? Quis, inquam, hoc non miretur: a tempore Alexandri secundi papæ, per Gregorium, Urbanum, Paschalem, Gelasium, Calixtum, Honorium, Innocentium, summos Ecclesiæ Dei ac præclaros pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, ecclesiasticam pacem pertransisse, sed in nullo eorum præter vos quiescisse? Nec adeo lapidei sumus ut non sentiamus, nec adeo bruti ut non intelligamus eum, sine cujus nutu ut legitur, *nec passer ad terram, nec folium cadit arboris*, non sine causa, non sine certo inexhaustæ

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(1140) Domino papæ Coelestino. Secundo nomine, qui creatus anno 1144.

sapientiae consilio, hanc pacem eorum primordiis subtraxisse, vestris contulisse: quam esse illam puto, et hanc vobiscum semper durare confido, de qua Deo in psalmis Propheta: *Secundum multitudinem, inquit, dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam* (Psal. xciii). Credo enim, et spero in Deo salutari meo, quod qui principiis vestris dedit tam amabilem pacem, dabit et fini suo tempore commendabilem laudem. Laetabitur sub umbra alarum ejus vobis amodo subditus orbis terrarum, et se tantos fidei suae Patres, apostolicos viros, confessores dico, et (quod majus est) martyres, vel (quod excellentius est), ipsos apostolorum summos Petrum et Paulum, imo ipsum Christum in vobis solo se habere gloriabitur. Gaudebit, et jam ineffabiliter gaudet, licet non numero, tamen virtutibus pusillus grex vester Cluniacensis; qui obedientiam, qui subjectionem, qui (quod majus est) dilectionem, quia per seipsum non potest, ore meo per has litteras vobis ingerit, et se totum licet absens, sanctitatis vestrae pedibus subjicit. Certitudinem electionis vestrae, et collati a Deo apostolatus sero accepi et idcirco tarde rescripsi. Nam diu variante fama, vix in vigilia S. Andreae epistolam vestram mihi et conventui missam suscepi, atque die ipsa publice in capitulo lectam, tam litteratis quam illitteratis, quos conversos vocamus exposui. Audita est vere, et suscepta ab omnibus filiali affectu: quod vobis melius ore proprio, vel nuntiorum, proxime per Dei gratiam indicabo. C

Habeo enim omnimodam voluntatem veniendi ad vos, et novum quidem Patrem, sed antiquum amicum amore, et honore debito visitandi faciam hoc si congrue potuero. Si non, per nostros, quam proxime vacaverit, Christi juvante gratia visitabo. Commendo interim paternitati vestrae negotium fratris praesentium latoris, ut illud benigne, et ad commodum Ecclesiae ejus, quantum justitia permiserit audiatis, et diffiniatis. In fine, quas possum gratias ago, quod, sicut mihi relatum est, et in litteris vestris legi, quasdam alias causas beatae memoriae praedecessori vestro directas benigne accepistis, sicque definistis, ut in sententia successoris non sit nobis lugenda sancti mors praedecessoris.

EPISTOLA XIX.

Universali papae, et nostro proprio Patri domino papae LUCIO (141), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, cum debita obedientia sincerissimum in Domino amoris affectum.

Postquam a charissima mihi vestra paternitate recessi, quae injuncta a Patre fuerant, quae mandata filiis, et servis vestris Cluniacensibus, quaeque alia a vobis mihi praecipita, non indevotus filius sollicite, ut decebat, ac studiose cuncta implevi. Sacrificia frequentia, orationes pene continuas, elemosynarum multiformes erogationes, tam Cluniaci

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(141) Domino papae Lucio. Coelestini successoris, qui et ipse nomine secundus eodem anno Cathedram S. Petri conscendit.

A quam extra, tam per me quam per nuntios, fratribus nostris imposui. Quae ipsi, auditis litteris vestris, cognito tam ex eisdem litteris, quam ex relatione mea, et sociorum, multo erga se vestro affectu libentissime susceperunt, ac devotissime peragunt. Astant ergo, et astabunt Deo semper pro vobis, nec tantum Patrem, tam benignum, tam sibi clementem, summo omnium Patri Deo, amodo pro viribus commendare cessabunt. Nam, et hoc ego, quantum potui, impressi cordibus ipsorum, utpote qui licet absentis Patris in me expertae benignitatis et ultra personam vel meritum meum mihi impensi honoris, oblivisci non poteram. Ut enim coram duobus, quos nemo fallere potest, testibus loquar, Deo scilicet et propria conscientia, praecellit vere, et longe praecellit, quem vobis in intimis animi mei recessibus servo sinceri amoris affectus, omnium praedecessorum vestrorum, quos erga ipsos gerebam, affectibus. Hoc quidem, ut dixi, benignitas, et beneficia vestra nobis impensa fecerunt; sed magis multus, quem in sancto pectore vestro latere adverti, erga divinae religionis affectus. Sed ne adulari videar, his intermissis ad sequentia veniam. Misi praesentium latorem cum litteris istis, ut et nota facerem reverentiae vestrae quae dixi, et de statu sublimitatis vestrae, maxime de pace regis Siculi, litteris vestris certificari mererer. Nam, non parum mihi credite, pro pace vestra, ut multum eam exoptans sollicitor. De pace enim vestra, omnium nostrum pax pendet; in requie vestra, nos specialiter vestri Cluniacenses requiescimus, in dolore non fite, sed veraciter condolemus, quia membra, quae capitis dolori non compatiuntur, non solum morbida, sed et mortua judicantur. Rescribite ergo nobis, si placet, super illa, ut, si est, prout decet, congaudeamus; si nondum est, pro scientia, pro viribus, vobis et apud Deum et apud homines collaboremus. De caetero precor, ut quia Cluniacensia negotia tanta sunt, ut pene assidue pro diversis oporteat nos paternitati vestrae scribere causas, non hoc moleste feratis, sed, ut specialem et benignum Patrem decet, ea quando mandantur audiatis et exaudiatis. Hoc autem a vobis mandari postulo, utrum prout mihi Romae a majestate vestra injunctum est, duodecim fratres cum D

tertio decimo, qui eis in abbatem praeficiendus sit, usque ad festum sancti Andreae Romam mittere debeam. Nam hoc vestro iterum suscepto mandato, statim eos ad iter parabo.

EPISTOLA XX.

LUCIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectionis tuae litteras, etc. Vide inter epistolas et privilegia Lucii papae II.

EPISTOLA XXI.

Venerabili, et in Christo plurimum dilectae sorori

ELOÏSÆ (112) *abbatissæ, frater* PETRUS *humilis Cluniacensium abbas, salutem quam promisit Deus diligentibus se.*

Acceptis litteris charitatis tuæ, quas mihi nuper per filium meum Theobaldum misisti, gavisus sum, et eas mittentis gratia amicabiliter amplexus sum. Volui statim rescribere quod animo insederat; sed impediens importunis curarum exactionibus, quibus plerumque, imo pene semper, cedere compellor, non potui. Vix tamen a tumultibus tandem interpolata die, quod conceperam attentavi. Visum est, ut affectui tuo erga me, quem et tunc ex litteris, et prius ex mihi missis xeniis cognoveram, saltem verborum vicem rependere festinarem, et quantum in corde meo locum tibi dilectionis in Domino servarem, ostenderem. Revera enim non nunc primum diligere incipio, quam ex multo tempore me dilexisse reminiscor. Necdum plene metas adolescentiæ excesseram, necdum in juveniles annos evaseram, quando nomen non quidem adhuc religionis tuæ, sed honestorum tamen et laudabilium studiorum tuorum, mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis, mulierem, licet necdum sæculi nexibus expeditam, litteratoriæ scientiæ, quod perrarum est, et studio, licet sæcularis, sapientiæ summam operam dare, nec mundi voluptatibus, nugis, vel deliciis ab hoc utili discendarum artium proposito retrahi posse. Cumque ab his exercitiis detestanda desidia totus pene torpeat mundus, et ubi subsistere possit pes sapientiæ, non dicam apud sexum femineum, a quo ex toto explosus est, sed vix apud ipsos viriles animos invenire valeat, tu illo efferendo studio tuo, et mulieres omnes evicisti, et pene viros universos superasti. Mox vero, juxta verba Apostoli, ut complacuit ei, qui te segregavit ab utero matris tuæ, vocare te per gratiam suam (*Gal. 1*), longe in melius disciplinarum studia commutasti, et pro logica

ANDRÆ CHESNI NOTÆ.

(112) *Dilectæ sorori Eloisæ.* Quenam et qualis hæc Eloisa, vel ut alii scribunt, Heloyssa fuerit, docet Petrus Abælardus in lib. *Calamitatum suarum*, his verbis: « Erat in ipsa civitate Parisiensi adolescentula quædam, nomine Heloyssa, neptis canonici ejusdem, qui Fulbertus vocabatur, qui eam quanto amplius diligebat, tanto diligentius in omnem quam potuerat scientiam litterarum promoveri studuerat. Quæ cum per faciem non etiam infirma, per abundantiam litterarum erat suprema. » Hanc Abælardus ipse, licet clericus et canonicus, deperivit, corrupit, et etiam uxorem duxit. Verum postea dolore reatus sui tactus, transmisit eam ad abbatiam quamdam sanctimonialium prope Paris. quæ Argentolium appellatur, ubi ipsa olim puella educata fuerat atque erudita, vestesque ei religionis, quæ conversationi monasticæ convenirent aptari fecit, ac ipse quoque sacrum habitum in abbatia S. Dionysii suscepit. Demum aliquanto post accidit, ut abbas S. Dionysii Sugerius, prædictam Argentolii abbatiam, tanquam ad jus monasterii sui antiquitus pertinentem, quocumque modo acquireret, et conventum sanctimonialium, ubi illa comes sua, jamque in Christo soror potius quam uxor Heloyssa prioratum habebat, violenter expelleret. Quæ cum diversis locis exsules dispergerentur, oblatam Abælardus intelligens occasionem, quo suo consuleret

A Evangelium, pro physica apostolum, pro Platone Christum, pro academia claustrum, tota jam et vere philosophica mulier, elegisti. Eripuisti victis spolia hostibus, et thesauris Ægyptiacis per hujus peregrinationis desertum transiens, pretiosum in corde tuo tabernaculum Deo erexisti. Cantasti cum Maria, demerso Pharaone, canticum laudis (*Exod. xv*); et beatæ mortificationis tympanum, ut olim illa præ manibus gerens, novi modulaminis melos usque ad ipsas deitatis aures docta tympanistria transmisisti. Conculcasti jam incipiendo, quod per omnipotentis gratiam bene perseverando conteres, vetusti anguis, ac semper mulieribus insidiantis caput, atque ita elides, ut nunquam ulterius contra te sibilare audeat. Ostentui facis, et facies superbum principem mundi, et illum, qui divina voce vocatur rex filiorum superbiæ (*Job xli*), juxta ipsius Dei ad beatum Job verba, tibi ac tecum cohabitantibus ancillis Dei alligatum (*Job xl*) ingemiscere coges. Et vere singulare miraculum, ac super omnia miranda opera extollendum, eum, quo, juxta prophetam, cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei, et cujus summitatem frondium abietes non adæquaverunt (*Ezech. xxxi*), a fragili sexu vinci, et fortissimum archangelum a muliere infirmissima superari. Gignitur tali duello maxima gloria Conditori, infertur e converso summa ignominia deceptoris. Exprobratur ei hoc certamine, non solum stultum, sed et super omnia ridiculum fuisse, illum aspirasse ad æqualitatem sublimissimæ majestatis, qui nec breve lutamen ferre prævalet femineæ debilitatis. Sustinet caput cujuslibet victricis illius, merito talis victoriæ, gemmeam a rege cælorum coronam, ut quanto in transacta pugna carne infirmior, tanto in remuneratione sempiterna appareat gloriosior.

Hæc, charissima in Domino soror, vere non adulando, sed exhortando dico, ut magnum, in quo

D oratorio, quod in Trecensi pago paulo ante construxerat, ac Paracletum consecratam ejus etiam nomine vocari voluerat, « illuc eam cum quibusdam aliis de eadem congregatione ipsi adhærentibus, invitavit, eoque illis adductis ipsum oratorium cum omnibus ei pertinentibus concessit et donavit, ipsamque postmodum donationem suam assensu atque interventu episcopi terræ Hatonis papa Innocentius II ipsis et earum sequacibus per privilegium in perpetuum roboravit » Ejus igitur oratorii abbatissa, sive ut idem Innocentius vocat in privilegio suo, quod inter Antiquitatum Tricassarum pretiosa monumenta locum possidet, priorissa erat Heloisa, cum illi Petrus noster scripsit, in eoque etiam post obitum sepulta tali decorata fuit epitaphio:

*Hoc tumulo abbatissa jacet prudens Heloissa,
Paracletum statuit, cum Paracletum requiescit.
Gaudia sanctorum sua sunt super alta polorum
Nos meritis precibusque suis exaltet ab imis.*

Obiit autem 16 Maii, ut ex codice obituum cœnobii Paracletici patet, in quo et elogium hoc ad illam diem habet: « Mater nostræ religionis Heloisa prima abbatissa documentis et religione clarissima spem bonam ejus nobis vita donante feliciter migravit ad Dominum. »

aliquandiu perstitisti, bonum attendens, ad caute illud conservandum animosior reddaris, et sanctas illas, quæ tecum Domino serviunt, secundum gratiam a Deo tibi collatam, ut in eodem sollicite agone contendant, verbis pariter et exemplis accendas. Es enim unum de animalibus illis, quæ Ezechiel propheta vidit (*Ezech. 1*), licet sis mulier, quæ non tantum ut carbo ardere, sed ut lampas ardere debes pariter et lucere. Es quidem discipula veritatis, sed es etiam ipso officio, quantum ad tibi commissas pertinet, magistra humilitatis. Humilitatis plane, et totius cœlestis disciplinæ tibi a Deo magisterium impositum est. Unde non solum tui, sed et commissi gregis curam habere, et pro universis majorem universis debes mercedem recipere. Manet tibi certe palma pro omnibus, quia, ut optime nosti, quotquot ducatu tuo mundum mundique principem vicerint, tot tibi triumphos, tot gloriosa trophæa, apud æternum regem, et judicem præparabunt. Sed nec omnino apud mortales insolitum est, feminas feminis principari, nec ex toto inusitatum etiam præliari, ipsos insuper viros ad prælia comitari. Nam si verum est quod dicitur: Fas est, et ab hoste doceri. Et apud gentes, Amazonum regina Penthesilea cum suis Amazonibus, non viris, sed mulieribus, Trojani belli tempore sæpe pugnasse scribitur, et in populo etiam Dei, prophetissa Delbora Barach judicem Israel contra ethnicos animasse legitur (*Judic. iv*). Cur ergo non liceat feminas virtutis contra fortem armatum ad prælia procedentes, ductrices fieri exercitus Domini, cum et illa (quod quidem indecens videbatur) manu tamen propria contra hostes pugnaverit; et hæc nostra Debora viros ipsos ad bella divina commoverit, armaverit, accenderit? Victo dehinc Jabin rege, occiso Sisara duce, deleto profano exercitu, cecinit statim canticum illa, illudque Dei laudibus devota dicavit. Erit Dei gratia hoc faciente post datam tibi tuisque de longe fortioribus hostibus victoriam, longe tuum gloriosius canticum, quod sic læta cantabis, ut nunquam postea lætari, nunquam cantare desistas. Interim eris ancillis Dei, hoc est, cœlesti exercitui, quod illa suo Judaico populo Debora; nec a tam lucroso certamine, aliquo tempore, quolibet casu, nisi vincendo cessabis. Et quia hoc nomen Debora, ut tua novit eruditio, lingua Hebraica *apem* designat, eris etiam in hoc et tu Debora, id est *apis*. Mellificabis enim tu, sed non soli tibi, quia quidquid boni per diversos, et a diversis collegisti, exemplo, verbo, modisque quibus poteris, domesticis sororibus, seu quibuslibet aliis totum refundes. Satiabis hoc exiguo vitæ mortalis

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(145) *Magistro Petro, quem in ultimis vitæ suæ annis divina dispositio Cluniacum transmisit.* supra epist. 4: « Magister Petrus, inquit, ad Innocentium papam scribens, sapientiæ vestræ, ut credo optime notus per Cluniacum transitum fecit. » Et paulo post: « Dimissis scholarum et studiorum tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. » Quæ verba et locum hunc illustrant et simul cum eo testantur magistrum illum Petrum,

A tempore, et teipsam sacrarum litterarum secreta dulcedine, et beatas sorores aperta prædicatione, quousque, juxta vocem propheticam: *In illa, quæ permittitur die, distillent montes æternam dulcedinem, et colles fluant lac et mel* (*Joel iii*). Hoc enim, licet de hoc tempore gratiæ dicatur, nil obstat, imo et dulcius est, ut de tempore gloriæ accipiatur. Dulce mihi esset diu tecum de hujusmodi protrahere sermonem, quia et famosa eruditione tua delector, et prædicata mihi a multis religione tua longe magis allicior. Utinam te Cluniacus nostra habuisset! utinam te jucundus Marciniaci carcer, cum cæteris Christi ancillis libertatem inde cœlestem expectantibus inclusisset! Prætulissem opes religionis ac scientiæ maximis quorumlibet regum thesauris, et illarum sororum illud præclarum collegium, cohabitatione tua clarius rutilare gauderem. Retulisses et ipsa ab ipsis non modicum quæstum, et summam mundi nobilitatem, ac superbiam, pedibus substratam mirareris. Cerneres omnigenos sæculi luxus, mirandam pareitate mutatos, et sordida quondam vasa diaboli in mundissima Spiritus sancti templa conversa. Videres puellas Dei Satanæ, vel mundo, velut furto subtractas, super innocentiae fundamentum altos virtutum erigere parietes, et usque ad ipsa cœli fastigia felicis fabricæ cacumen producere. Lætareris angelica virginitate florentes, castissimis viduis junctas, et universas pariter beatæ illius et magnæ resurrectionis gloriam sustinentes, infra arcta septa domorum, etiam corporaliter beatæ spei velut sepulcro jam conditas.

Quæ, licet omnia et fortassis majora, cum tibi datis a Deo collegis habeas, licet forte nihil ad sacrarum rerum studium pertinens tibi addi possit [posset], augeretur tamen augmento gratiarum tuarum, non parvis, ut arbitror, commodis, res publica nostra. Sed quamvis a dispensatrice omnium rerum providentia Dei, hoc nobis de te negatum sit, concessum tamen est de illo tuo, de illo, inquam, sæpe ac semper cum honore nominando, servo ac vere Christi philosopho magistro Petro, quem in ultimis vitæ suæ annis, eadem divina dispositio Cluniacum transmisit (145); et eam in ipso et de ipso, super omne aurum et topazion munere cariore, ditavit. Cujus sanctæ, humili ac devotæ inter nos conversationi, quod quantumve Cluniacus testimonium ferat, brevis sermo non explicat. Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu et gestu similem, in tantum ut nec Germanus abjectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Cumque in magno illo fratrum nostrorum grege, me compellente gra-

Abælardum dictum, qui profanæ sensuum novitatis, a S. Bernardo, Sugerio, et aliis Ecclesiæ Gallicanæ praelatis coram Ludovico rege Senonis accusatus fuerat, tandem de suis erroribus austeram egisse poenitentiam Cluniaci: quo et nonnulli Berengarium Andegavensis Ecclesiæ diaconum eodem fere tempore accessisse dicunt, ut ibi monachus effectus de sua etiam hæresi poeniteret.

dum superiorem teneret, ultimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpe, et in processionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, pene stupebam, tanti tanque famosi nominis hominem, sic seipsum contemnere, sic se abjicere posse. Et quia sunt quidam religionis professores, qui ipsum quem gerunt habitum religiosum, nimis esse cupiunt sumptuosum, erat ille prorsus parcus in istis, et cujusque generis simplici veste contentus, nil ultra quærebat. Hoc et in cibo, hoc et in potu, hoc et in omni cura corporis sui servabat, et non dico superflua, sed et cuncta, nisi valde necessaria, tam in se quam in omnibus, verbo pariter et vita damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium jure, nisi cum aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in conventu de divinis publicus sermo eum loqui urgebant. Sacramenta coelestia, immortalis Agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat; imo postquam litteris et labore meo apostolicæ gratiæ redditus est, pene continuabat. Et quid multa? Mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina, semper philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiscum vir simplex et rectus, timens Deum, et recedens a malo: tali, inquam, per aliquantum temporis conversatione, ultimos vitæ suæ dies consecrans Deo, pausandi gratia (nam plus solito, scabie et quibusdam corporis incommoditatibus gravatur), a me Cabilonem missus est (144). Nam propter illius soli amcenitatem, qua cunctis pene Burgundiæ nostræ partibus præminet, locum ei habitum, prope urbem quidem, sed tamen Arari interfluente, provideram. Ibi juxta quod incommoditas permittebat, antiqua sua renovans studia, libris semper incumbibat, nec sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(144) *A me Cabilonem missus est.* in monasterium videlicet S. Marcelli, quod et ipsum juris Cluniacensis est, et ubi paulo post optimo fine dies suos consummavit. Unde Chronicon archiepiscoporum Senonensium: « Anno Domini 1140 Senonis præsentate Ludovico rege episcoporum et abbatum religiosorum fit conventus contra Petrum Abælardum, qui quadam profana verborum vel sensuum novitate Ecclesiam scandalizabat. Qui ab eis interpellatus ut responderet, de justitia veritus, audientiam apostolicæ sedis appellavit, et sic evadens non multo post Cabiloni ad Sanctum Marcellum obiit. » Post obitum Petrus abbas Clun. epitaphium illi scripsit, quod et inter alios a se compositos versus exstat. Nec tamen propterea corpus ejus aut Cabiloni, aut Cluniaci sepultum, sed in Paracleticum cœnobium Heloisa curante delatum fuit, juxta quod ipsemet eidem longe ante præscripserat his verbis: « Quod si me Dominus in manus inimicorum tradiderit, scilicet ut ipsi prævalentes me interficiant, aut quocunque casu viam universæ carnis absentibus vobis ingrediar, cadaver, obsecro, nostrum ubicunque vel sepultum, vel expositum jacuerit, ad cœmeterium vestrum deferri faciatis, ubi filiæ nostræ, imo in Christo sorores sepulcrum nostrum sæpius videntes, ad preces pro me fundendas sæpius invitentur. Nul- lum quippe locum animæ dolenti, et de peccatorum suorum errore desolatæ tutiorem et salubriorem

A semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum operum exercitiis, eum adventus illius evangelici visitoris reperit, nec eum, ut multos, dormientem, sed vigilantem invenit. Invenit eum vere vigilantem, et ad æternitatis nuptias, non ut fatuam, sed ut sapientem virginem evocavit. Attulit enim ille secum lampadem plenam oleo, hoc est, conscientiam refertam sanctæ vitæ testimonio. Nam ad solvendum commune mortali- um debitum, morbo correptus, eoque ingravescente, in brevi ad extrema perductus est. Tunc vero quam sancte, quam devote, quam catholice, primo fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit, quanto inbiantis cordis affectu, viaticum peregrinationis, ac vitæ æternæ pignus, corpus scilicet Redemptoris Domini acceperit, quam fideliter corpus suum et animam hic et in æternum ipsi commenda- verit, testes sunt religiosi fratres, et totus illius monasterii, in quo corpus S. martyris Marcelli jacet, conventus. Hoc magister Petrus sine dies suos consummavit, et qui singulari scientiæ magisterio, toti pene orbi terrarum notus, et ubique famosus erat, in illius discipulatu qui dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. xi)*, mitis et humilis perseverans, ad ipsum ut dignum est credere, sic transivit. Hunc ergo, venerabilis et charissima in Domino soror, cui post carnalem copulam, tanto validiore, quanto meliore divinæ charitatis vinculo adhæstisti, cum quo, et sub quo diu Domino deservisti, hunc, inquam, loco tui, vel ut te alteram in gremio suo confovet, et in adventu Domini, in voce archangeli, et in tuba Dei descendens de coelo, tibi per ipsius gratiam restituendum reservat. Esto ergo in domino memor ipsius; esto etiam, si placet, et mei, et sanctis sororibus tecum Domino famulantibus fratres congregationis

arbitror, quam eum qui vere Paracletus, id est Consolatori proprie consecratus est, et de ejus nomine proprie insignitus. » Quod autem præscriptum hoc, sive mandatum ab Heloisa completum extiterit, docet et Chronici Sancti Petri Vivi scriptor, cum dicit: « Anno 1142 M. Petrus Abaylart canonicus primo majoris Ecclesiæ Senonensis obiit, qui monasteria sanctimonialium fundavit, specialiter abbatiam de Paracletus, in qua sepelitur cum uxore. Canonicus fuit, et post uxoratus. » Quare et ibidem aliud illi positum fuit epitaphium his versibus:

*Petrus in hac urna latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, sed jam sidera sidus habent.
Sol erat hic Gallis, sed eum jam fata tulerunt,
Ergo caret regio Gallica sole suo.
Ille sciens quidquid fuit ulli scibile, vicit
Artifices, artes absque docente docens.
Undecimæ Maii Petrum rapuere Kalendæ
Privantes logices atria rege suo.
Est satis in tumulto, Petrus hic jacet Abailardus,
Hic soli patuit scibile quidquid erit.*

Et in Necrologio Paracleti de eo quoque leguntur hæc: « 21 Aprilis, anniversarium magistri Petri Abelardi, loci hujus fundatoris, nostræque religionis institutoris. »

nostræ, ac sorores, quæ ubique terrarum pro posse A suo eidem, cui et tu, Domino famulantur, sollicitè commenda.

EPISTOLA XXII.

Universali pontifici, et nostro proprio Patri domino papæ Lucio, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, fidelem cum sincero amore obedientiam.

Sæpe supplicavi, et adhuc supplico, ne occupatæ in multis reverentiæ vestræ gravia videantur tam frequentia scripta mea. Multa enim sæpe emergunt, quæ me etiam nolentem, et hoc fugere conantem, importunum esse compellunt. Nam quandoque propria, quæ multa sunt; quandoque magnorum amicorum negotia, quæ negligenda non sunt, importunitatis hujus causa existunt. Inquietudo quorundam Aurelianensium clericorum, quæ Ecclesiam suam pene destruxit, necdum requiescere didicit. Non enim zelo justitiæ, non utilitate aliqua reipublicæ suæ, canonici non canonici, fingentes se quærere quæ Dei sânt, sed (quod omnibus clarum est), prætextu illo quærentes quæ sua sunt, sicut suam matrem Ecclesiam lethaliter pœnæ læserunt, sic contra suum Patrem et episcopum calcaneum erexerunt. Novit vero sapientia vestra quid Deus ipse de talibus sentiat. *Qui, inquit, maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur (Exod. xxi; Lev. xx).* Quod si hoc de maledicto dictum est, quanto magis de jactura? Si hoc de maledicto dictum est, quanto magis de læsura? Si dictum est hoc de his qui maledicunt, quanto magis de his, qui quantum ad se pertinet, perimunt? Tales, tales sunt, inquam, et vere tales sunt quidam illius Ecclesiæ, in quantum fama testatur, non religiosi, sed irreligio, si non de majoribus, sed de inferioribus, non multi, sed pauci. Hi de insectatione Patris sui negotiari volentes, indeque lucrum quodlibet se consequi posse putantes, dum ipse cum his qui oderunt pacem sit pacificus, vel loquentem, vel tacentem gratis impugnant (*Psal. cxix*). Non erubescunt videri paucissimi inter multos, et soli septem vel octo inter millia tam cleri quam populi eis contraria prædicantis, mendaces et garruli apparere. Incitat me ad ista sic scribenda, magnorum, multorum, ac religiosorum testimonium, quorum quidam nostri sunt, longe autem D plures extranei. Prævaleat ergo, si placet, et præponderet tantorum apud vos testimonium, et episcopum vestrum contra raros et mali nominis viros, qui magis, ut mihi videtur, cornibus ventilandi, quam auribus audiendi sunt, sapiens justitia vestra defendat. Suffragetur ei et boni, religiosi, ac singularis inter suos viri, diutina jam cohabitatio: quem mandato domini papæ Cœlestini, non quidem ex nomine designatum, sed a nobis pro insigni religione electum, ei in socium dedimus. Ipse ergo si sic justum sapientiæ vestræ videtur, super ipso conveniatur, ipse requiratur; ipsi quia nullatenus eum mentiri velle testificor, magis quam nebulonibus illis credatur. Valeat sanctitas vestra semper in Christo.

EPISTOLA XXIII.

RAIMUNDO monacho Tolosano, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Cum caput albescat, tua musa senescere nescit
Nec quia tu canes, hinc minus illa canit.
Albus es, et cantas, albos imitaris olores,
Quorum juncta magis, voxque nitorque placent
Hinc color obtusus, sonus hinc demulcet et aures.
Sic nihil in tota non placet annis ave.
Non norat volucres nutrire Garonna coronas,
Littora nunc cujus cantibus implèt olor.
Fleverat antiquis viduata Tolosa poetis.
Gaudeat en studium te reparare suum.
Scribis Romanas te cernere velle ruinas,
Si tentare mihi tale placeret iter.
B Dum lego forte tui mirandos pectoris ausus.
Obstupui, fateor, conticuique diu.
Non aliter quam si vires humerosque Tiphonis,
Spondeat in lecto febre solutus homo.
Nec secus Hispana quam si tellure creato
Sese testudo cursibus æquet equo.
Nam quis tanta tuæ taceat miracula laudis
Quod juvenum tentas fortia facta senex?
Alpibus horrendis invicta senecta nequivit
Cedere, vel coeptum jam revocare gradum.
Aeriæ rupes, quæ vincere dura solebant
Pectora, virtuti succubuere tuæ.
Militis emeriti, te missio justa decebat,
Et pro præteritis actibus alta quies.
C Sed virtus animi nec cano parcere novit,
Et te plus requie bella cruenta juvant.
Ergo veni Romam, non differo, nolo moreris.
Pugnaces animos regna Latina vocant.
Roma sata est bellis, lita sanguine, clara triumphis,
Quæ sibi per tales subdere cuncta solet
Si te robustum splendenti cinxerit ense,
Et te pignantum fecerit esse ducem.
Victrici gladio mox publicus hostis obibit,
Et sibi totus adhuc subditus orbis erit.
Lusimus, et cantus tecum deduximus æquos,
Ne cygnus cunctas rideat orbis aves.
Jam decet ut nostris succendant seria ludis
Et monachi comptus sit gravitate jocus.
Si vires, si posse tibi natura ministrat
Nil iter impediet te comitante meum.
Non eris ingratus, quem novit reddere charum
Fama frequens, studium, vita, senile caput.
Ornabis totam nota probitate cohortem,
Virtutumque viris signifer unus eris.
Pulchrior in silvis nusquam frondescit oliva,
Dum candore suo deprimit omne virens.
Si pia te socium mereatur habere juvenus,
Ut laudent Dominum junior atque senex.
Nuper me Robertus ad hæc dictamina traxit,
Per quem misisti carmina multa mihi.
Velle quidem mecum te Romam pergere dicens,
Ut responderem versibus, admonuit.
Ad quæ respondi, tamen ista prioribus addo,
Nullam me certam proposuisse viam.

Si tamen, ut dixi, sors quod puto fecerit esse,
 Perpetuus lies ad peregrina comes.
 Sed non incuses, si quid fortuna sinistra
 Intulerit, cunctos quæ facit esse pares.
 Regibus et servis quod vult jubet illa potestas,
 Illi subduntur dives inopsque simul.
 Cantavi monitus, si vis cantabis et ipse,
 Præter avis morem, fuscus et albus olor

EPISTOLA XXIV.

*Universali pontifici et nostro proprio Patri domino
 Lucio papæ, frater PETRUS humilis Cluniacensium
 abbas, fidelem obedientiam.*

Juxta velle ac mandatum sublimitatis vestræ, dirigimus de sinu Cluniacensis claustrum hos dilectos fratres et filios nostros Patri communi, imo nostro et ipsorum speciali. Commendamus eos apostolicæ pietati, commendamus, inquam, qui valde commendandi sunt. Causa enim Dei, virtute obedientiæ, violenter se sibimetipsis subigunt, patrium solum deserunt, peregrina adeunt, nec mortem ipsam, quam Romanus aer nostratibus celeriter inferre solet, refugiunt; et, ut sic dicam, quantum ad hanc Gallorum nostrorum formidinem, velut agni ad victimam vadunt. Respiciat ergo super eos pio intuitu paternus oculus, et exules suos benignis sæpe admonitionibus et congruis auxiliis consoletur. Constituantur, si placet, in uno ex duobus mihi Romæ a vobis nominatis monasteriis, veteresque ab illo coloni alibi collandi pellantur. Nam, et juxta Apostoli vocem, *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (I Cor. v), et ut vestra sapientia novit, diversi moribus, usibus, affectibus,

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.
 Et quia, juxta Magnum Gregorium, durum videtur in pectore veteri nova meditari, resque pene desperata est, monachum a pravo usu ad meliora instituta posse converti, cavendum est ne qui corrigi non possunt corrumpant. Quod si forte quispiam aliquos ex his, quos misi, ab invicem discernere, et ad alia loca transferre nisus fuerit, oro ne permittatis, quia per partes divisi, et nihil proficerent, et fructum quem simul positi ferre possunt, perderent. Si enim omnes bini vel terni ad diversa mittendi essent, alios et aliter elegissem. Sed quoniam a vobis sic dispositum est, ut ad unius tantum claustrum ordinationem, congruos tredecim fratres mitterem, majorem ex ipsis partem ad tenendum solummodo claustrum, utilem elegi; quosdam vero in sæcularibus astutiores, ut aliis provideant, disposui, et jam dictis tredecim, duos qui genere Romani sunt, pro supplemento adjunxi. Hac de causa, prout mihi videtur, damnosum est eos ab invicem recedere;

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(145) *Domino papæ Eugenio.* Tertio nomine, qui creatus est anno 1145.

(146) *Fratrum nostrorum de S. Saba.* S. Sabæ monasterium, a temporibus sanctissimi papæ Gregorii in religione et honestate fundatum, atque magnis et amplissimis possessionibus ditatum fuerat. Sed cum peccatis exigentibus, et pravorum homi-

A fructuosum, simul manere. His dictis adjungo, et tam ex me, quam vice universorum fratrum nostrorum supplico, ne labor noster, quem causa Dei, vestroque præcepto in jam dicti monasterii ordinationem assumpsimus, vestræ Cluniacensi Ecclesiæ in damnum quolibet tempore convertatur. Hoc autem præcavere et providere poterit magnitudinis vestræ prudentia, si donum inde a vobis publice factum, more Cluniacensi, apostolico privilegio confirmetur.

EPISTOLA XXV.

Summo Ecclesiæ Dei rectori, domino papæ Eugenio (145), Patri nostro, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, diligentem cum dilectione obedientiam.

Ex multa dilectionis fiducia, quam semper habere consuevimus ad apostolicam sedem, soliti sunt plerique amicorum nostrorum ad nos recurrere, et preces suas apostolicæ mansuetudini nobis mediantibus offerre. Unde hoc tam antiquo usu, quam jam experta erga nos in expulsione fratrum nostrorum de sancto Saba (146) pastoralis dilectione ac studio vestro: quos ejectos suscepistis, desolatos aluistis, verberatos confovistis, confidenter reverentiam paternam adimus, et pro domino Bisuntino archiepiscopo, bono Cluniacensis Ecclesiæ amico, magnitudinem vestram oramus. Accusatur enim, ut nobis relatum est, a paucis et vilibus Ecclesiæ suæ personis; excusatur et commendatur a pluribus et fide dignis viris, et maxime arctioris religionis et ordinis professoribus. Qui, ut bene credimus, nullas pro eo preces funderent, in nullo pro ipso supplicarent, si eisdem precibus suis vel commendationi, justitiam in aliquo obviare sentirent. Exaudiat ergo, si placet, diligens discretio vestra ipsos, exaudiat et nos supplicantes pro ipso cum ipsis, ne facilis et irreverens tribuatur accessus improbis contra probos, vilibus contra optimos, infamibus contra viros multis et magnis honorum testimoniis fultos. In fine rogamus ut eum nobis in corde vestro locum gratiæ conservetis, quem, velut hæreditario jure, apud sanctos prædecessores vestros possedimus; ut qui eis omnipotentis Domini dispositione apostolicæ dignitatis successistis officio, eis quoque erga nos et Cluniacum vestram amore succedatis et beneficio.

EPISTOLA XXVI.

Venerabili et in Christo plurimo amplectendo domino RAINARDO Cisterciensi abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et plenum charitatis affectum.

Grege Domini, oves pascuæ ejus, destitutæ pa-

num abundante nequitia, religio demum elapsa fuisset, Lucius papa II illud cum omnibus pertinentiis ad reformandum, meliorandum et disponendum Petro nostro abbati Cluniacensi, ejusque successoribus in perpetuum commisit anno 1144 ut ex ipsius Lucii diplomate constat.

store, per alta montium, per devexa vallium, per asp̄era viarum, multo sudore pastorem requirentes, in solemnī sancti Spiritus die nuper ad nos Cluniacum venerunt. Compassi sumus, ut justum erat, religiosæ peregrinationi; et multo fatigatos itinere, triduo apud nos hospitari coegimus. Vide eos (quod paucorum est monastici ordinis virorum) non equis, non mulabus, non ipsis saltem asinis vectos, sed pedites et peregrinos summa animi devotione, pro dando, imo, si fieri potest, pro restituendo sibi amisso pastore, ad vos tendere, eaque de causa nullum laborem refugere, nulla pericula devitare. Non suffecit eis, unum vel duos de suis hoc animo vestræ reverentiæ mittere; sed eum, qui contemni non possit, apostolicum numerum præferentes, nihil negari maxime cum non nisi justa postulent, credunt. Suscipiendi ergo sunt, si placet, benigne a vobis, et prout mihi videtur, audiendi, et exaudiendi sunt, quia juxta Domini verba: *Alienum pastorem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia nesciunt vocem alienorum* (Joan. x). Ago quidem ego, et intercedo pro eis, tractus eorum sancto studio; sed specialiter ad hoc me compellit singularis, quam habeo erga ipsos et locum in quo morantur, dilectio. Nam fratres, nepotes, et pene tota consanguinitatis meæ linea, locum illum a primo foundationis lapide, multo affectu coluerunt; nonnulla etiam de suis, ne dicam multa, vestri ordinis ac religionis intuitu contulerunt. Prosequor ego eorum devotionem, etsi non beneficiis, tamen sinceræ dilectionis affectu. Fuêrit in removendo abbate ipsorum, severa et cæteris terrorem incutiens, austeritatis vestræ sententia; sit, si grave non est, in restituendo, discreta providentia. Nam nec capitale, nec peremptorium fuit, unde accusatus est, nec tot in ipso, quæ ex parte bene novi bona (quod amicebilitate suggero) condemnanda sunt. Restituatur ergo, si placet, bonis ovibus, bonus pastor, et quia justitiæ satisfactum est, misericordiæ quoque satisfiat, ut quæ multo cum labore et humilitate vos adeunt, multo cum gaudio, atque in Paracliti solemnibus diebus, ad ovile proprium plena cum consolatione redeant.

EPISTOLA XXVII.

Intimo ac jam vetusto cordis mei inhabitatori, domino ac venerabili Atoni Dei gratia Trecentium episcopo, frater Petrus humilis, Cluniacensium abbas, salutem quam sibi.

Lêgitur in Salomone: *Vinum novum, amicus novus veterascat; et cum suavitate bibes illud* (Eccli. ix). Quid est hoc? Attende, charissime. Hoc dicit, quod cernitur. Vinum enim, dum recens est, abjecta jam inutili musti dulcedine, bibentem quidem sui novitate allicit; sed velut immatura juventutis violentia, sorbentis gustum compungit. Delectat et exasperat, ac salubre simul et mordax, interna haustu reficit; sed minus dum hauritur, jucundat. At ubi velut juvenili fervore sedato, veterascere incipit, et leni se sapore quasi miti senectutis sua-

vitare condire, non solum bonum, sed et jucundum efficitur; non tantum ut salubre, sed et ut delectabile sumitur; et nihil in illo, quod pungat vel mordeat, jam timetur. Lætificat, juxta Scripturam, etiam ad litteram, cor hominis (*Psal. ciii*); et laboriosum cursum vitæ mortalis, indita sibi a rerum Conditore dulcedine consolatur. Sic plane, charissime, sic prorsus in te hoc Salomonicum verbum impleri cōgnosco. Dum novus amicus fuisti, sæpe quidem profuisti; sed nunquam, sicut nunc quando jam senex es, delectasti. Consenuit tecum non defectu, non ætate, sed sola velut temporis antiquitate amicitia; quam secundum præmissam similitudinem, habilis suscipiaris, suavius bibaris, jucundius hauriaris. Austeritate præcentis, vel amicitiae, vel ætatis, ne te haurire, ne te in corpus Cluniacense transfundere possem, diu multum obstitisti, resilisti, refugisti. Sed spero, et de illius spiritus, qui, ubi vult spirat, gratia confido, quia quod non dedit amicitiae juvenus, conferet saltem senectus. Novi quid dictum sit Apostolo Petro: *Surge, Petre, occide et manduca* (Act. x). Quod si ego apostolus non sum, Petrus tamen sum. Unde, juxta hoc divinum verbum, non solum te bibere, sed etiam occidere, et manducare concupivi. Veni ergo, veni, nec ultra gladium meum, licet occidendus expavescas; nec dentes meos quamvis ab his attendendus [atterendus], et mandendus, reformides. Sed ne forte verearis, et tantas minas audiens, venire non audeas, noveris me non te, sed in te velle mundum occidere, monachum suscitare, consumere peritura, reformare permansura. Et ne præsumptor judicet quod humilis sublimi, quod inferior majori, quod abbas episcopo talia scribam, talia suggeram, dedisti ipsi mihi, ubi nosti, et sicut nosti loquendi materiam, præbueris audaciam. Non ergo vereor de his tecum agere, de quibus tu prior egisti; de his tecum conferre, ad quæ me primitus incitasti. Jam quoniam frequentibus ad amicum epistolis paginas olim multas implevi, cessent verba ut tandem succedant opera, ne videar, aut sim semper sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

EPISTOLA XXVIII.

Universali sed speciali Patri, domino papæ Eugenio, frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, debitam obedientiam et fidele obsequium.

Sicut inter universos filios suos, olim Jacob patriarcha Joseph, singulari ac velut unico amore dilexit, coluit, fovit, sic felicis memoriæ beati prædecessores vestri, vestram Cluniacensem Ecclesiam, sicut beatitudini vestræ non ignotum esse arbitror, præ cunctis pene sibi subditis, ac commissis Ecclesiis, affectuosius dilexerunt, familiarius coluerunt, tenerius confoverunt. Quibus quoniam omnipotentis Dei dispositione, in sede apostolica successistis, oramus, et licet absentes, ipso quoque corpore supplicamus, ut quibus successistis officio, succedatis, si placet, amore, succedatis et benefi-

cio. Nam, ut voce Israelis quondam populi Dei utar, *sicut obedivimus Moysi, sic obediemus et tibi; tantum sit Dominus tecum, sicut fuit cum Moyse* (Jos. 1). Hoc enim ad augmentum gratiarum a jam dictis Patribus nostris, viris vere vita et officio apostolicis, licet immeriti, meruimus ut non tantum pro propriis, et sed pro aliorum, ac quandoque valde remotorum negotiis audiremur, et fere perpetuo benignissime exaudiremur. Hoc filiali presumptione exigimus a Patre nostro, cui obedire, quem diligere, cui obsequi volumus, illo tam antiquo et toti orbi cognito more nostro. Venerabilis vir et sacerdos Dei, dominus Aurelianensis episcopus (147), paternitati vestrae devotus filius, a filiis Belial multa perpressus, et cum his qui oderunt pacem, ut ovis mitissima semper pacificus, ad vos ut ad pacatum portum, et ad tutum pietatis asylum, et nuper confugit, et rursus recurrit, ut virtus ac mansuetudo apostolica, sit ei turris fortitudinis a facie inimici. Scribit et obsecrat pro eo tota pene Gallicana Ecclesia, et ne pontificalis sublimitas ab infamibus et vilissimis personis mendacibus contumeliis appetita, dehonestari permittatur, supplex implorat. Addimus et nos, si tamen alicujus momenti esse possunt, aliorum precibus preces nostras, ut quia non solum episcopali gradu sublimatur, sed et monachili honestate et habitu insignitur, utrumque pro eo ordinem Pater exaudiat, utrumque in oleo lactificet, utrumque honoret, et tot tantisque molestiis innocentiam diu ab improbis fatigatam, cum plenitudine apostolicæ benedictionis et gratiæ, ad sua, suosque remittat.

EPISTOLA XXIX.

Domino et Patri dulcissimo, PETRUS servus exiguus et indignus.

A die gloriosi apostolorum protomartyris, per Dei misericordiam vestrasque orationes aliquantum me sentiens relevatum, non possum tam prope vos esse, et nihil vobis dicere. Prudentium vestrum cum Christi adjutorio paratus sum incipere, si domno priori claustrum mandetis, ut pergamenum præbeat, et Bonito ut parare studeat. Gratulor autem non modice, id mihi ex insperato præceptum esse a vobis, quod auxiliante Domino et facere potero, et ex obedientia facere cupio, ut scilicet propter obedientiam me aliquid fecisse, deinceps apud vos gloriari possim. Illud quoque silere nullatenus debeo, quia ex ea hora, quam in festo piissimi apostoli Jacobi, dum majoris missæ solemniam agerentur, frater noster Theobaudus salutationem vestram mihi indigno protulit, ita pes meus meliorari cœpit, ut sicut ac ipsius apostoli gratia vestraque etiam oratione confido, a vobis salutari idem mihi fuerit, quod salvari. Incolumem vos proxime videamus, domine pie ac desiderantissime

ANDREÆ CHESNII NOTÆ

(147) Dominus Aurelianensis episcopus. Fortassis num 1446.

A Pater. Valeant coeremite vestri, et socii omnes domini mei, qui vobiscum silvas incolunt.

EPISTOLA XXX.

Honorando et in Christo filio PETRO, frater PETRUS humilis abbas Cluniensium, salutem.

Scribenti omnino mutus esse non debeo. Silvas incolimus, pertæsi urbium, rura amamus. Et ut aliquid poeticum addam,

*Jam non mihi turbida regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, ac imbelle Tarentum.*

(HOR. Ep. l. 1, ep. 7, vers. 44, 45.)

Emeriti jam sumus, et juvenibus, tibi tuisque similibus bella reliquimus. Armare igitur, et quia per Dei gratiam, ut scripsisti, pes tuus convaluit, ad prælia procede, pugna viriliter, viribus hostes subige; et quia jam totus mundus in arma conjurat, tu quoque armatorum numero adjungere. Nam ea de causa, coeremita noster fieri noluit. Ego tamen quod imputas otium, non prorsus otiosum esse volui. Et, ut iterum verbis illius cujus supra utar :

*Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miscent superis. Me gelidum nemus,*

Tace reliqua,

Secernunt populo.

(HOR. Od. l. 1, od. 1, vers. 29-32.)

Nosti quantum me pigeant falsa in Ecclesia Dei cantica, quantumque nugæ canoræ mihi odibiles. Inter quas (nam plurimæ sunt), cum nuper in festo magni patris Benedicti, hymnum præter sententias, metricam legem seriemque verborum peroptimum et cantari audirem et cantare cogerer : nimium, sed non tunc primum ægre tuli, et tanti viri veras laudes mendaciter proferri erubui. Nam præter aptitudinem sententiarum, quæ nulla est, ad minus viginti quatuor mendacia, canticum illud citato percurrens animo, in ipso reperi. Non igitur, ut præsumptor, sed ut horum quæ Dei sunt, in hac licet minima parte zelator, sumpta ex magni Gregorii verbis materia, in laude omnipotentis Dei, ipsiusque jam dicti patris, ejusdem metri hymnum composui, tibi, cui mea qualiacumque sint, frequenter ingero, transmisi. Accipe igitur, et si dignum videtur, cæteris, quæ transcribere soles, adjuge. Nam quod tacere nolo, cum antiquus ille hymnus de tot tantisque sancti viri miraculis vix unum attingat, hic præter spirituales ejus virtutes, duodecim ipsius miracula breviter explicat. Et quia semel cœperam de translatione simul, atque illatione ejus alterius metri secundum, propter tedium cantantium altero breviorum edidi. Quem et mitto. Vale in æternum.

EPISTOLA XXXI.

Charissimo seni, societatis nostræ priori, PETRO Pictaviensi, frater ARNULPHUS, eremita novitius, co-

Helias, de quo jam supra. Sedit enim usque ad an-

eremitarum suorum minimus, salutem mentis et corporis.

Salutatio vestra, quam Patri novorum incolarum eremi, domno abbati nobis exhibendam misistis, mihi sociorum ultimo novissime pene innotuit, et sicut unguentum a capite usque in oram vestimenti, gratiosa descendit. Gratias vobis, quod amore nostri tractus, tam sublimia de nobis existimetis, ut eremitarum nos vocabulo dignemini; et quod studio tuendae utcumque sospitatis timidi assumpsimus; religioni imputetis. Nos enim tanquam rudes eremitae, adhuc de crastino cogitamus, nec parum nos religiosos credimus, si de periculo instantis temporis vivi evadimus. Vos vero magis philosophantem eremitam dixerim, qui metu mortis intrepidus, juxta morientes securus vivitis, et ab adventantium turbido incursu segregatus, in vestro sursum coenaculo solus positus, vobiscum habitatis. At vero quantam nobis vestra eremus, vel potius solitudo invidiam suscitet, scribere utcumque tentaveram; sed epistola domni (148); qua vos beatum dixerim, subito inter scribendum superveniens, et suo illo more verbis philosophicis sublimius intonans, mutum me et elinguem effectum obruit, et tardio rem quam si vobiscum claudicarem effecit. Obmutui igitur. Unum tamen quod mente conceperam, velut alter Helium comprimere non potui; et, licet oppressus, stylo rustico rudis expressi. Quid illud? Si ad nos cum Augustino vestro de academicis venire dignaremini, otia cuncta diffugerent, et novam strueremus academiam. Quis harum finis nugarum? Ut verum fatear, magis interim vestrum ad nos desideramus adventum, quam nostrum ad vos reditum. Quae sententia tam communis est omnium, ut etiam vetus hos noster non recalcitret: qui captus amena jucunditate eremi, jejunos aequae ut satur, indefesse ruminat.

EPISTOLA XXXII.

Venerando fratri et charissimo socio PETRO, frater ROBERTUS, quod sequitur.

Præteritæ nuper Dominicæ vespertinò crepusculo, cum post eos, qui digni habitū sunt primo videre quæ mittuntur, primo audire quæ in aurem dicuntur, primum mihi contingeret legere litteras vestras, quas antea non audieram, gavisus sum. Erat enim in eis, sicut hoc ipsum quidam ex no-

stris altiore mentis intuitu notaverunt, quod non tantum aures demulcebat auscultantium, sed ora quoque movebat, et mitigabat animos omnium nostrum. Et hoc quid erat, vel quid esse poterat? Illud; inquam, ad quod cantant vel clamant subsellia in theatro. De fine litterularum vestrarum loquor; quas domno direxistis: quarum cum principium ac medium multa laude plena fuissent, jocundiore tamen artificio lautiorique maturitate finem conclusistis. Dixistis enim: Valeat dominus, sociique ejus et coeremite, qui cum eo silvas incolunt. Itaque domnum eremitam esse insinuastis. Socios autem ejus coeremitas designastis. Pro arido incolatu eremi, humidam et algidas silvas cum grege magistrum delectare non tacuistis. Et hæc unde tibi, o venerandè senex! unde hæc tibi, o ministre Christi, o angele Dei, nisi quod angelus senescere, canescere nescit, nec claudicare? Et o, inquam, unde hæc tibi, ut tam alto pectore vel novo forsitan prophetiæ spiritu, præsignares quod necdum scitur; præcantares quod necdum inchoatur, præmonstrares quod sine te fieri vel amari, nemini eorum quos eremo donasti, consulitur? Igitur cum ad nos veneris, nec eremum, nec eremitas inveneris. Triceps namque Parnassus noster, non jam biceps, sicut olim locuti sunt poetæ priores: Hinc Faunos bicornes, inde Satyros saltantes; circumquaque vero strepitus ferarum, suavesque garritus avium habens, nil tale insinuat. Tantum hic sursum cucullatos poetas quære, coloratos nigro monachos mirare, religionis, orationis, lectionis, amatores fratres desidera. Nihil fucatum penes hos existimes, nihil admistum vitio formides. Custos etenim virtutum justitia, nihil fluctuare sinit in monte nostro charitate magistra. Et hoc de illis qui montem medium incolunt: Qui vero reliqua duo Parnassi capita occupant; in ipsius familia censentur, quæ perpetuo silentio damnat vocis articulatae primitias; et quæ eousque religiosa manet, quod nunquam nisi vocata vel excita, respondet. Quod si religiosus es, approba similitudinem; si creditus, solitudinem; si grammaticus et lectionis amator, convictus conditionem. Hæc, frater charissime, penes nos habentur

EPISTOLA XXXIII.

Venerando et charissimo Patri, domino PETRO Sancti Joannis, frater GISLEBERTUS, salutem.

Post illas dominorum meorum, quos, si dici li-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(148) *Sed epistola domni.* Id est abbatis sive præpositi. S. Benedictus cap. 63 Regulæ: « Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, domnus et abbas vocetur. » Et beatus Odilo in vita S. Majoli, « et ab omnibus domnus et abba honoratur. » Item postea: « Domnus videlicet et abba Willelmus. » Appellabatur et senior ut passim ex Vita ipsius Odilonis a Jotsaldo descripta liquet. Priores vero nonni dicebantur; ut docet idem S. Benedictus loco citato, cum ait: « Priores juniores suos fratres nominant; juniores autem priores suos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. » Et synodus Aquisgranensis anno 816: « Ut qui

præponuntur, nonni vocentur; hoc est paterna reverentia. » Verum et postea fratres ipsi Clun. domni vocari cœperunt, vulgo dom. Sic enim Cassinenses in suo declaratorio: « Ex nostra, inquit, antiqua consuetudine, ad differentiam mendicantium monachos nostros appellamus domnos, sed affectu fratres: » Et sanctimoniales etiam quæque nonnæ, Gallice nonnains, dictæ sunt. S. Hieronymus ad Eustochium: « Et quia maritorum expertæ dominantum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur et nonnæ. » Et Capitul. lib. v, cap. 11: « Similiter et nonnæ velatae eadem poenitentia contineantur. » Unde et Xiphilinus in Domitiano virgines

ceat, fratres et socios habere merui, nitore præfulgentis eloquii splendidissimas epistolas, reverentiæ vestræ transmissas; et nos hanc nostram linguæ pauperrimæ pauperulam chartulam, solius tantum salutationis vestræ divitem bajulam mittimus. Spero quod satis facile præsumptuosæ rusticitati styli male fabricati, parumque limati veniam dabit. Hoc unde magis timeo, tutum esse rogo, ne videlicet ista litterarum tarditas, de tarditate seu tepiditate minus in me ferventis dilectionis, quin potius ex supposita causa, descendisse credatur. Nostis ipse quod cum sim inter omnes socios meos ætate junior, scientia inferior, merito impar, magis eos subsequi quam præcedere debeo. Itaque cessi majoribus, honorem dedi senibus, nec ante quidquam scribere præsumpsi, donec omnes scripsisse cognovi. Præterea est et alia causa, quia, ut verum fatear, non tam prudenter quam naturaliter mihi semper inhæsit, ut etsi non multum velox ad audiendum, sim tamen multum tardus ad loquendum. Ecce, non quia minus diligo, sed propter ista quæ dixi, tardius scribo. Præcedant me socii in loquendo, præcedant in scribendo, nunquam tamen patiar ut præcedant in diligendo. Hæc præmittere necessarium duxi, quo et mora directæ paginæ excusetur, et ea quæ sequuntur, cum majori benevolentia audiantur. Igitur post illa quæ Patri communi singulariter in epistola vestra mandastis, Patris filios, fratres utique vestros et socios salutastis, magnoque illo eremitarum nomine sublimiter honorastis. Agnosco me præfati Patris filium, agnosco me etiam fratris, quamvis senioris, et cujus potius videar esse filius, fratrem adolescentulum, unde nec diffiteor socium: et ideo inter salutatos agnosco me utique salutatum. Sed nunquid sic dicere possum, quod et eremitam me fore cognoscam? Revera, sicut scribitis, silvas incolimus, et sæpe plus sunt nobis familiaria frondea tecta arborum, quam lapidea seu lateritia domorum. Nondum tamen illo modo eremitico facti sumus sicut passer solitarius in tecto. Illum etenim, non tantum circumfusa nemorum opaca densitas, quantum ipsa longe remota mortaliū societas, solitarium faciunt. Nos autem quomodo solitarii sumus, qui postquam hujus eremici vastam solitudinem intravimus, tantam post nos hominum frequentiam traximus, ut magis urbem quam eremum struxisse videamur? Nam ut illam turbam tumultuosam taceam, quæ de tota circumposita regione pro litibus suis, aut sine concordia dirimendis, aut sententia judiciaria limitandis, cætervatim confluit, tantam nobis tum transmarinus Oriens, tum transalpinus Occidens legatorum copiam mittit, ut vel cujuslibet magni regis amplissima cura vix responsa dare sufficiat. Unde igitur eremitarum nomen nobis imponitur? An forte dampes vester rectius ire inciperet, graviorem lingua

A claudicationem incurrit, ut a vero devians, diceret quod non debuit? Enimvero qui lingua labitur, gravius claudicat, quam qui pede tumido terram timide calcat. Esto tamen, ut et veri simus eremitæ, et veraciter eremitarum nomine nuncupemur. Tu igitur bellator fortissime, miles acerrime, præliator victorioso, qui tam longo tempore, fraterna ex acie contra rugientis hostis sævitiam fortiter pugnare doctus, tot palmarum insigniris gloria, quot adversus ipsum suscipis bella, cur de castris non egredieris? cur illo spirituali gladio tuo non accingeris? cur tandem nobis solitariis non adjungeris, ut contra publicum hostem in eas nobiscum singulare certamen? Ecce te omnes spectamus, omnes adventum tuum desideramus, et si veneris, nos jam novos eremitas, te socios habere probabis.

EPISTOLA XXXIV.

Serenissimo Patri et domino, PETRUS, licet inutilis, devotus tamen servus et filius.

Quoniam, prout video, silvæ vestræ non solum, ut dixeram, eremitas, verum etiam philosophos et poetas, copiose redolent, et ego hujusmodi studia quamvis non assecutus, sequi tamen aliquando desideravi, jam valde trahor, etsi corpore adhuc debili nequeo, animo tamen, et eo, quo utcumque possum, confabulationis genere easdem vobiscum silvas incolere. Unde et aliquid metricum, quod maxime silvis et montibus, mihi que olim familiare fuit, mittere proposueram; sed cum divinus ille philosophus dicat: *Musica in luctu importuna narratio (Eccli. xxii)*, nosque pene quotidie charissimorum funera tractemus, cantare destiti, qui inter tam inscrutabilia Dei judicia vix audeo loqui. Hac etenim causa præcipue tandiu silui, nec dulcibus ac jocundissimis tam vestris quam sociorum venerabilium epistolis, quæ animam meam lætificare non cessant, pro tempore aliquid respondi. Nam pro elegantis dignitate, ut de aliorum litteratissimis et pulchre ludibundis litteris taceam, soli epistolæ vestræ respondere quis poterit? Vere dulcis et pie jocosa epistola, in qua sic vestram de silvestri vel eremitico vocabulo injuriam vindicatis, ut valde sic me peccasse delectet, qui pro verberibus laudes accipio. De hymno autem maximi Patris eremi quid dicam, qui hucusque hymnum non habuerat, convenientemque suis meritis habere dignatus non est, donec ei a sui ordinis principali magistro, in Cluniacensi eremo factus est? Mihi plane videtur, etsi hoc forte non cogitastis, ut fratribus illis, qui corpus ejus observant, hymni isti mittantur. Credo enim eos libenter cantaturos, proprii loci tam floride descripta miracula, ne solum super aquas currentem Maurum, assidue cantitando, inepto illo et falso, quo jam pertæsi esse possunt, carmine, ulterius crucientur. De talibus quam dulce mihi sit semper vobiscum loqui, non ignoratis. Hinc est

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

νόνηος appellavit, quas et a reliquo mulierum distinxit his verbis: πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ἀγῶνας νόνηος

τῶν ἐποιεῖ, καὶ ἔστιν ὅτι καὶ νόνηος καὶ γυναῖκας συνέβαλε.

quod et modo, et quotiescunque non adestis, solus A
sum. Et si multa adsint, et totus orbis obstrepat,
sine vobis in veritate solum esse me sentio. Scialis
etiam Cluniacum urbem vestram clarissimam; to-
tam unanimiter imperialem ac piissimum vultum
vestrum quotidie desiderare, nosque omnes monti
et silvæ illi multum invidere, quæ cum assidue vi-
deamus, illis obstantibus desiderium nostrum videre
non possumus. Sed rursus dum causam, qua ibi
estis, subtilius attendimus, absentiam vestram etsi
molestè, tamen æquanimiter toleramus. Solum et
incolumem vos in proximo videamus, et in æternum
habeamus, domine Pater sancte. Valeant etiam ite-
rum et vigeant semper vobiscum charissimi socii
et philosophi vestri; si tamen vel hoc saltem
nomine censeri dignentur: qui tantopere eremita- B
rum vocabulum, quo eos venerari studueram, re-
spuerunt, ut non impune tulerim, quod non potius
illos Faunos Satyrosque vocavi. Tot enim chartas
habeo, totque dictis urbanis et ab eremitica sim-
plicitate remotissimis obrutus sum, ut magis ab
eremitarum crimine purgare se non potuerint, quam
quod tot bene paratas pelles invenire, tantisque
unum miserum et claudum senem elogiis lacessere,
fortes et juvenes studuerunt. Valeant omnes qui
vobiscum sunt in Domino: post hæc quibus anxiam
vitam utcumque relevamus ludicra, etiam serio me-
mores invicem nostri, in orationibus sanctis. Igno-
scite pauperi chartæ et vili scripturæ, quoniam et
propter absentiam vestram, et funera frequentia,
pedisque mei aliquantulam adhuc debilitatem, vix C
aliquid facere libet. Rogo etiam ut hæc chartula
mea, et alia minor, quæ tanti solatii nobis materiam
præbuit, mihi servetur. Nam et ego epistolas vestras
diligentissime amplector et servo.

EPISTOLA XXXV.

Venerabili et charissimo fratri et filio PETRO, fra-
ter PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem,
gratiam et benedictionem.

Quocumque meum tendat iter, tu tamen sem-
per mecum. Miraculum hoc. Homo clausus ubique
discurrentes comitatur, nec ab eis vel puncto tem-
poris abest. Fit hoc mente, non corpore; affectu,
non effectu; charitate, non societate. Es quidem
otiosus, et nos negotiosi; sed tamen otium tuum D
non omnino otiosum esse volumus. Quidquid de
charioribus nobiscum non serimus, tibi relinquere
soliti sumus. Libri, et maxime Augustiniani, ut
nosti, apud nos auro pretiosiores sunt. Quos vero
viles edidi, forte nec minus chari. Inde ergo otium
tuum interpolamus, nec omnino feriatum esse vo-
lumus, ut aliquem nobis de Augustinianis laboriosi
itineris nostri consolatorem dirigas, et epistolas
nostras, ac vitam domni Matthæi episcopi (149),
quia liber contra hæreticos (150) editus deest, ve-
lut proprii cordis conceptus et partus.

ANDRÆÆ CHESNI NOTÆ.

(149) *Vitam domni Matthæi episcopi.* Albanensis,
quæ tota libro II Miraculorum habetur.

EPISTOLA XXXVI.

Illustri ac magnifico principi, domino LUDOVICO glo-
rioso regi Francorum, frater PETRUS, humilis Clu-
niacensium abbas, feliciter hic regnare, Regemque
regum in regno ac decore suo videre.

Licet regis æterni militiam, quam per te regem
terrenum, contra inimicos crucis suæ armare dis-
posuit, ad peregrina euntem comitari non valeam,
devotione tamen, oratione, consilio et auxilio, quali
quantove potero, prosequi concupisco. Nec mi-
rum. Quis enim, vel ultimus Christiano nomine
insignitus, ad tantam tamque stupendam exercitus
Domini Sabaoth commotionem non moveatur? Quis
ad juvandam pro modulo suo, totis animi conati-
bus, celestem expeditionem non accingatur? Re-
novantur jam nostro tempore antiqua sæcula, et
in diebus novæ gratiæ, vetusti populi miracula
reparantur. Processit de Ægypto Moyses, reges-
que Amorrhæorum cum subjectis populis delevit.
Successit ei Josue, regesque Chananæorum cum
infinite gentibus Dei jussu prostravit, terramque
illam, extinctis impiis, illi tunc Dei populo sorte
divisit (*Num. XXI, etc.; Josue VI, etc.*). Egrediens
ab ultimis occiduae plagæ finibus, imo ab ipso solis
occasu, rex Christianus Orienti minatur, et nefan-
dam Arabum, vel Persarum gentem, sanctam ter-
ram rursus sibi subjugare conantem, cruce Chri-
sti armatus aggreditur. Magni quidem, et vitæ
sanctitate modernos principes superantes enitue-
runt illi principes Judæorum, non tamen modo
quodam potiores, imo fortassis inferiores videntur
hoc rege Christianorum. Delent illi, jussu Dei, vi
bellica profanos populos, terrasque eorum vindicant
Deo ac sibi. Delebit et iste nutu, jussuque
ejusdem Dei, hostes veræ fidei Sarracenos, terras-
que eorum subjugare laborabit Deo, non sibi. Im-
plant illi præcepta divina, speque terrenæ merce-
dis ex quadam parte militaribus rebus insudant.
Exponit iste, et immolat Deo regnum, opes, vitam-
que ipsam, non ut aliquid terreni rex magnus in
mundo lucretur, sed ut post mortalis regni defe-
ctum a Rege regum honore et gloria coronetur.
Non destituet ergo certa sublimisque victoria re-
gem, magis cœlestibus quam terrenis armis mu-
nitum, nec exercitui Dei viventis, quantalibet
Orientalis barbaries resistere prævalebit. Quis
enim eis resistere possit, qui honores, qui divi-
tias, qui voluptates, qui ipsam cum parentibus
patriam etsi omnino relinquentes, Christum suum
sequi, ipsi laborare, ipsi pugnare, ipsi mori,
ipsi vivere elegerunt? Quis, inquam, potest illius
exercitui obsistere in terra, qui dixit de seipso:
Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra?
(*Matth. XXVIII.*) Quam potestatem, licet in homine,
quem causa hominum suscepit, a Deo acceperit,
hanc tamen ab æterno ut verus Deus habuit. Sed

(150) *Liber contra hæreticos.* Petrobrusianos sci-
licet et Heinricianos, de quibus infra.

quid proderit inimicos Christianæ spei, in exteris aut remotis finibus insequi, ac persequi, si nequam, blasphemii, longèque Sarracenis deteriores Judæi, non longe a nobis, sed in medio nostri, tam libere, tam audacter, Christum cunctaque Christiana sacramenta impune blasphemaverint, conculcaverint, deturpaverint? Quomodo zelus Dei comedet filios Dei, si sic prorsus intacti evaserint, summi Christi ac Christianorum inimici Judæi? An excidit a mente regis Christianorum, quod olim dictum est a quodam sancto rege Judæorum? *Nonne, ait, qui oderunt te, Domine, oderam: et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos (Psal. cxxxviii).* Si detestandi sunt Sarraceni, quia quamvis Christum de Virgine ut nos natum fateantur, multaque de ipso nobiscum sentiant, tamen Deum Deique Filium (quod majus est) negant, mortemque ipsius ac resurrectionem, in quibus tota summa salutis nostræ est, diffidentur, quantum execrandi et odio habendi sunt Judæi, qui nihil prorsus de Christo vel fide Christiana sentientes, ipsum virginicum partum, cunctaque redemptionis humanæ sacramenta abjiciunt, blasphemant, subsannant? Nec ad hoc ista dico, ut regalem vel Christianum gladium in necem nefandorum illorum exacuam, quia scriptum de eis in Psalmo divino recolo, loquente sic in Spiritu Dei Propheta: *Deus, inquit, ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos (Psal. LVIII).* Non vult enim Deus prorsus occidi, non omnino extinguere, sed ad majus tormentum et majorem ignominiam, ut fratricidam Cain, vita morte deteriore servari. Nam cum Cain, post fraterni sanguinis effusionem, Deodiceret: *Omnis qui invenerit me, occidet me (Gen. iv)*; dictum est ei: Non, inquit Deus, ut æstimas, morte morieris, sed gemens et profugus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua (*Ibid.*)

Sic de damnatis damnandisque Judæis, ab ipso passionis mortisque Christi tempore, justissima Dei severitas facit, et usque ad ipsius mundi terminum factura est. Qui quoniam Christi sanguinem, utique juxta carnem fratris sui, fuderunt, servi, miseri, timidi, gementes, ac profugi sunt super terram, quousque juxta prophetam, *miseræ gentis reliquæ (Isa. x)*, jam vocata gentium plenitudine, convertantur ad Deum, et sic secundum Apostolum: *Omnis Israel salvus fiat (Rom. xi)*. Non, inquam, ut occidantur admoneo, sed ut congruente nequitie suæ modo puniantur, exhortor. Et quis congruentior ad puniendos illos impios modus, quam ille quo et damnatur iniquitas et adjuvatur charitas? Quid justius quam ut his, quæ fraudulenter lucrati sunt, destituantur; quæ nequiter furati sunt, ut furibus, et (quod pejus est) hucusque audacibus et impunitis, auferantur? Quod loquor omnibus notum est. Non enim de simplici agri cultura, non de legali militia, non de quo-

libet honesto et utili officio horrea sua frugibus, cellaria vino, marsupia nummis, arceas auro sive argento cumulant, quantum de his, quæ, ut dixi, Christicolis dolose subtrahunt, de his quæ furtim a furibus empta, vili pretio res charissimas comparant. Si fur nocturnus Christi Ecclesiam fregerit, si sacrilego ausu candelabra, urceos, thuribula, ipsas etiam sacras cruces, vel consecratos calices asportaverit, cum Christianos fugiat, ad Judæos confugit, et apud eos damnabili securitate securus, non solum latibula fovet, sed et quæ sacris ecclesiis furatus fuerit, Satanæ synagogis vendit. Distrahit vasa corporis ac sanguinis Christi occisoribus corporis, et effusoribus sanguinis Christi, qui et tunc eum inter mortales conversantem quantis potuerunt contumeliis et injuriis affecerunt, et nunc in majestate divinitatis æternæ sedentem, quantis audent verborum blasphemis lacessere non desistunt. Nec sacra illa vasa, quæ penes ipsos, sicut olim penes Chaldæos, modo quo prædixi captiva tenentur, licet sint insensibilia, injuriarum expertia sunt. Sentit plane in his quæ non sentiunt sibi sacratis vasis, Judaicas adhuc contumelias Christus, quia, ut sæpe a veracibus viris audivi, eis usibus celestia illa vasa ad ejusdem Christi nostrumque dedecus nefandi illi applicant: quod horrendum est cogitare, et detestandum dicere. Insuper, ut tam nefarium furtum, Judæorumque commercium tutius esset, lex jam vetusta, sed vere diabolica, ab ipsis Christianis principibus processit, ut si res ecclesiastica, vel (quod deterius) aliquod sacrum vas, apud Judæorum repertum fuerit, nec rem sacrilego furto possessam reddere, nec nequam furem Judæus prodere compellatur. Manet multum scelus detestabile in Judæo, quod horrenda morte suspendii punitur in Christiano. Pinguescit inde et deliciis affluit Judæus, unde laqueo suspenditur Christianus. Auferatur ergo, vel ex maxima parte imminuatur Judaicarum divitiarum male parta pinguedo, et Christianus exercitus, qui ut Sarracenos expugnet, pecuniis vel terris propriis, Christi Domini sui amore non parcat, Judæorum thesauris tam pessime acquisitis non parcat. Reservetur eis vita, auferatur pecunia, ut per dextras Christianorum, adjufas pecuniis blasphemantium Judæorum, expugnetur infidelium audacia Sarracenorum. Serviant populis Christianis, etiam ipsis invitis, divitiæ Judæorum, sicut olim cum Deo placerent patres eorum, Deo jubente, sunt eis ad serviendum traditæ divitiæ Ægyptiorum (*Exod. ii*). Hæc tibi, benigne rex, scripsi amore Christi, tuique atque exercitus Christiani, quia et stultum esset, nec offensa, ut arbitror, divina careret, si sacræ expeditioni, cui juxta congruentem modum impendendæ sunt res Christianorum, multo amplius non servirent pecuniæ profanorum.

EPISTOLA XXXVII.

Glorioso ac magnifico principi RÖTGERIO Siciliae regi, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, bonorum regum dignitatem et gloriam.

Gratias omnipotenti Regi regum, qui sublimitatem vestram inter universos Christiani orbis reges ac principes, quadam specialis magnificentia gloriae insignivit, quadam gloriosi nominis fama singulariter exaltavit in tantum, ut cum plures regii nominis habeatis consortes, magnanimitate, prudentia, probitate, nullos aut pene nullos habere inveniamini pares. Indicat hoc Sicilia, Calabria, Apulia, ex non modica sui parte, in quibusdam aliis regionibus, subjecta vobis Italia: quae cum ante vestra tempora, vel receptacula essent Saracenorum, vel foveae praedonum, vel speluncae latronum, nunc gratia misericordis Dei incitante studia vestra, juvante labores vestros, factae sunt pacis domicilium, tranquillitatis hospitium, et velut alterius pacifici Salomonis pacificum ac jucundissimum regnum. Utinam, quod secretorum omnium cognitore Deo teste, non adulans dico, utinam, inquam, miserabilis atque infelicitis Tusciae partes felici vestro imperio cum adjacentibus provinciis adjungerentur, et res perditissimae pacifico regni vestri corpori unirentur! Vere non tunc, sicut nunc res divinae atque humanae nullo servato ordine confunderentur; non urbes, non castra, non burgi, non villae, non stratae publicae, non ipsae Deo consecratae ecclesiae homicidis, sacrilegis, raptoribus exponerentur. Non poenitentes, non peregrini, non clerici, non monachi, non abbates, non presbyteri, non ipsi supremi ordinis sacerdotes, episcopi, archiepiscopi, primates, vel patriarchae in manus talium traderentur, spoliarentur, distraherentur: et quid dicam? verberarentur, occiderentur. Haec plane universa multaque his similia, tam nefanda, tam execranda, justitiae regiae gladio succisa cessarent, ursorum, pardorum, luporum ungulae rapaces languerent, et, ut de beato ac magno viro Job dictum est: *Omnes bestiae agri, quae nunc in praedam insaniunt, pacificae vobis essent (Job v)*: Sed luit adhuc scelerum poenas, et gemit misera terra sub flagello divino, quia in his omnibus nondum est aversus furor Dei, sed adhuc manus ejus extenta D *(Isa. v, ix, x)*. Spem tamen maximam gero, et in Jesu salutari meo omniumque suorum confido: quod multorum id desiderantium pauperum desiderium exaudiet Dominus, et praeparationem cordis eorum audiet auris ejus. Sed ne forte quorundam hominum, et ex semetipsis alios metientium corrupta corda, me in corde et corde loqui, aut venditorem olei suspicentur, reprimendus est sermo, ne si casu ad aliquem talium epistola vobis missa pervenit, meditentur inania et suspicentur falsa. Novit enim testis et conscius meus in excelsis, me neque aliter loqui quam sentio, neque ob aliud, ut et notum vobis sit, id me sentire quod sentio, et ut regalis nobilitas vestra magis ac magis animetur ad me-

Alia, agnoscens me ista quae dixi, multosque mecum sentire. Nam, ut saepe majestati vestrae mandavi, et verum est, his de causis ante viginti annos, super omnes reges et principes temporis nostri, uno excepto, qui mortuus est, ut pacis amatorem et scelerum vindicem, sinceriter dilexi; et hujusmodi affectum vobis usque ad ultimum diem servare proposui. Hac de causa in conspectu Romanorum pontificum, regum, principum, majorum sive minorum, haec atque similia vestra bona semper extuli; et personam vestram, regnumque omnipotenti Deo, religiosisque tam nostris quam aliis congregationibus, studiosissime commendavi. Sed de eis hactenus.

Nunc autem notum fieri volo magnitudini vestrae me venisse Romam, aliquantibus hebdomadibus ibi mansisse, finitisque innumeris pene Cluniacensis Ecclesiae negotiis, ad vos usque transitum facere decrevisse. Sed sicut praeteritis annis idem facere frustra conatus sum, sic et modo id incassum volui, quia multiplex cura jam dictae Ecclesiae revocante, non potui. Causa mihi veniendi ad vos duplex erat, ut et personam vestram mihi praeter ceteris, ut praefatus sum, regibus charam, sicut millies optaveram viderem, et necessitates vestri Cluniacensis monasterii vobis incognitas regi specialiter, ut credimus, nos amanti notas facerem. Hoc quia, ut dictum est, per meipsum implere non valui, loco mei probum et sapientem virum, venerabilem fratrem nostrum A. Cluniacensem sacristam, nobilissimae liberalitati vestrae transmisi, ut quod dicerem dicat, et si vobis non displicet, etiam quod audirem audiat. Clamat ad vos, et pulsat ad ostium amici, vestra Cluniacensis Ecclesia, ut sicut benignitatem vestram ad se diligendum commovit, ita munificentiam vestram ad sibi benefaciendum commoveat: Urget hoc ipsa necessitas, et infinitae illius magnae ac famosi monasterii, ut notum est cunctis, expensae, quod a primo foundationis suae lapide ab omnibus solet colligere, quod possit universis effundere. Factum est a sui principio, non solum externorum hospitium, non tantum confugientium asylum, sed, ut sic loquar, publicum reipublicae Christianae aedium. Agit parcius in proprios, profusius in alienos, nec attendit quid possit, sed quid superveniens velit. Ea de causa, nec sua ei, nec aliena sufficiunt, quia longe major est quantitas erogatorum quam liberalitas largitorum. Additur necessitati quod soliti beneficiorum proventus, deficientibus bonis regibus et principibus, defecerunt, quoniam modernis adjacentium terrarum potentibus, etsi benefaciendi nobis adsit voluntas, deest facultas. Inde est quod Cluniacus debitores multos, benefactores habet paucos. Amat, et, ut credimus, multum amat Theutonicus rex, amat Hispanus, amat Anglicus, amat et alius nobis propinquior, rex Francorum Cluniacum, et cum horum et similium erga nos sit amor magnus, est pene amoris effectus nullus. Pares sunt praedecessoribus suis in amando, sed dispares.

in largiēdo. Diligunt, juxta Joannem apostolum (quod non detrahens dico), verbo vel lingua, non opere vel veritate (*I Joan. iii*). Et quid multa? Ut verbis Psalmistæ Deo loquentis vobiscum loquens utar: *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor* (*Psal. ix*). Dereliquerunt enim vobis, et velut priscis adjutoribus destitutam, dimiserunt jam dicti reges vobis Cluniacensem Ecclesiam, ut quia ipsi nobis largi esse volunt, sed, ut dicunt, non possunt, vos quia per gratiam summi Regis potestis, oramus ut etiam et velitis. *Thesaurizate ergo vobis, secūndum verba Domini, thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur* (*Matth. vi*). Implete, si placeat, effectum aliorum nudum affectum, ut sicut pene omnes nostri sæculi reges et principes, multis, ut supra dictum est, prohibitibus vincitis, sic et in isto tam divino, tam fructuoso opere superetis. Si quid minus dictum est, a jam dicto præsentium latore, viro prudente, quærere et audire poteritis.

EPISTOLA XXXVIII.

Venerandis et charissimis nostris, domno priori Carthusiæ (151), et fratribus cæteris, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, eamdem quam sibi salutem.

Agnosco quid vobis debeam, agnosco quod præcunctis mortalibus religioni deditis, nec Ecclesiæ nostræ voto professionis astrictis, vos semper in Domino charius dilexi, colui, veneratus sum. Feci hoc usque, facio adhuc, faciam quandiu fuerit spiritus in naribus meis. Causa hujus mei erga vos amoris, Christus est: quem quia in ipso personaliter non possum, in vasis ejus, hoc est in vobis, in quibus habitat, ipsum diligo, amplector, honoro. Scripsit mihi reverenda charitas vestra ut quosdam Ambrosianos libros vobis mitterem. Dulce fuit quod mandastis, homini expectanti sæpe a vobis litteris vel nuntiis visitari. Concupiscit quidem hoc semper, sed raro quod desiderat assequitur: facio quod scripsistis, mitto quod mandastis. Sed quibus? Litteræ quas misistis, libros tantum sonabant, sed quibus mitterentur tacebant. Non sic, ut aliquid querelæ familiaris apud familiares deponam, non sic piæ sanctæque memoriæ domnus Guigo prior scribebat, sed epistolari more, salutatione præmissa, affectum benigni cordis congruenter verbis subsequentibus indicabat. Sed fortassis verbosi apud nos esse timuistis, vel ne ipsi verbosi essemus, brevitate tanta monuistis. Cogitastis forte, etsi non dixistis, quod sanctus Job amicis suis: *Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus* (*Job xvi*). Sed ut aliquid vel figurate vel in veritate loquar, ad utrumque respondeo, quia quantum ad animi mei affectum attinet, si semper loqueremini, taciturni esse videremini; si semper vobis loquerer, mutus mihi viderer. Mittite per præsentium latorem, vel quem-

A libet alium, fidum tamen, vadimonia librorum quos misi, non quod inde major conservandi eos securitas detur, sed ut jussio sancti Patris nostri Hugonis de talibus facta servetur. Valet, memores nostri semper in Domino.

EPISTOLA XXXIX.

Venerabilibus et dilectissimis dominis et fratribus apud Cluniacum omnipotenti Domino servientibus, frater PETRUS, humilis eorum non tam abbas quam servus, totius salutis et benedictionis a Domino plenitudinem.

B Audivi, charissimi, et hoc, antequam nuper a vobis recederem, ex parte videram, quod manus Domini tetigit vos, quod flagellum inundans per vos transitum habuit, quod plurima et pretiosa corporis nostri membra, peccatis nostris hoc promerentibus, judicii divini gladius amputavit. Concidunt velut ex magna arbore, vehementi vento impulsivi, maturi pariter et immaturi fructus; jamque pene totam subjectam terram lapsu continuo operuerunt. Ruunt super mortuos vivi, et supra sepultum sepulter ipse procumbit. Nulla in qualibet ætate vitæ fiducia, misti senibus juvenes, decrepitis adolescentibus, corruunt, ipsique pene pueri centenarios moriendo præveniunt. Dies Domini vere, sicut ipse ait, ut fur in nocte veniens (*Matth. xxiv*; *I Thess. v*; *II Pet. iii*), sollicitos quosque et improvidos simul furatur, vixque moriens se mori advertit, quia prius a morte quisque rapitur, quam plene ad seipsum morientis animus convertatur. Minuitur quotidie magnus ille ac celebris, vereque cælestis ovium Christi numerus, et ut dignum est credere, summo Pastori suo in pascuis sempiternæ vernantibus aggregatur. Patimur nos, qui vivimus, et licet ignoremus quandiu, adhuc tamen residui sumus: patimur, inquam, dolenda, totisque lacrymarum fontibus deflenda damna: quod tantorum, tam utilium, tam sanctorum fratrum, apud nos diversisque in locis decedentium, corporali ad præsens societate ac consueto adjutorio caremus. Dolendum quidem omnibus de his est, sed super omnia mihi. Quomodo enim non plus omnibus doleam, ad quem magis ex officio, ad quem magis ex debito pertinet ut doleam? Nam ut de officio loquar, quis Pater tam ferreus, quis tam lapideus, unquam esse potuit, ut morientes non dico tot, non dico tam electos, sed saltem unum et abjectum filium mori sine acri dolore multisque lacrymis videat? Et, (ut quod est ex debito subjungam) quis unquam pater adeo filii debitor esse potuit, ut ego vobis? Quis enim unquam pater in filiis carnalibus tantam obedientiam, quis tam sincerum amorem, quis tanta tamque prompta erga se obsequia reperit, ut ego in vobis? Quis unquam ipsa frequenter docente experientia, tam dulcia de quolibet charissimo sentire potuit, ut ego de vobis? Si Alpes Italicas vel Hispanas transivi, mecum affectu ac mente transistis. Si Romam

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(151) Domno priori Carthusiæ. Basilio, Guigonis successori, cui scribit et infra lib. vi, epist. 40.

(quod sæpe contigit) adivi, indivisibiles mihi socii adhæsisistis. Si maria transfretavi, mecum animo, mecum devotione, mecum orationibus navigastis. Si infirmari vel leviter cœpi, mecum compassione et multo dolore animi ægrotastis. Sine vobis laborare nunquam potui, sine vobis pericula nulla subire prævalui. Quomodo ergo absque maximo et intimo cordis dolore tam frequenti et pene subita morte rapi de latere meo tot tamque charissimos cernere poterō? Qualiter viscera mea abrumpi ab intimis meis absque gemitu videbo? Quomodo tanta non auri vel argenti, sed quod longe omni thesauro charius ac pretiosius est, tantorum fratrum dispensia æquo animo tolerare valebo? Renovata sunt priora sæcula; et ea jam non legimus, sed experimur. Videtur angelus Domini extendisse manum super nostram Hierusalem, sed in omnipotentis Dei misericordia confido, non ut disperdat, sed ut corrigat eam. Utinam in hoc casu, imo æterna Dei dispositione, utinam, inquam, essem David, ut vel in aliquo tantæ cladi occurrere possem, ut ira Domini in misericordiam conversa, diceretur percussenti angelo: *Sufficit, jam contine manum tuam!* (II Reg. xxiv.) Hoc tamen absque nota mendacii cum David dicere possum: *Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi (ibid.).* Fortassis et illud: *Isti qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur, obsecro, furor tuus a populo tuo (ibid.).*

Sed quid facio? Qui consolari vos proposueram, desolari videor; qui minuere dolorem vestrum debueram, talibus verbis fortassis exaggero. Non est plane in his lamentationibus diutius immorandum, ne dolori vestro dolorem, ne lacrymis lacrymas superaddere arguar. Prohibet hoc orbi terrarum nota vox apostolica, quæ pro simili charorum morte contristatos admonet: *Non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent (I Thess. iv).* Et quamvis ut liber Sapientia præcipit: *Super mortuo producendæ sint lacrymæ (Eccli. xxxviii),* sunt tamen, ne congruum excedant, ratione media temperandæ. Inhibeo quidem ego vos a lacrymis, quas tamen dum hæc scriberem inhibere non potui. Temperemus tamen metas proprias excedentem dolorem, et hinc animo virili infortunia tanta ferantur: hinc in abscondito, coram Deo tam pro nobis quam pro ipsis D fratribus nostris, animas nostras precibus et lacrymis effundamus. Ploremus pro defunctorum requie, ploremus et pro nostra, qui quandoque et fortassis etiam in proximo eos subsequuturi sumus, salute. Non potest quisquam nostrum dicere: *Quid est anima mea, in tam magna creatura? Non curat Altissimus de nobis; nec quando vivimus, nec quando morimur attendit. Huic detestandæ opinioni, non per involucra, sed aperte obviat Apostolus, et dicit: Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus (Rom. xiv).* Et in alio loco: *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur (ibid.).* Et ipse Domi-

nus: *Deus non est mortuorum, sed vivorum. Omnes enim vivunt ei (Luc. xx).* Nihil sane, ut novit reverentia vestra, in rebus humanis casu sit; nullas mortes vel vitas hominum fortuna confundit. Librantur omnia justo pondere; et, licet abyssus iudiciorum Dei nobis occulta sit, non dubitamus tamen quin per omnia justa sit. Nullus passerum in terram sine Patre cœlesti cadit (Luc. xii), et aliquis servorum Dei, absque eodem Patre cœlesti vitam mortalem finit? Capilli capitis nostri omnes numerati sunt (Matth. x), et hi quorum sunt ipsi capilli, apud æternam sapientiam sine numero sunt? Gressus nostros ipsa dinumerat (Job xxi), et vitam mortemque nostram eadem non dispensat? Cum hæc, ut dicta sunt, apud vos constant, charissimi, non est afficiendus ultra modum dolore animus vester, sed ad Deum tota mens, tota intentio, tota devotio attollenda. Est quidem ipse mortificans et vivificans, deducens ad inferos et reducens. Sed absit ut suspicemini quod qui per seipsum homo factus, morte sua mortuos vivificare venit, vos ad ipsum, qui vera est vita, per poenitentia fructum conversos mortificare disponat. Non hoc ea de causa ut fides mea est, facit, sed ut et viventes, defunctorum fratrum mortibus terrenis, ad poenitentiam vehementius accendat, et mortuos, ut splendida horti sui lilia, colligat. Lilia plane candentia castitate, odorifera virtutum exemplis et suavitate. Non vult vos per hujusmodi mortes a se amputare, sed more studiosi agricolæ vineam colentis putare, quia ut in Canticis legitur, *tempus putationis advenit (Cant. ii).* Advenit tempus, quo servo dicenti: *Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est (Luc. xiv),* respondeat: *Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea (ibid.).* O quot nolentes, ut domus ejus impleretur, intrare compulsi sunt! Quis enim unquam mori voluit? Nec ipse Petrus, cui dictum est: *Cum senueris extends manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis (Joan. xxi).* Si nolebat mori, resistente quadam humana formidine, Petrus, quid mirum si eodem timore non vult mori Petri discipulus? Si nolebat mori Paulus qui dicebat: *Nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeat quod mortale est a vita (II Cor. v),* quid mirum si natura et consuetudine tracti formidatis excedere de præsentis vita? Contradicente tamen carnali affectu, et Petrus libenter pro Domino suo mortem crucis amplexus est; et Paulus qui dixerat: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Philipp. i),* gladio sibi caput desecari jocundissime passus est. Unde juxta quiddam volentes, compulsi sunt Petrus et Paulus mori, compelluntur ad idem ab eodem Patrefamilias nostri, ut impleatur domus Dei.

Suscipienda est ergo cum jocunditate benigna Patris vocatio, quia etsi dura videtur via mortis qua transitur, jocundissima est vita, et perpetua quo pervenitur. Et o tu, Jesu Christe creator omnium, et redemptor tuorum, qui dixisti: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (Joan. xi);* et rursus:

Non veni ut iudicem mundum, sed ut salvum faciam mundum (Joan. III), et iterum: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas, et sequuntur me; et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea* (Joan. X). Tu, inquam, o Jésu Christe, auctor vitae nostrae transitoriae et aeternae, has oves de grege tuo in te credentes, mortuas vel morituras, in aeternum vivere fac. Suscipe eas, benignissime Pastor, nec a lupis eas devorari permittas, neque tradas bestiis animas confitentes tibi. Adesto et tu, beatissima Virgo, Mater ejusdem Salvatoris et Redemptoris nostri, praë omnibus post ipsum in te specialius confidentes ab expectatione sua nullatenus confundi permittas. Sed et vos, summi apostoli Dei, orbis terrae praecipui principes, omnium quidem Christianorum universales, sed nostri speciales Patres, quibus pene continua semper obsequia impenderunt, quibus specialiter a Deo commissi sunt, nonne deficientibus succurretis? Nonne morientibus aderitis? Nonne ab incursu nequam hostium defendetis? Recordamini principatus vestri, nec de numero commissorum vobis, aliquem a principe tenebrarum rapi patiamini. Sentiant quia jam tempus est, quod semper de vobis speraverunt: et cum claves regni caelorum in manibus vestris sint, humili et devoto corde cum eis supplicamus, ut admissis aliis, istos nullo modo ab eodem regno excludi sinatis.

Accendite igitur, charissimi, quibus hanc epistolam scribo, igne divino, ut Aaron vel filii Levi, mentium vestrarum thuribula, et orationum sanctarum velut aromatum fumum in caelum emittite, et stantes inter mortuos et viventes, misericordem omnipotentis Domini majestatem, ipsi corde contrito et humiliato ei facti sacrificium, toto animorum nisu placate. Rediissem ipse ad vos, et quod scribo ore proprio dicere maluissem, et ut sanctus vir ait: *Consolarer vos sermonibus, et moverem caput meum super vos* (Job XVI), nisi coeptum iter versus dominum papam, ad quem certis de causis valde festino, impediret. Si Deo propitio sospes inde rediero, non praeteribo donec videam quas diligit anima mea. Interim quod praesens non possum, absens facio; et pro officio ex parte omnipotentis Dei, auctoris et conditoris omnium, et beatissimae Mariae semper Virginis, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, et summorum apostolorum Petri et Pauli, omniumque apostolorum, et sancti Benedicti Patris et magistri nostri, et omnium sanctorum, quantum possumus, quantum novimus, corde et ore absolvimus universitatem vestram, sanctumque collegium vestrum Cluniaci vel extra manentium, ab omnibus omnino peccatis, confisi in abundantia gratiae illius, qui in discipulis suis etiam nobis dixit: *Quae liga-*

veritis in terris, erunt ligata et in caelis; et quae solveritis in terra, erunt soluta et in caelis (Matth. XVIII). Valète, viscera mea, et, cum apud Deum memores fueritis vestri, rogo ut non obliviscamini, si placet, et nostri.

EPISTOLA XL.

Venerabili et charissimo fratri et amico nostro, domno THEOBALDO, Dei gratia Parisiorum episcopo (152), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et sincerum in Domino dilectionis affectum.

Placuit, charissime mihi, reverentiae vestrae, super multa et magna in mortibus fratrum nostrorum desolatione nostra, nos consolari, et ut ait Job, *com-
B* patiendo movere caput vestrum super nos (Job XVI). Rescripsissem tunc, quando allatae sunt mihi litterae, idem quod nunc, et amabili consolationi quas possem gratias egissem. Sed hoc quia tunc non licuit, non feci; et quia etiam nunc vix licet, vix facio. Prout licet tamen, sollicite de nobis dignationi vestrae gratias ago, quia non cura multiplex, non fastus honoris, non pontificalis apex, vos a Cluniacensi corpore alienavit: quem, juxta Apostolum, servan-
tem unitatem Spiritus in vinculo pacis (Ephes. IV), cerno gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (Rom. XII). Et juste. Commune enim damnum communem luctum exigit, ut charorum mortes, quas antiqui multis mensibus, nos saltem paucis defleamus diebus. Flebant illi mortuos suos, nec a fletu
C multo tempore elapso revocari poterant homines fideles erga vivos amicos, pii erga defunctos. Faciebant hoc aliquando pii erga pios, afficiebantur hoc amoris intuitu, etiam quandoque impii erga impios, et, licet diverso respectu, eodem tamen universi erga mortuos suos detinebantur affectu. Qui ergo pios et impios in exemplum deplorationis habemus, nonne inhumanum vel bestiale est, si tot, si tantos, si tam utiles, si tam necessarios mortuos nostros non deploremus? Faciendum est hoc quidem coram hominibus, sed temperanter; faciendum coram Deo, sed perseveranter. Convertendus est infructuosus dolor ad fructuosas lacrymas, ut quae jam charorum corpora nobis non possunt reddere, animas
D Deo, quantum poterunt, studeant commendare. Facimus hoc nos aliquando, faciunt hoc nostri saepius: facite idem et vos, si placet, cujus illi mortui veraces amici erant, quem sinceriter diligebant, quem toto affectu colebant. Facite hoc non solum ut monachus, sed quod multo majus est, ut episcopus, id est ut non solum eos propriis precibus adjuvetis, sed insuper subditorum vestrorum orationibus eos Omnipotentis misericordiae commendetis. De reliquo quid mihi dicendum restat, nisi quod Job amissa substantia, filiis et filiabus dixit? *Dominus dedit, Dominus*

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(152) *Theobaldo Parisiorum episcopo.* Fuerat hic Theobaldus prior S. Martini de Campis ordinis Clun. Ex priore factus episcopus Parisiensis anno 1140,

Ecclesiam rexit usque ad annum 1151; et post obitum tandem in monasterio suo sepeliri voluit.

abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum (Job 1).

EPISTOLA XLI.

Venerandis et charissimis fratri et filiis nostris, domno Odoni priori (155), et cæteris apud Sanctum Martinum de Campis omnipotenti Domino servientibus, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem, et ab auctore bonorum omnium totius gratiæ et benedictionis plenitudinem.

Quid dicam, quid loquar! Putabam in asperis casibus, et maxime in morte charissimi fratris et filii nostri Hugonis, me vos prævenire posse scribendo, posse prævenire conquerendo, posse prævenire lacrymando. Sed, ut video, et scriptis me prævenistis, et querelis præoccupastis; sed lacrymis tamen non anticipastis. Diflestis funus ejus post mortem ejus, sed ego adhuc viventis, quia moriturum non dubitabam, deflevi ante ipsius obitum mortem ejus. Vicistis me scribendo, sed non vicistis lamentando. Lacrymatus sum ego prior, quia prius deficientem vidi, sed prior scribere non potui, quia ab assiduis negotiis, hoc est importunis vitæ meæ tortoribus, permissus non fui. Scribo nunc tandem aliquando permissus, et communis fratris, filii, et amici defectum vobiscum pariter, licet absens, deploro. Habeo materiam deplorationis, quantum vix camelus scriptam sublimibus et fortibus humeris portare posset; habetis vos tantam, quantum et ipsi nostis, et ego ex parte forsitan non ignoro. Ut enim primo de propriis loquar, quis jam a viginti et eo amplius annis, de universis, qui sub celo sunt, hominibus tam fideliter, tam constanter, tam perseveranter, opera mea a me sibi imposita, et devote causa Dei et mei suscepta, tulit, toleravit, quantascunque habere potuit vires, ea tolerando, et mihi collaborando, consumpsit? Et (ut quæ sunt vestra subjungam), quis illo amplius vel adeo rempublicam vestram dilexit? quis ita coluit? quis tam me quam omnes nostros ad eam diligendam, protegendam, confovendam, ad defendendam animavit? Hæc omnia breviter dicta, quæ si diffusius dicerentur, alio tempore et otio indigenter admonent nos, hortantur nos ut tam dilecti, tam chari, tam unici fratris, filii, et amici, etiam post mortem non obliviscamur; sed, si veri amici fuimus, vel sumus, magis nunc mortuo quam si viveret ostendamus. Deploremus pia compassione funus ejus, prosequamur magis occultis lacrymis et precibus animam ejus, ut cui jam affectum nostrum ostendere non possumus, conridendo vel collatando ostendamus, orando, sacrificando, ac pie pro anima ejus coram Deo collacrymando. Fiat hoc apud vos specialiter pro ipso; fiat et pro priore nostro; fiat, si placet, et pro multis sanctis, religiosis et magnis coram Deo hominibus nuper apud nos defunctis, quorum memoria, sicut bene novi, in benedictione est, quorum recordatio coram Deo non delebitur,

A sed in memoria æterna erunt, et ab auditione mala per Dei gratiam non timebunt. Unde cessent jam lacrymæ inanes, et inconsiderato dolore extortæ coram hominibus, et succedant gemitus pro salute istorum effusi coram Deo, cum precibus. Valeat sanctum collegium vestrum, Deo acceptum, nobis jocundum, et, Deo propitio, de bono semper in melius provehendum.

EPISTOLA XLII.

Venerabili et charissimo meo, domno DE RUPIBUS frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, quæ est in Christo Jesu.

Licet serus rei sequentis scriptor videar, meque ipsum ipse tarditatis accusem, excusat me tamen ex plurima parte, multiplicium causarum, quæ quandoque, ut fluctus marini, acriter in nos irruunt, inundatio, quibus hoc Paschali tempore plus solito pressus, plus solito sum fatigatus. Nunc tandem aliquantum a curis respirans, dico quæ tacenda non sunt, scribo quæ charitati vestræ notificanda sunt. Quam opportunitatem si prius invenissem, nullum me in hac ad vos relatione priorem existere, nullum me præcedere permissem. Bonus juvenis, dignus amore, dignus memoria, frater noster, filius noster Joannes, quem mihi benigna dilectio vestra commiserat, quemque diu ut optaveram servare non licuit, nuper, hoc est Idus Maii, rebus humanis exemptus, vitam præsentem, ut confido in Domino, meliore mutavit. Novi quia doletis, novi quia hoc ægre fertis. Nec mirum. Optastis enim ei ea de causa vitam prolixiorē, ut eam sibi multisque gauderetis postmodum utiliore. Sed si doletis, si ægre fertis, consolamini, quia in his solus non estis. Non estis plane solus in his, quia ut quod verum est amico fatear, vix aliquem a multo jam tempore inter fratres nostros recolo conversatum, cujus conversatio, Joannis conversatione et moribus magis chara, cujus mors magis omnibus fuerit amara. Testatur hoc dolor omnium, testantur et lacrymæ pene universorum, quas eo languente fuderunt, et quas eo moriente multo magis profuderunt. Vix credere potuissem, nisi oculis conspexissem, quod tantum sui affectum nostrorum cordibus imprimere potuisset multorum successu annorum, quem impressit et meruit spatio paucorum dierum. Sperabant de illo ut de bona arbore fructus optimos opportuno tempore carpere, quorum optimam spem floribus benignæ conversationis, et dulcium morum præ cunctis fere claustris nostri juvenibus præterebat. Sed, proh dolor! aruit fenum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in illo (Isa. xl). Raptus est, ut æstimo, ne forte processu temporis, a bono quod cœperat, malitia mutaret intellectum illius; aut ne fictio, quæ quandoque etiam profunde religiosos depravat, deciperet animam illius (Sap. iv). Non est oblitus juvenis noster pro carnis incommodo salutis suæ, nec mo-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(155) Odoni priori. Sancti Martini nempe, post Theobaldum.

lestia corporis eum ab animæ suæ cura avertere potuit. Nam statim ut sensit gravari se ultra quam sperabat morbo concepto, totum cor, totam operam ad ea quæ post mortem sequuntur convertit. Et licet nondum desperaret de vita, adhuc integro sensu vigente, et ratione animi in nullo diminuta, antiquis et probatis in religione senibus nostris cuncta, ut post ipse mihi retulit, quæ de præterita vita sua occurrere potuerunt, meracissime confessus est. Nec his contentus, cum ei illa sufficere potuissent, mittit ad me nuntios, orat ut venirem, precatur ut eum pro officio absolverem. Eram et ego tunc temporis æger, nec ægros pro more nostro facile visitare valebam. Coëgit tandem meipsum, et, licet non adeo, æger tamen ad ægrum accessi. Urgebatur ille graviore solito morbi molestia, sensu tamen integer perdurabat. Quid multa? Velut ab initio cuncta demum replicat, nec ipsa quotidiana et puerilia intermittit. Flebat ita de levibus ac si de gravissimis peccatis, et, quantum poterat, sincerissima ac luctuosa confessione animam corpusque suum benigno Salvatori affectuosissime commendabat. Quodque nullomodo tacendum est, cum in confessione illa gloriosæ matris Domini occurrisset casu aliquo memoria, jam singultus singulibus, fletus fletibus jungebantur, et confessionis continuatio ad illius nomen, cujus se maxime auxilio salvari sperabat, lacrymosæ devotionis augmento interrompebatur. Item cum morbi importunitas eum confitentem aliquando vehementius aggravaret, *C* *Sancte Spiritus, inquit, auxiliare mihi, et si quid de confessione oblitus sum, mihi ad memoriam revoca.* Hoc non semel, nec bis tantum, imo sæpe dicens, docebat me quanta cura quis deberet confiteri majora, cum ipse tanto studio confiteretur etiam minora. Deinde a me absolutus, pœnitentia indicta, confessione fidei, et Dominica oratione me jubente præmissa, biduo supervixit. Quo toto biduo, omni corporis cura abjecta, ad divinam tantum clementiam invocandam totum animum, et quidquid virium habere poterat contulit, atque in hac mentis intentione, diem vitæ ultimum clausit. Moneo igitur vos ut charissimum fratrem nostrum, et ut intimum amicum amicus exhortor, ne communem defectum humanæ naturæ vobis tantum velut peregrinum ac solitarium ascribatis, et cum vos ipsum quandoque mori necesse sit, pro fratris bono, et verè Christiano transitu, vos sicut et cæteri, juxta Apostolum, qui spem non habent, plus nimio affligatis (*I Thess. iv*). Non decet religiosum ut ea illi displiceant quæ Deo placent, quia is, siue ejus nutu nullus passerum cadit in terram, non potuit falli, ut, absque ejus jussione vel permissu, frater Joannes mortuus caderet in terram, et per sepulturæ officium occultaretur in terra. Ad hoc autem

A totum studium vestrum et amorem erga defunctum convertite, ut sicut nos nostrique fere, quantum possumus, translatum ad æterna cum auxiliis spiritualibus quibus possumus juvamus, ita et vos, imo plusquam nos, quia plus potestis, quantum poteritis adjuvetis. Optaveram eum mihi à vobis bonum commendatum, meliorem remittere; sed, ut credo, melius et mihi, et vobis, ipsique contigit, quia quem vobis restituere non potui, Deo, a quo eum maxime susceperam, reassignavi.

EPISTOLA XLIII.

Honorabili et magno sacerdoti Dei, nobisque valde charissimo, domino GAUFREDO sanctæ Carnotensis Ecclesiæ famoso episcopo (154), frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem, et totius in Domino amoris affectum.

B Ut antequam gratias agam, querelas præmittam, amicabiliter conqueror, quod tantus, tam charus, tam antiquus amicus, ut non visum, ut ignotum, ut non probatum amicum me deseruistis, sprevistis, abjecistis. Hoc non paucis diebus, sed multis jam annis fecisse videmini. Nam a concilio Pisano, tempore papæ Innocentii celebrato, cui et vos interfuistis, et ego non defui, nec vestros apices legi, nec nuntios vidi, nec aliquid eorum quæ a partibus amici amicus sperare solet, accepi. Vidi quidem litteras, audivi et quosdam nuntios, sed qui negotia communia afferrent, non qui aliquid de vero amici affectu referrent. Idcirco nihil me ex parte vestra vidisse dico, nihil me audisse profiteor. Nonne ergo merito queror? nonne juste irascor? Dilexit vos, et adhuc diligit anima mea. Et quare? Quia semper in vobis Deum reveritus sum, quia eum semper in vobis colui, quia pro inhabitante habitaculum adamavi. Cum enim omnibus pene Latinis episcopis, aliqua necessitudine, aliqua de causa plus minusve astrictus tener, vobis tamen, licet forte hoc ignoretis, singularem jam ab antiquo inter plura cordis mei receptacula mansionem paravi, et adhuc conservo. Hoc ideo, ut dixi, quia Deum in vobis veneror, quia verum atque sincerum vos semper divinarum rerum cultorem expertus sum. Quando enim labores vestros, quando cursus, quando recursus pro Ecclesia Dei, sponsa Christi, eaumerare potero? *D* Quando religionis amorem, et ejus exquisitum ubique augmentum enarrare valebo? Quando et ipsas sacrorum locorum frequentes visitationes describere prævalebo? Sed hæc, mi charissime, suppressenda sunt, nec in istis maxime plus justo stylum effluere decet. Credo enim, et etiam novi non præstolari vos de piis operibus vestris mortalium favorem, sed æternam mercedem. Hæc tamen ea de causa breviter tetigi, ut sciretis, et recordaremini quia et vos diligo, et qua de causa, et dilexi, et diligo. Jam ad gratias religiosæ reverentiæ vestræ

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(154) *Gaufredo, Carnotensis Ecclesiæ episcopo.* Secundo nomine, cui scribit et sanctus Bernardus epist. 55, 56, et 57 fuisseque sedis apostolicæ lega-

tum in Aquitaniam docent Gillelmus abbas libro II Vitæ ejusdem sancti Bernardi, cap. 6, et alii.

agendas non sufficio, quia eas merita nostra superasse cognosco. Quid enim dignum referre possim his, quae per priorem de Nogento cognovi? Qui mihi scripsit, quantum amoris affectum erga Cluniacensem Ecclesiam seque specialiter ac suos agnoverit, quantumque hoc non affectu tantum, sed et effectu probaverit? Dixit enim ecclesiam Castriduni (155), quam Cluniacus olim possedisse dicebatur, a canonicis ejusdem Ecclesiae, ab advocato Ecclesiae vicecomite, ab omnibus tandem qui aliquid juris in ea se habere dicebant, tam precibus quam vi justitiae extorsisse, et vestrae Cluniacensi Ecclesiae, cujus juris fuerat, reddidisse. Super his quidem gratias ago, sed longe majores, quia in hoc opere quanto affectu vestram, quod iterum dico, Cluniacensem Ecclesiam diligatis, agnosco. Agnovissetis olim, et agnosceretis adhuc, si experiri placeret, si, ut dixi, vos diligo, si dilectionem hanc vere in corde conservo. Et quid his plura dicerem? Verbosus forsitan videri deberem, si non tam diuturno tempore tacuissem. Sed ad tam longi temporis silentium, quod potest videri verbum prolixum? Ergo bone, longaeve, et probate senex, et pontifex Dei, memento (quod tamen semper tibi cordi inesse credo) quod nec tua, nec mea diuturna esse potest ulterius in hac vita misera mora. Es quidem tu senior, sed

A nec ego jam juvenis. Quid ergo nobis restat, nisi ut ad summum pontificem et episcopum animarum nostrarum Jesum totus sermo noster recurrat, totus animus suspiret, totus homo noster interior et exterior anhelet? Jam pene, juxta verba ipsius, fur nocturnus perfodere domum nostri corporis prope- rat. Jam Dominus domus venire festinat, jam clamor media nocte factus jacentes in lectis excitat, et dicit: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei* (Matth. xxv). Quid ergo ultra jam proderit episcopari? quid, ut sic loquar, abbatari? Quid sub praetextu rerum coelestium terrena diligere? Quid sub umbra aeternorum peritura, imo pereuntia amare? Sed insipiens factus sum. Videor, ut dicitur, Minervam docere, videor ligna ad silvam convehere, videor flumen maximum lagena aquae infundere. Sed vere non hoc docens dico, sed hac, licet parva, occasione suscepta, miseriam meam defleo; et quia quo post mortem (quae forte non longe abest) rapiendus sim ignoro, tremesco. Valete in Jesu salutari nostro, domine episcopo et amice charissime; et quia per gratiam Dei vos vobis credo sufficere, mei, qui in nullo mihi sufficio, apud Dominum mementote. Si quid boni spiritualis vel corporalis in Ecclesia nostra est, vestrum est.

LIBER QUINTUS.

EPISTOLA PRIMA.

Dilecto ac venerabili fratri PETRO abbati Sancti Augustini Lemovicensis (156) suburbii, frater PETRUS, Cluniacensium humilis abbas, salutem et sinceri amoris plenitudinem.

Vidi litteras vestras, et in eis magnum erga nos

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(155) *Ecclesiam Castriduni.* Hoc est ecclesiam Sancti Sepulcri, quam Gaufridus Castriduni vicecomes primus ejus fundator, monachis basilicae Sancti Dionysii Nogenti, cujus et ipsum prima fundamenta jecisse diximus alibi, cum omnibus appendiciis suis deservire per testamentum praecipit. Unde et Gaufridus Carnotensis episcopus illam canonicis, advocato ipsius Ecclesiae, vicecomiti, et omnibus aliis qui aliquid juris in ea se habere dicebant, tam precibus quam vi justitiae extorsit, et Cluniacensi ecclesiae, cujus juris erat reddidit, ut hic Petrus noster ostendit. Sed nec propterea controversia omnis inter monachos et vicecomitem quievit. Tempore enim Stephani I Clun. abbatis, rursus inter Yvonem Nogenti priorem, et Hugonem Castriduni vicecomitem recruduit, quamquam et ipsa statim per Guillelmum Carnotensem episcopum, a praefato Gaufrido quartum, terminata fuit, ut ex his notitiae pacificationis verbis apparet: « Guillelmus Dei gratia Ecclesiae Carnotensis electus, etc. Ne processu temporis, aut pravorum astutia controversia inter Ecclesiam Sancti Sepulcri, et vicecomitem Castriduni ad unitatis pacem, et tranquillitatis concordiam diligentiae nostrae studio reformata, futuris temporibus perturbari valeat, praesentis paginae decreto mandare curavimus. Notum sit igitur omnibus quod controversia, quae versabatur inter Yvonem priorem de

C affectum animi vestri conspexi. Adverti (quod facile fuit) falsum in parte esse vulgare proverbium, quo dicitur, honoribus mores mutari. Neque enim honor assumptus ab amore nostro, semel olim concepto, vos in aliquo permutavit, nec in aliud, et aliud, quam quod ante fuerat, derivavit. Non estis

Nogento, et Hugonem vicecomitem Castriduni super assuetudinibus burgi Sancti Sepulcri, qui in burgo eorum quasdam sibi consuetudines vindicabat, ad preces Stephani, venerabilis abbatis Cluniacensis, et praefati vicecomitis postulationem, qui se ratum habituros quod inde statueremus concesserunt, in praesentia nostra sic terminata est, » etc.

D (156) *Petro abbati S. Augustini Lemovicensis.* Ille Petrus postea fuit abbas Sancti Martialis, Petrique prioris Cluniacensis successor, anno 1154, ut ex Chronologia abbatum S. Martialis discitur. Monasterium vero Sancti Augustini Roricus I episcopus Lemovicensis fundavit, uti Gestis pontificum Lemovicensium testantur his verbis: « Ille Roricus dicitur primo fundasse monasterium Beati Augustini Lemovicis in honore ejusdem sancti, atque canonicos regulares ibidem instituisse. » Sed cum Pipinus rex urbem Lemovicam et ecclesias omnes ibidem existentes funditus evertisset, tandem Turpio, sive Turpinus, Lemovicensis et ipse episcopus, praedictum monasterium reaedificavit, ac in eo monachos pro canonicis esse constituit, quos et amplissimis possessionibus ac redditibus dotavit, ut vel ex hoc ejus super ea dotatione testamento, quod viri cum pietate tum doctrina clari Joannis Cordesii benignitati libens acceptum referri cupio, palam est. « In nomine sanctae Trinitatis et individuae Unitatis, in

secutus quosdam nostri temporis homines, qui de A congregatione nostra, aut in abbatias assumpti, aut episcopatibus decorati, ut corpore, sic et mente a nobis diffugiunt, ab amore suorum statum resiliunt, et velut abjecto gravi quantum ad ipsos monastici ordinis jugo, exsultant. Ostendunt quo animo, dum humiles viderentur, Deo servierint, qui data occasione ecclesiastici regiminis, totos se quantum audent Deo subtrahunt, mundo dedicant, et non sicut servi Dei, sed quasi velamen habentes malitiæ libertatem, effrenes et præcipites, velut jam adepti quod diu optaverant, ubique discurrunt. Suos postponunt, alienos sectantur, nec jam vel quo primum venerint, vel ubi manserint, vel unde exierint, recordantur. Non sic tu, ut audio, charissime, non sic plane tu facis, qui nostra tuis negotia B semper anteponis, qui pro causis Cluniacensibus terminandum huc illucque discurrens, et ad nutum nostrum vel nostrorum, reipublicæ nostræ impugnantibus te ubique audacter opponis. Unde gratias tibi multas agentes, pro certo noveris quod plenam vicem dilectionis tibi rependimus, et locum tibi in recessibus animi nostri optimum conservamus. Valeas semper in Domino et sic impositum

tibi per Dei gratiam officium exerce, ut sis, et vita carbo ardens, et exemplo lucerna relucens.

EPISTOLA II.

Reverendo et charissimo amico domno STEPHANO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et sincerum in Domino amoris affectum.

Quod a tempore discessionis vestræ ab urbe, et a sede Viennensi, nihil dilectioni vestræ mandavi, nihil scripsi, neque in illo vel post illud infortunium vestrum vos consolatus sum, noveritis quod non fecit hoc mutæ, quam ad vos semper habui, dilectionis oblivio, sed vestra ad partes, quas non satis noveram, remotio. Fama enim frequens, et varia de statu vestro a diversis ad nos relata, nunc vos apud Sanctum Rufum, nunc apud quasdam ecclesias ei subjectas, nunc in quibusdam locis mihi ignotis vos commorari dicebat. Ad hæc, quotidiana imo continua Cluniacensium negotiorum importunitas, quæ me quandoque etiam mei ipsius oblivisci cogunt, vestri mihi intercludebat memoriam, et ne amicum in sua tribulatione consolarem, non quidem auferebat, sed differebat. Tandem licet forte sero ad cor rediens, amico scribo, et ut his de causis super tarditate meâ me excusatum habeat,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

quo omnia facere jubemur. Mundo jam senescente, C religio defectum incurrit, et ita irreligiositas seu injustitia abundant, ut ipsi nos, qui præ cæteris Domino adhærere debueramus, in cujus sorte esse nescimus, simus aliis, juxta prophetam, laqueus ruinæ (Ose. ix), et qui debueramus esse pastores, simas lupi vespertini, completurve in nobis quotidie vaticinium Malachiæ dicentis: Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos (Malach. ii). Et post pauca: Idcirco ego dedi vos contemptibiles esse (ibid.). Et Job ex voce dolentis Ecclesiæ: Ad nihilum redacti sunt omnes artus mei (Job xvi). Jeremias quoque plangit, dicens: Quomodo obscuratum est aurum? Mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum (Thren. iv). Quisquis vero modo non dolet, lumen cordis amisisse convincitur. Dominus enim immutabilis est, juxta quod ipse per præfatum prophetam loquitur, dicens: Ego Dominus, et non mutor (Malach. iii). Lumen vero cordis amisisse probatur quisquis ille D sit qui audit quod immutabilis Deus angelis peccanti, primoque homini, et qui adhuc novellus et rudis erat, non pepercit, et sibi credit parci, si in peccatis perseverare voluerit, et surgere per poenitentiam noluerit. Quamobrem ego Turpio Lemovicum omnium episcoporum extimus, de sede, quam mihi Dominus regendam tuendamque immerito committere dignatus est, religionem auferri conspiciens, valde pertimui. In memet autem reversus diutius precibus a Domino auxilium petens implorabam, ut, ipso juvante, sancta religio, quæ usque ad nos illibata pervenerat, nostris temporibus non deperiret, sed successoribus inviolata succederet. Incidit deinde mihi Deo opitulante consilium bonum, ut credo et confiteor, quatenus claustrom construere, et ibi fratres boni testimonii aggregarem, qui in commune sine aliqua proprietate degentes, absque ullo strepitu sæculari divinæ servituti incumbere. Hoc vero quod nos, utpote turbis sæcularibus admisti explere nequimus, saltem hi qui intra claustrom morarentur, strenue et absque impedimento carnali peragerent, scriptum est enim, et hoc Apostolus loquitur: Si primitiæ sanctæ, et massa (Rom.

xi), quod et feci, consentientibus tam nostris consanguineis seu optimatibus Lemovicensi pago degentibus, domno scilicet Aimerico abbate, Aymono abbate, Petro præposito, Bosone archiclavo, Arnulfo archidiacono, Aymone portario; de laicis autem Hildegario vicecomite, Rainaldo vicecomite, Arcambaldo, Ademaro. Volo autem atque inhiante cupio ut absque inopia, et sine aliqua perturbatione Deo servire studeant. Quod ut decentius fieri possit, do illis villam quæ vocatur Baccalaria, quæ decem in se mansos continere probatur, et unum mansum in Curte Wlteziaco in villa quæ dicitur Parciacus. Juxta ipsum autem mansum cedo illis aliam vineam sex in se arpentes continentem, quæ quondam fuit Frotario. De mea vero vinea indominicata cedo illis decimum, de illa scilicet vinea, quæ est sita in prospectu Wlteziacensis ecclesiæ, omnia prædicta, superiusque memorata mobilia et immobilia de meo jure in illorum potestate transfundo. Oratorium præterea in quo Deo militant, ipsis committo, ut ipsi prævideant qualiter horæ operis Dei significantur, nemoque eos contristet in domo Dei. Ministerium etiam cantorum, necne lectorum, librorumve, sive omnium quæ ad sacrum mysterium pertinent, vel ibidem Deo offeruntur, ipsis committimus, claustrom, et omnia interiora ejus ipsi prævideant et dominantur. In hoc autem quod ego illis do, vel committo, sive etiam deinceps daturus vel commissurus sum, nullus habeat potestatem nec licentiam dominandi, nisi eis quem sibi, propter Deum et secundum vitæ meritum, pars humilior præesse poposcerint, post tamen proprium episcopum. Obsecro vos, o successores mei, in Deo et propter Deum, ut hoc testamentum parvitatæ meæ, quod pro remedio animæ meæ, antecessorumque, vel successorum conscribi jussi, nullus vestrum violari præsumat. Sin autem aliter (quod absit) aliquis egerit, ante conspectum divinæ majestatis non cum bonis pastoribus appareat, sed cum lupo rapace, id est diabolo, in inferno sine fine ardeat, sic fiat in eo. Scriptum quippe est: Non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Prov. xxii).

rogo. Non enim de illorum amicorum numero esse volo, qui tandiu diligunt quandiu accipiunt, qui tandiu amant quandiu sperant. Nolo de illorum numero esse qui dicuntur socii mensæ, quia secundum ejus qui hoc dixit sapientis verba: *Omni tempore diligit qui amicus est (Prov. xvii)*; et juxta eundem: *Non agnoscitur in bonis amicus, nec absconditur in malis inimicus (Eccl. xii)*, hortor, ergo, volo et moneo ut, quandoquidem hoc de vobis contigit unde dolemus, ad nos et ad vestram Cluniacensem Ecclesiam veniatis, et utrum quod dico verum sit, non per nuntium, sed per vos ipsum experiamini. Tali autem modo vos venire rogo, ut mora vestra nobiscum non sit horaria, sed perpetua. Decet enim hoc personam vestram, ut nullatenus deinceps locis loca mutetis, neque ad quaslibet alias Ecclesias, sed ad illam quæ et magna, et vestra est, vobisque servire, ac per omnia pro posse suo providere, magno affectu parata est, veniatis, et totum vos ei, quæ se totam vobis offert, conferatis. Hoc autem, si sic placuerit, et facultas fuerit, usque ad Dominicam Quinquagesimæ adimplete. Nam exinde oportebit me versus concilium iter aggredi.

EPISTOLA III.

Nobili viro et amico nostro, domino STEPHANO DE CASTELLO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et dilectionem.

Cum celeri volatu fugiant omnia, et mundus magnis passibus incessanter ad interitum tendat, non satis de vobis mirari sufficio, quod tam sapiens homo, et tam hactenus providus in perituris, quasi nullam curam de æternis habere videmini. Cumque, ut salva gratia vestra dicam, ætas ipsa longam vivendi spem vobis amodo interdicit, vos e converso quasi nunquam moriturus, radicem cordis in hac misera et fallaci vita a quibusdam fixisse æstimamini. Unde hortor vos ut charissimum amicum, et quod præsens si possem facerem, absens, quantum possum, admoneo ne salutem animæ vestræ ulterius in dubio pendere sinatis, sed antequam nunquam reversura recedat, eam totis animi conatibus jam absque mora aliqua rapiatis. Invitent vos ad istud non solum antiqua antiquorum, sed quæ magis invitare solent præsentia modernorum exempla, qui velut ab ipsis Satanæ faucibus pene jam absorpti fugientes, vel Hierosolymitano itinere, vel varia, et subita ad Deum conversione, regno cælorum vim inferre, et quasi violenter rapiunt illud. Rapite illud et vos, nec ultra ut hactenus fecistis,

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(157) *Pro monasterio S. Baudilii.* Baudilius subdiaconus et martyr apud Nemausum sub Gothis passus est, corpusque ejus a fidelibus in ipsa urbe tumulatum, et ecclesia desuper ædificata, quæ nomen ejus etiam postea retinuit. Unde et Gregorius Turon. lib. i Miraculorum, cap. 78: « Est, inquit, apud Nemausensis urbis oppidum Baudilii beati martyris gloriosum sepulcrum, de quo sæpius virtutes multæ manifestantur. »

(158) *Inter Nemausensem episcopum.* Nemausus, Arecomitorum Galliæ civitas, Melæ, et aliis veteribus, vulgo *Nimes* in Viennensi secunda, quæ et

A de die in diem differatis, quia juxta Scripturam divinam, *nescitis quid superventura pariat dies (Prov. xxvii)*. Relinquitte terrena, antequam vos ipsa relinquant, et si primas partes hostiæ, hoc est vitæ vestræ, Deo nolulistis offerre, saltem caudam, id est finem dierum vestrorum, ipsi devote offerre. Si hoc cito a vobis factum fuerit, aderit paterfamilias, qui diu otioso operario suo, hoc est vobis ad undecimam venienti, parem nummum vitæ æternæ, etsi non ejusdem retributionis, ut primis operariis, sero conferat. Nostis quid sancto Hugoni, quid nobis promiseritis, quam spem de salute et conversione vestra, tam per vos quam per nuntios vestros mihi sæpius dederitis. Nec illud ignoratis quid Patres vestri fecerint, et quo se post habitum sæcularem converterint. Parati fuimus semper congrue ad servitium vestrum; parati sumus multo magis et ad istud, quod vobis utilius esse videmus: et quod si distuleritis, periculosum senectuti vestræ fore timeamus. Unctio Spiritus sancti doceat cor vestrum. Fecimus quod nostrum est, et morem amico gessimus. Sed videte, ne frustra.

EPISTOLA IV.

Summo pontifici, et speciali Patri nostro, domino papæ EUGENIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, cum sincero amore debitam obedientiam.

Quando paternitati vestræ scribo, quia aures vestras toti mundo expositas novi; juxta quod materies assumpta permittit, prolixitatem vitare soleo. Quod si modo hoc non potuero, precor ne paterna pietas id ægre ferat. Scripsit sublimitas vestra archiepiscopo Arelatensi, et episcopo Vivariensi ut litem, quæ pro monasterio Sancti Baudilii (157), inter Nemausensem episcopum (158), et Casæ-Dei abbatem (159) surrexerat, loco congruo, et die utraque parte advocata, diligenter audirent; et præter diffinitivam sententiam, quam vobis reservari mandastis, cuncta sollicite examinarent, et examinata ad vos nuntio vel litteris referrent. Sed quia, Pater, nequaquam omnia, maxime illa quæ remotiora sunt, nisi ab his, quibus ea nota sunt, certificemini, scire potestis, notum facio quod a multis religiosis sapientibus et fide dignis clericis et monachis, pro certo comperi, adeo alteri parti hos suspectos esse examinatores, ut pene idem sit hoc imponi Arelatensi, quod esset, si imponeretur, episcopo Nemausensi. Et ut me vel ipsos verum dicere sapientiæ vestra cognoscat, noverit Arelatensem natum in

Narbonensi prima nonnullis.

(159) *Et Casæ-Dei abbatem.* Casa-Dei, celeberrimum in Arvernia coenobium, quod sanctus Robertus Arvernensis et ipse indigena construxit versus annum 1050, ejusque primus abbas exstitit, ut ejus Vitæ scriptor pluribus exponit; et Gaufridus etiam monachus in Vita sancti Bernardi Pontivensis testatur, ubi de Renaudo, sancti Cypriani Pictaviensis abbate loquens: « Hic, inquit, sancti Roberti fundatoris illius monasterii, quod Casa-Dei dicitur, discipulus fuerat. »

diœcesi Nemausensi, oblatum a patre dum puer esset, Ecclesiæ Nemausensi, nutritum a puero usque ad juvenilem ætatem in Ecclesia Nemausensi, canonicum fuisse Ecclesiæ Nemausensis. Et postquam episcopus Agathensis (160) factus est, et postquam in Arelatensem archiepiscopum promotus est, semper defendisse negotia Ecclesiæ Nemausensis, semper contra adversarios pugnasse Ecclesiæ Nemausensis. De Vivariensi vero quid dicam? Licet quantum ad propositum religionis spectat, Cluniacensis monachus sit, et causa Dei ac nostri, in Casæ-Dei justitiâ claudicare non debuerit, videtur tamen mihi, videtur et omnibus qui rem sciunt, et hoc attendunt, quod quantum ad hanc causam pertinet, magis in eo præponderat affectus carnalis, quam ille qui eum magis nobis ac nostris conciliare debuerat, spiritualis. Fuit enim diu Nemausensibus, et ante, et nunc loco proximus, et nunc, et adhuc familiaritate, affinitate, et ipsi Nemausensi episcopo etiam consanguinitate conjunctus. His additur quod hanc de se opinionem, hoc est quod vel iudices, vel examinatores hujus causæ suspecti sint, ipsi propria confessione non oris, sed quod majus est, operis nuper testati sunt. Nam cum discretio justitiæ vestræ caute præceperit, ut congruo loco, et tempore, utramque partem ante præsentiam suam evocarent, ipsi non ex parte, sed ex toto fines apostolici mandati transgressi sunt, eum non solum de vestro, quod summum est, sed etiam de quolibet rationabili mandato, lex vestra Romana, et authentica dicat, quod mandatarius non debet excedere fines mandati. Ex toto plane mandatum apostolicum transgressi sunt, quia non congruum tempus, et incongruum locum, vel congruum locum, et incongruum tempus, sed utrumque pariter, hoc est, et locum, et tempus: non dico tantum incongruum, sed, si dici posset, incongruissimum, abbati et monachis præfixerunt. Locum, quia in urbe, in Ecclesia, in ipsa dōmo adversarii, sub potestate, sub armis, sub minis, sub terroribus amicorum, affinium, consanguineorum ipsius, causam tractari decreverunt; tempus, quia occupatione totius anni tempore, quando metendis, colligendis, vel congregandis novis frugibus, omnis paterfamilias, maxime hi qui pauperiores sunt, occupantur. De quorum numero, licet magni nominis sit, ex plurima parte abbas Casæ-Dei excipi non potest. Hoc, inquam, tale tempus ad examinandum tantæ rei negotium, examinatores seu iudices justissimi elegerunt. Mandato tamen vestro, sicut in omnibus semper facere paratus est, abbas obediens, tam incongruo tempore ad tam incongruum locum, non ut voluit, sed ut potuit, venit. Nam nullum

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(160) *Episcopus Agathensis.* Agathæ meminit Gregorius Turon. in *Histor. Franc.* et lib. 1 *Miracul.*, cap. 79; estque civitas Viennensis secundæ, sicut et Nemausus, concilio Alarici, Visigothorum regis, tempore ibi habito gloriosa. Gallie *Agde.*

(161) *Canonici Engolismensis Ecclesiæ.* Engo-

A legis peritum, nullum advocatum, nisi pene prorsus inutilem, de partibus illis provinciæ, timore supradictorum hostium vel prece, vel pretio habere prævalens; cum paucis in Burgundia emendicatis patronis, diei constitutæ interfuit; et, licet sub hostibus agens, mandato tamen vestro in omnibus paruit. Questus est coram jam dictis de loco, questus est de tempore; rationem cur quereretur proposuit, sed nihil conquerendo profecit. Data est ei ad agendum altera, nec minus iniqua dies, præfixus est ei, et idem, de quo toties questus fuerat, locus. Unde quia se videt, non jam latenter, sed aperte gravari, ad justitiæ sedem recurrit, ad patrem ab hostibus fugit, apud vos qui Petri, imo qui illius vices in terris geritis, qui facit judicium injuriam patientibus, querelam tantam deponit. Orat ipse, precatur et universa Casæ-Dei, sicut ipse nostis, non contemnenda congregatio; precor, et ego de sæpe experta majestatis vestræ confidens gratia, ut examinatores hos, vel iudices tam aperte, tam sine nube suspectos, ab hac causa removeatis, et vobis, si placet, eam examinandam ac terminandam assumatis. Licet enim sit iter a partibus nostris ad vos usque longinquius, licet sit laboriosius, licet morbis Italicis peremptorium, nihil tamen fratres illos gravare poterit, si unde certi sunt, rem de qua agitur, aut jure retinuerint, aut jure amiserint. Sperant tamen, et valde præsumunt, monasterium, quod tam diutina, tamque quieta possessione ut dicunt, possederunt, quod de paupere, quod de vili, quod de irreligiosa Ecclesiola, comparatione præcedentis egestatis, in divitem, in nobilem, in religiosam Ecclesiam, imo (quod majus est), monasterium, multis laboribus, multis expensis, provexerunt: sperant, inquam, et confidunt, quod justitiæ vestræ judicio repulsis adversariorum calumniis, sempiternæ eis possidendum concedatur.

EPISTOLA V.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri, domino papæ EUGENIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, cum debita obedientia filialem affectum.

D Quidam prohi viri, canonici Engolismensis Ecclesiæ (161), nuper adierunt me, rogantes, ut apud majestatem vestram pro ipsis intercederem, et negotium, quod coram vobis exposituri sunt, vestræ clementiæ commendarem. Quod ego, timens maximis occupationibus vestris tædio esse aliquandiu recusavi, sed tandem eis instantibus assensi. Dicunt, sicut ab ipsis, ut æstimo, auditura est dignatio vestra, defuncto episcopo suo (162) se elegerunt, nullo de clero Ecclesiæ prorsus excepto ab

lisma, quam et Ausonius *Ingulismam*, et Gregorius Turon. *Eccolismam* appellant, Aquitaniæ secundæ civitas in monte sita, cujus radices Carantonus fluvius subluit.

(162) *Defuncto episcopo suo.* Lamberto, qui fati cessit anno 1148, et in ecclesia Coronensis monasterii a se fundati sepeliri voluit.

unanimes electione, assensu ut canones præcipiunt honoratorum, et totius populi, idoneam omnino ad officium episcopale personam, præcentorem ipsius Ecclesiæ (163). Electionem, juxta quod ab eis accepi, tam communem, tam concordem, Burdegalensi metropolitano (164) dicunt se canonice obtulisse, ab eo canonice confirmatam esse; diem consecrandi ab ipso datam, se ad diem constitutam cum electo suo, et metropolitano promiserat, consecrando venisse, sed consecratorem non invenisse. Quibus de causis præsentiam suam subtraxerit, cur promissa non impleverit, nec ab eo acceperunt, et mihi se adhuc ignorare dixerunt. Provideat ergo, si placet, quod et absque meis litteris faceret, apostolica vestra sublimitas laboranti hac occasione Ecclesiæ, ut sicut vices illius geritis, qui apostolus gentium a Deo factus est, et cui sollicitudo omnium Ecclesiarum imposita est, ita huic Ecclesiæ sollicitudo vestra non desit, ut si electio bene acta est, a vobis confirmetur, et Ecclesia illa, quæ de membris unicæ columbæ, hoc est, universalis Ecclesiæ est, de qua dicitur: *Una est columba mea, una est perfecta mea* (Cant. vi), data sibi a Deo, et a vobis pace lætetur. Hæc sub conditione protuli, quia nec de electo, nec de electione testis esse potui. Unum tamen absque omni pene conditione profero, non videri mihi Burdegalensis metropolitani in hac Engolismensi electione gressus rectos, oculum simplicem, sed magis in ea quærere quæ sunt mercenarii quam pastoris, quæ sua sunt quam quæ Jesu Christi. Et, ut filiali præsumptione loquar, et quæ ab universis pene partium illarum et nostrarum dicuntur, vobis ut Patri nota faciam, vult, aiunt, Burdegalensis ita sibi subdere Engolismam, sicut subdidit Xantonas (165), ut in Ecclesiis illis, non tam habeat episcopos quam ministros, non tam præsules quam sibi in omnibus obsequentes. Hoc est aiunt, ejus propositum, hæc intentio, hæc in istis religio, ut expensis propriis parcat, et suffraganeis episcopis, ut capellanis utens, non suum, sed eorum penus exhauriat. Hæc, Pater, vobis breviter innotimavi, ne possent vos in hac parte fallere animi sub vulpe latentes, quia, et virum Dei, qui venerat de Juda, falsus propheta fefellit (III Reg. xiii), et ipsi magno prophetæ, et regi David Siba servus Miphiboseth filii Jonathæ mentiendo subrepsit (II Reg. xvi). Et licet ego non satis, ut nostis, diligam hominem illum, absit, tamen, absit, inquàm, ut in conspectu Dei, et vestro, contra veritatem conscientiæ meæ, culpam vel prædicem hominem ullum!

EPISTOLA VI.

Venerabili, et dilecto nostro, domino HUMBERTO

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(163) *Se elegisse præcentorem ipsius Ecclesiæ.* Hugonem hujus nominis secundum, qui rexit Ecclesiam Engolismensem ab anno 1149 usque ad annum 1158.

(164) *Burdegalensi metropolitano.* Bertrando

Æduensi archidiacono, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem ab eo qui mandat salutes Jacob.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi (Psal. cxxi), quia inspiratus ab eo qui spirat ubi vult, jam cum quibusdam aliis cantare incipis: *In domum Domini ibimus. Repletum est gaudio os meum, et lingua mea exultatione* (ibid.); quoniam cum mundanis commodis undique circumfluxus florere videaris, jam quasi aridum mundum cum flore contemnere incipis. Ago inde gratias Deo, age et tu, sine quo nec istud, nec aliquid boni agere prævalles, quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum est, descendens a Patre luminum* (Jac. i), etc., ut Joannes Baptista ait: *Non potest homo habere quidquam, nisi sit ei datum de cælo* (Joan. iii), utque Dominus ipse: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (Joan. vi). Felix ergo tu, si tamen perstiteris, quem Pater trahit, quem Filius suscipit, cui hanc, de qua gaudeo, voluntatem Spiritus Dei inspirat. Festina igitur, charissime, veni ad invitantem te, Salvatorem tuum; audi salvatricem vocem ejus qua tibi cunctisque loquitur: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis* (Matth. i). Audi et illam quæ sequitur: *Tollite jugum meum super vos* (ibid.). Recordare et matris sapientiæ, materna voce filium admonentis: *Fili, ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (Eccli. v). Time et quod subditur: *Nescis quid superventura pariat dies* (Prov. 27). Furare diabolo thesaurum sancti desiderii tui, ne forte (quod absit) tibi contingat quod ait Veritas de quibusdam: *Deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant* (Luc. viii). Nihil enim tantum Deo placet, nihil tantum diabolo displicet quam bona voluntas: imo, ut verius loquar, nihil Deo placet, nihil diabolo displicet, nisi bona voluntas. Ex qua inter alia, quæ ab ea derivantur bona, procedit contemptus temporalium, amor æternorum. Ea de causa non est tuta dilatio tibi, ne forte, si nimium procrastinaveris, invidus Satanas sancto ad Deum itineri tuo impedimentum alicujus obicem ponat, et gressus tuos, ne implere possis bonum quod inchoasti, retardet. Fecit hoc de multis, quos nominare, si litterarum brevitatis pateretur, possem. Addat tibi stimulos veniendi venerabilis ille, et cum honore nominandus, dominus Stephanus, Æduensis episcopus, avunculus, ut audio, tuus, qui spretis parentibus, nobilitate, fastu, divitiis, ipsis etiam episcopalibus infulis abjectis, pauperem Christum pauper secutus est, et in sancta devotione toto mentis affectu perdurans, atque inter manus meas extremum Deo spiritum reddens,

forte, cui successit Gaufridus anno 1150.

(165) *Sicut subdidit Xantonas.* Apud Cæsarem Santones dicuntur, vulgo *Saintes*, Aquitaniæ et ipsa secunda civitas, ad Carantonum sita.

cum veneratione tanto sacerdoti congrua, tam a me quam a fratribus Cluniaci conditus est. Sequere igitur ejus vestigia, qui cum, ut nosti, prædicabilis homo sapientiæ esset, nequaquam sibi ac salutæ suæ præ cæteris monasteriis Cluniacum elegisset, nisi magis sibi expedire vidisset: Veni et imple locum defuncti, quia paratus sum non minore te affectu quam ipsum suscipere, non minus tibi et salutæ tuæ in omnibus providere: Nec solum te, sed insuper quotquot tecum spiritu Dei tractos adducere volueris, suscipere, diligere, amplecti, fovere. Deceat te ad hoc summo conamine niti, ut non solus, si potueris, sed cum aliorum lucro ad Deum venias; nec in conspectu Domini Dei tui vacuus appareas; quatenus et pro his, quos adduxeris, multiplicius coroneris, quia oportet, sicut Joannes in Apocalypsi sua ait, *ut qui audit dicat: Veni (Apoc. xxii).*

EPISTOLA VII.

Honorando, et diligendo in Christo Domino THEOBALDO abbati monasterii sanctæ Columbæ (166), in suburbio Senonensi, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et sincerum dilectionis affectum.

Legi nuper litteras tuas, charissime frater, in quibus adverti magnum inter te, aliosque pene omnes tui ordinis chaos esse firmatum, longe te ab illorum studiis esse divisum. Nam cum, ut dictum est, illorum fere omnium corda, omnium verba, omnium scripta, ea quæ mundi sunt, sapiant, cor tuum, lingua tua, litteræ tuæ longe diversa sapere, et sentire videntur. Indicant hoc illæ, quas, ut præfatus sum, mihi pridem misisti, quæ (ut quod verum est fatear) nil mortale sonabant, nil eorum quæ in frequentissimis aliorum litteris legere soleb prætendebant. Non erat in eis quæstio de questu, non mentio de causis, non de damnis deploratio, non de lucris exsultatio. Quidquid in illis a primo apice usque ad ultimum legere potui totum aut tibi commissorum paternam curam, aut quæstiones de scripturis, aut de bonis ad meliora, gratia divini spiritus tibi collatum proficiendi appetitum sonabant. Hanc quippe sententiarum petitionem in lit-

teris illis distinctam agnovi. Primo enim rogasti, ut fratres de Charitate, qui tecum erant, quique veram philosophiam, hoc est, Cluniacensem disciplinam, sic enim philosophiam interpretatus (cs), filiis tuis tradiderant, in monasterio tuo esse, et vices tuas illic exsequi concederem. Secundo quæsisisti cur unctio infirmorum sola, et hoc apud Cluniacum solummodo, reiteretur, et qualiter somnium Joseph, quo se a sole, et luna et stellis undecim adorari (*Gen. xxxvii*), hoc est a patre, et matre, et undecim fratribus somniaverat, verum sit, cum mater jam ante principatum ejus defuncta, cum cum fratribus non adoraverit: Tertio postulasti ut consolatoria verba in epistolâ a me tibi mittenda, vel adde-rem vel intersererem, ac talia, quæ inter tot Hierosolymitani itineris, quod jam Deo vovisti, discrimina de proximo impendentia, ferrent forte præsidium, ac inter amaros casus dulce terra marique solatium: Et ego quidem non sum tanti, ut ad tanta sufficere, ac de tantis tibi me posse congrua satisfacere credam. Quia tamen laudabili ac devoto studio tuo, maxime vero religiosa vita, et fama tua, non nunc primum valde delector, facio hoc, ut possum, quia ut postulasti non possum. Et primo plane capitulo præsumtuarum, jam plus factis quam verbis respondi, quia, cuncta quæ de monachis supra scriptis rogaveras, concessi: Esset ergo superfluum, re jam concessa verbis diutius immorari.

Unde ad unctionis propositæ quæstionem sermo procedat, et cur apud Cluniacum plusquam semel sacro infirmi oleo inungantur (167), ostendat. Arbitror autem quod qui unctionem infirmorum iterandam non esse, aut cogitat, aut dicit, causam hanc sibi ipsi objicit, cum unctio baptismatis, cum unctio confirmationis, cum unctio sacerdotalis, cum unctio pontificalis, cum unctio ecclesiarum; cum unctio ecclesiasticorum vasorum, simplex sit, cum nullo deinceps tempore iteretur, qua ratione sola infirmorum unctio, non solum apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recidentibus nullo

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(166) *Theobaldo abbati monasterii S. Columbæ.* D Subscripsit hic litteris Hattonis Trecentis episcopi, quas supra jam integras retulimus, cum de præbenda Cluniacensium in ecclesia Sancti Petri Trecentis ageremus. Est autem S. Columbæ monasterium in urbe Senonensi, cujus ecclesiam Gerardus et ipse ejusdem loci abbas, ac forte Theobaldi istius successor immediatus postmodum a fundamentis renovavit, et ab Alexandro papa III dedicari magna cum celebritate procuravit anno 1165, uti refert autor Chronici Sancti Petri Vivi Senonensis.

(167) *Cur apud Cluniacum plus quam semel sacro infirmi oleo inungantur.* In ea fuerunt sententia Goffridus abbas Vindocinensis, et Yvo Carnotensis episcopus, ut non modo infirmorum unctionem sed nec aliud Ecclesiæ sacramentum iterari posse existimarint. Goffridi verba sunt epist. 19, lib. II: Et ut cætera taceamus, in hoc ut nobis videtur,

non mediocriter errant, quod unctionem infirmorum, cum a sancta catholica et apostolica sede sacramentum vocetur, et cum nullum sacramentum iterari debeat, iterandum putant. Yvo vero epistola sequenti: « Uctionem; inquit, infirmorum non æstimo repetendam, quia, sicut ipse asseruisti; secundum institutum apostolicæ sedis, genus est sacramenti. Qui autem sacramenta Christi et Ecclesiæ repetit, injuriam ipsis sacramentis ingerit. Sed cum ex Theologiæ placitis, ut ibi notat vir doctiss. Jacobus Sirmundus; ea solum sacramenta repeti nequeant, quæ characterem imprimunt, videlicet; baptismus, confirmatio et ordo, hinc fit ut extremam unctionem, quia ex eò numero non est; iterare liceat, non tantum Cluniaci, sicut hic Petrus noster defendit, sed et ubique tam in diversis morbis, quam etiam in uno eodem, quocumque morbus ex intervallo sic recrudescit, ut novum vitæ discrimen minetur.

servato numero datur? Qui hoc cogitat, vel qui hoc objicit, attendat non solum unctionum illarum simplicitatem, sed (quod majus est) ipsius simplicitatis scrutetur et intelligat rationem. Utquid enim jam baptizatus inungitur, nisi ut jam collata, non conferenda baptizato per Spiritum Dei peccatorum remissio demonstretur? Hoc, quia semel factum sufficit, quia semel remissa peccata simplex sacri chrismatis unctio ostendit, iterandum esse, nulla ratio persuadet. Sed cur et illa, quæ ab episcopis fit, confirmationis unctio non iteratur? Non iteratur plane, hac ratione, quia semel Christianus, post baptismum armis Spiritus Dei per illam unctionem advocati contra Satanæ mundique bella munitus, alio rursum spiritu, vel aliis armis illa simplici unctio muniri non posse monstratur. Et potest quidem segnitie propria, ab hoste his armis depositis vinci, potest et eisdem resumptis iterum hostem vincere, nec tamen ea de causa unica unctio iteranda est, quia quotiescumque hostem superat, non per alium, et alium spiritum, sed per eundem Spiritum sanctum hoc fieri, simplicitate sua unctio sacra designat. Sed cur non iteratur et illa, qua sacerdoti cœlestia sacrificia sacraturo et tractaturo manus inunguntur, illaque qua pontificis caput dum ordinatur, largiore chrismatis inundatione perfunditur? Sed nulla est causa hoc rursum agendi, nulla ratio sacerdoti vel pontifici, iterum manus vel caput unguendi. Sacramentum enim, quod semel a Spiritu Dei accipiunt, etiam iudicio Ecclesiæ ab officio suspensi vel depositi, nullo pacto perdere, nulla ratione amittere possunt. Indicat hoc ipse communis et publicus Ecclesiæ usus, quæ nec presbyteros post quantumlibet prolixum degradationis tempus officio restituens, iterum consecrat, nec in episcopis de primis sedibus ad alias quandoque translatis unctionis sacramenta iterat. Eadem fere, et de ipsarum rerum insensibilium unctio ratio redditur, quia nec corporalis Ecclesiarum fabrica, nec sacrorum vasorum præparatio, bina vel ternâ unctio indiget: quæ semel pontificali officio Spiritus Dei benedictione congrua, ac semper dum illa manserint mansura, replet. His de causis, in Dei Ecclesia nulla jam dictarum unctionum unctio iteratur. At de infirmis, alia lex, alia de illorum frequenti unctio demonstratur. Iterari enim, prout mihi videtur, necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem. Istud indicant et ipsa verba hoc præcipientis Apostoli: *Infirmatur, ait, quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini (Jac. v).* Ac sequitur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur [remittentur] ei (ibid.).*

Cum igitur certum sit causam unctionis hanc esse ut oratio fidei salvet infirmum, ut allevet eum Dominus, ut si in peccatis sit, dimittantur ei, cur non iterabitur unctio, præcedente unctionis causa?

A Nam si æger post semel redditam sanitatem, nunquam deinceps in morbum incideret, si nunquam post primam unctionem in peccata corrueret, fateor quod nunquam deinceps unctionem jam dictam iterari fas esset. Quod si rursum infirmatus fuerit, si rursum peccaverit, quæ ratio ut rursum ei alleviatur, ut rursum ei peccata dimittantur, denuo eum inungi prohibebit? Nonne et Apostolus hoc se indicat velle, ut quoties quis infirmatus fuerit, toties inungatur? Nam quid aliud sonant verba illa illius: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ.* Non enim, ait, infirmatur quis in vobis semel, aut infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ semel; sed nulla mentione unius, binæ, vel ternæ unctionis facta, jubet nullo præfixo numero, induci ad ægrum presbyteros Ecclesiæ, fidei orationem fieri, ad allevationem et peccatorum remissionem eum oleo sacro inungi. Non igitur mihi videtur dicendum esse quod Apostolus non dixit addendum esse quod ipse non scripsit, sentiendum quod ipse, ut verba ejus indicant, non sensit. Non videtur plane in illis suis verbis Apostolum, vel sensisse, vel fieri præcepisse simplicem unctionem, cum sciret non tantum semel in varios morbos homines incidere, sed et frequenter in eosdem, vel diversos post adeptam sospitatem recidere, cum nosset, prioribus dimissis peccatis, iterum et iterum, ac multoties, miseros mortales peccare. Nam ejusdem, de quo loquor, apostoli, id est Jacobi, verba sunt. *In multis offendimus omnes (Jac. iii).* Qui ergo prioribus morbis ac peccatis medicinalem unctionem providit, nunquid eam sequentibus morbis ac peccatis negavit? Non est plane hæc apostolica fides, non est hæc apostolica prædicatio, ut vel ægro congrua miseratio, vel pœnitenti peccatorum negetur absolutio. Hæc vero absolutio, quamvis sæpissime sine cujuslibet unctionis sacramento, tam in ægris quam in sanis ecclesiastico ministerio fiat, non debet tamen ægris cum absolute unctio sacra subtrahi, quibus juxta intellectum supra scriptum, quotiescumque infirmantur, eam jam dictus apostolus jubet impendi. Nam et hæc sola in toto Novi Testamenti canone invenitur, non more aliarum unctionum a Veteri Testamento mutuata, sed jam in tempore gratiæ, apostolica suasionem et imperio instituta. Unde, quia non in umbra veteris, sed in veritate novi Evangelii, hæc institutio facta est, non alio et alio modo interpretanda, sed sicut tradita, nullis involueris tecta, nullis allegoricis signis velata, a fidelibus intelligenda et observanda est.

Jam ad somnium Joseph, quod proposuisti, stylus accedat, super quo mirari te dicis, quod non sic ad litteram sit impletum, quomodo a patre est interpretatum. Nam cum Joseph in somnis viderit se a sole, et luna et stellis undecim adorari, ac pater referentem increpans dixerit se sole, matrem luna, undecim fratres undecim stellis signari, adoratus sit quidem Joseph ab undecim fratribus, non tamen, quia jam ante principatum ejus defuncta fuerat, etiam a matre. Ad quod ego cito respondeo, quia

nec a patre. Nusquam enim hoc legitur. Sed nec benignum, et in sacris litteris laudatum virum decebat, ut a tanto tamque semper sibi dulcissimo patre se adorari permitteret, cum magis pater a filio, jure divino atque humano honorandus esset. Nec ideo tamen dici potest, vel somnium falsum fuisse, vel falso Jacob illud interpretatum esse. Licet enim eum non adoraverit pater, paterna hoc dignitate prohibente; licet non adoraverit mater, morte intercedente; licet, inquam, non adoraverint eum personaliter, adoraverunt tamen, ut a Patribus dictum est, in integra domo vel prole sua, quæ illum tota adoravit universaliter. Et ne talis propositæ quæstionis solutio vim inferre litteræ videatur, producat de eodem in quo hæc scripta sunt Genesi libro clarissimum absque aliquo obscuritatis nubilo exemplum. Nonne hæc verba sunt patriarchæ Isaac, loquentis Jacob filio suo; *Esto, ait, dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Dominum tuum illum constitui: et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi* (Gen. xxvii). Nunquid aliquando personaliter Jacob Esau dominatus est? Nunquid aliquando personaliter Esau fratri Jacob subjectus est? Nunquid aliquando personaliter ante eum incurvatus est? Relege sacrum illud volumen, et nusquam hoc contigisse, nusquam ab Esau personaliter Jacob adoratum invenies. Imo econverso tibi legenti occurret, Jacob revertenti de Mesopotamia cum uxoribus et filiis et gregibus Esau occurrisse, ipsumque Esau Jacob suppliciter adorasse. Sic enim scriptum est: *Et ipse, id est Jacob, progrediens, adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus* (Gen. xxxiii). Quomodo ergo manebit prophetia jam dicta: *Dominum tuum illum constitui?* Quomodo manebit: *Et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi?* Quomodo manebit: *Et incurventur ante te filii matris tuæ?* Non enim aliquando, ut præmissi, Jacob fratri suo Esau dominatus est, vel aliquando Esau ante eum incurvatus est, sed e contrario quando idem Jacob pronus in terram septies adoravit, utique coram fratre suo incurvatus est. Non enim nisi incurvatus in terram septies prosterni, non plane nisi incurvatus, adorare fratrem potuisset. Quid ergo? Falsane tanti patriarchæ prophetia credetur? Videsne quam caute incedendum sit per tot angustas semitas eloquiorum Dei? Similia quippe huic obscuritati sæpe contingunt, quæ, nisi lector prudenter caverit, offenso ad lapidem pede sæpe procumbet. Sic et de arcto propositæ quæstionis loco, non erit qua exeat, nisi te non ad ipsum Esau, sed ad progeniem ejus convertas. Non enim per seipsum fratri Jacob servivit, non per seipsum ante eum incurvatus est; sed vere in posteris suis, hoc est, in gente Idumæorum, posteritati Jacob, hoc est, Judæis, aliquanto tempore subjectus est. Subjectos vero veros aliquando fuisse Idumæos Judæis docet ipsa excussio servitutis. Quam excussionem etiam jam dictus Isaac flenti Esau prædixerat: *Tempus, ait, veniet, ut excutias et solvas iugum ejus de car-*

A vicibus tuis (I Gen. xxvii). Hoc tunc impletum esse liber Malachim indicat, cum dicit: *In diebus illis recessit Edom, ne esset sub Juda* (IV Reg. viii). Sicut ergo Esau fratri suo Jacob, non in persona propria, sed in successione generis sui servivit, sicut non personam propriam, sed genus proprium; non ante Jacob, sed ante Judæos ejus posteros incurvavit; sic non in persona propria, sed in prole sua, Jacob pater, et Rachel mater Joseph filium adoravit. Possem similia huic exemplo exempla alia proponere, si non crederem istud unum posse sufficere. Sed quia, ut credo, istud, unum plene illud ad quod firmandum assumptum fuerat, roborat, ad ea quæ restant, sermo procedat.

Quod igitur aliquid vel interseri, vel addi epistolæ voluisti, unde robustior, et ad tolerandos terrarumque Hierosolymitanæ viæ labores promptior esses, nescio quid aliud congruentius proponere, nescio quid vehementius ad vires animi reparandas suggerere possim, quam propriæ testimonium conscientie. Hæc enim semper consolatur sanctos in omni tribulatione sua, hæc reddit eos constantes in omnibus laboribus suis, hæc reddit eos victores in universis congressibus suis. Recolunt enim Christum suum dixisse, et certissimam humanis operibus regulam præfixisse, cum per Evangelium suum locutus est: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Luc. ii). Unde si oculus tuus, charissime, in hoc negotio simplex est, si intentio tua in hoc itinere pura et sincera est, Veritate, ut audisti, hoc affirmante, totum corpus tuum, hoc est omnia opera, omnes labores, omnes in hoc itinere sudores tui lucidi, non tenebrosi erunt. Credo autem, et ex præteritæ vitæ tuæ optima fama conjicio, isto oculo te tam laboriosum iter aggressum, ut quia Salvatoris tui in hac adhuc vita corporali præsentia cares, eum saltem in sacris illis locis, in quibus natus, conversatus, passus, mortuus ac sepultus est: de quibus resurrexit, de quibus in cælo ascendit, sanctis animi affectibus contempleris. Arbitror plane hæc de causa de ultimis Occidentis nostri partibus, ignotas tibi adhuc Orientis plagas intrepide te adire, corpus laboribus, vitam periculis cunctis exposuisse, ut in Nazareth Christi conceptum, in Bethlehem; ortum, in sepulcro triduanam sepulturam, in singulis redemptionis humanæ locis, ipsum Redemptorem beatis, ut dictum est, fidei oculis intuearis. Adorabis in loco, ubi etiam corporaliter, juxta prophetiam steterunt pedes ejus (Psal. cxxxii), nec dissimili affectu, imo certiore fide, ut evangelicæ mulieres, Domini dilectrices, Salvatorem æterna Patris majestati in cælis assidentem in ejus sepulcro, pio affectu scrutaberis. Non minoris, ut æstimo, pretii apud benignum cordium inspectorem, et justum sanctorum affectuum judicem, ad tam remotas mundi partes erit tua peregrinatio, quam jam dictarum mulierum vel discipulorum, ad Christi sepulcrum de proximo venientium, visitatio. Currebant illi de proximis latibulis ad quæ

confugerant, ad salutarem nuper sepulti Domini specum : curris tu per terræ marisque discrimina ad idem ad quod illi spelæum. Puto quod cursus prolixior, via laboriosior, affectus non inferior, etsi non majorem, saltem parem salvo apostolico privilegio promerebitur mercedem. Quod ut contingere possit, oculus ille, de quo præfatus sum, quo cuncta operâ mortalium vel lucida vel tenebrosa sunt, summopere tibi purgandus est, ne levitas, instabilitas, curiositas, quæ frequenter se hujusmodi discursibus immergunt, nisu quolibet illum obscurare, illum obnubilare prævaleant. Cavendum est ne de spoliis forte vincendorum hostium spes lucri subintret, et servum Dei, postposita commissarum animarum cura huc illucque non jam devotio, sed avaritia vagari compellat. Videndum est ne vanæ laudis amor præcordia tangat, et militarem se ac bellicosum, contra propositum et ordinem, monachus et abbas ostentet. Ab his et similibus oculus mentis purgandus est ne forte, dum ea quæ facimus, qua de causa fiant subtiliter discutere negligimus oculus noster nobis pro luce tenebras ingerat, et totum corpus nostrum tenebrosus fiat. Timendum est ne lampas nostra, dum plena oleo æstimatur, veniente Sponso vacua appareat, et nos a nuptiis felicibus, et æternis excludat. Stultus est, et vere fatua virgo, qui quod ædificat destruit, qui fructus quos collegerat spargit, qui fruges, quibus æterna, ne deficiat, pascitur vita, jam in arca congregatas, ventis furentibus et undique irruentibus prodit. Hoc faciunt superbiæ, hoc vanæ gloriæ, hoc avaritiæ sectatores, quibus de collectis vitæ necessariis, nihil imposterum residui esse potest, dum aut ea ventus vanæ gloriæ per aera dissipat, sicut avaritia, ne vel sibi vel cuiquam prodesse possint, manu adunca in imis terræ visceribus occultat. Sed absit ut hoc de sanctitate tua, mi charissime, suspicer, quem nec lucri nec gloriæ, nec levita-

tis, Dei tantum causa, hoc tam sanctum iter arripuisse confido. Nam valde absurdum est, vel suspicari, ut tu, qui jam a multo tempore sacris jejuniis, multis vigiliis, variis carnis cruciatibus te ipsum torquens, Deo cum Propheta dicere potes : *Propter te morte afficimur tota die* (Psal. XLIV), tantos tantoque tempore partos labores, vilissimo vanitatis commercio, stultissime perire permittas. Sed quia ipse hoc voluisti, quia hoc ipse rogasti, ad memoriam charissimi mei, quæ tam fructuoso itineri possent prodesse vel obesse, monstravi. Sit igitur hic finis epistolæ, ut tu tibi ipsi labores tuos sapienter conserves, et me, qui honorum virorum adjutoris non parum egeo, bonis tuis, sudoribus tuis, sanctis maxime ad sepulchrum Domini orationibus tuis, studiose, quod valde precor et postulo, adjuves.

EPISTOLA VIII.

Cum honore recolendo ac nominando venerabili fratri Domini BERNARDO Clareval. abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et sinceræ charitatis affectum.

Placuit sanctitati vestræ humilitatem meam consulere quid mihi super electione fratris Heinrichi filii vestri videretur (168), utrum eidem assensum præbere deberetis, an non. At vos quidem plenus spiritu consilii et timoris Dei, meo super hoc consilio non egetis, nec necesse vobis est ab aliquo talium qualis ego sum mutuare, quod ex collata vobis a Deo gratia, aliis affluenter et nostris soletis accommodare. Quia tamen quid inde sentiam, audire vultis, breviter dico. Si vitæ meritum quæritur, magnum est. Quomodo enim non magnum est, cum de tanto tantillum se fecerit, cum regii sanguinis, ut sic loquar, superbiam, tam robustæ humilitatis pede calcaverit, cum luxus, et pleno cornu fluentes mundi delicias, tormentis innumeris et mille mortibus commutaverit, cum undique arri-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(168) *Quid mihi super electione fratris Heinrichi filii vestri videretur.* De Henrico fratre Ludovici VII, regis Francorum loquitur, qui monachus Clarevallensis sub sancto Bernardo degens, Belvacensis Ecclesiæ pastor et antistes postulatus est, ut vel ex ejus ad Petrum nostrum epistola, quæ sequitur, apertius innotescit. Fuisse autem primo clericum docet præceptum Ludovici Grossi patris ejus, quo monasterium Sancti Guenaldi Corboliensis ecclesiæ Beati Victoris ad urbem Paris. donavit anno 1154. Fuisse et subdiaconum patet ex charta Stephani Parisiensis episcopi de donatione præbendæ unius eidem ecclesiæ Sancti Victoris in *seniori Ecclesia Beatæ Mariæ*; item archidiaconum Aurelianensem ex charta Helicæ episcopi de ecclesia monachorum sancti Martini de Campis apud Hievillam; abbatem quoque ecclesiæ Beatæ Mariæ Stampensis, ex charta Odonis prioris Sancti Martini de Campis; abbatem Sancti Dionysii de Carcere, ex præcepto Ludovici Junioris, quo ipsam S. Dionysii ecclesiam monachis Sancti Martini de Campis possidendam concessit; abbatem sancti Exuperii Corboliensis, ex alio ejusdem regis præcepto, quo donum illius de præbenda in ecclesia S. Exuperii, canonicis Sancti Victoris factum confirmavit; abbatem denique Sanctæ Mariæ de Medunta, Sanctæ Mariæ de Pisiaco, Sancti Melonis de

Pontisara, et, ut uno verbo absolvam, abbatiarum omnium regalium abbatem. Quæ dignitas qualis exstiterit, ita Joannes Parisiensis explicat ad annum 1149 : « Hoc tempore, inquit, Eugenius papa Henricum fratrem Ludovici regis, monachum Clarevallensem præfecit omnibus abbatibus Franciæ, et erat quoque generalis abbas supra speciales abbates, etc. Post in fine hujus anni factus est episcopus Belvacensis. » Demum ex episcopatu Belvacensi transiit ad archiepiscopatum Remensem, anno 1166, eique tam in Aurelian. Ecclesiæ archidiaconatu, quam et in quarundam regalium abbatiarum cura successit Philippus frater ejus, ut ex pluribus Tabularii Sancti Victoris chartis nobis apparuit. In una enim quæ est Manassis Aurelianensis episcopi, de vineis canonicorum Sancti Victoris in Aurelianensi diocesi, subscribitur *Philippus archidiaconus frater regis*. In alia vero, quæ est ipsius super annalibus a Ludovico Grosso patre suo conventui Sancti Victoris assignatis, appellatur « Philippus frater illustris Ludovici Dei gratia regis Francorum et ducis Aquitanorum, et per Dei gratiam abbas quarundam regalium Ecclesiarum, videlicet Sanctæ Mariæ de Stampis, Sanctæ Mariæ de Corbolio, sanctæ Mariæ de Medunta, Sanctæ Mariæ de Pisciaco, Sancti Mellonis de Pontisara, etc.

dentem mundum irriserit, cum abnegans semetipsum et tollens crucem suam, Christum morientem secutus fuerit? Si concors electio, de clero vel populo Belvacensi nec unus dissentire dicitur. Si metropolitani, et coepiscoporum assensus, etiam universorum preces vobis, ut comperi, pro confirmando tam sacro opere, frequenter oblatae sunt. Si insuper domini papae voluntas, quantum hoc ei placuit [placeat], ipsius epistola domino Remensi, ut audivi, directa, testatur. Quid ergo restat, vir venerande, nisi ut voluntati Dei, quae tot iudiciis se declarare videtur, vestram subjiciatis, nec ultra Ecclesiam illam laborare, aut in eundo vel redeundo, sua frustra expendere permittatis? Quod si de scientia veluti minus talia experti diffiditis, potens est Deus, qui ei jam dedit magna, etiam praestare majora. Unde in quantum cernere datur, non est ultra procrastinandum, non est ultra differendum; sed cum ad vos magnae partium vestrarum personae, quae, ut mihi relatum est, hac de causa in proximo venturae sunt, venerint, eos alacriter suscipite, benigne audite, et tam diuturnum desiderium eorum, toties et toties repetitam postulationem ipsorum, causa ejus qui in bonis desiderium suorum, celeriter, quia sic justum est, adimplete.

EPISTOLA IX.

Inter Patres reverentissimo, et inter amicos charissimo, domino PETRO abbati Cluniacensium, frater HEINRICUS, sive jubente, sive permittente Deo, Belvacensis electus, seipsum, et si quod amplius potest.

Parcat vobis omnipotens Deus! Quid est quod fecistis? Sepultum hominem revocastis ad homines,

A et consilio vestro, cui nimium creditum est, expositus sum, et repositus in terribile curarum pelagus, ut me iterum honoris altitudo resorbeat. Nescivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab, quas suscepi regendas, regi, non regere opus habens. Manus meas miserunt ad fortia: opus esset fortitudine. Speculator domui Israel factus sum: opus esset prudentia. Sapientibus et insipientibus debitor factus sum: opus esset justitia. Praedicatur populo Dei datus sum: opus esset temperantia, ne forte cum aliis praedicavero, reprobis (quod absit!) inveniar. Sed quae sunt ista, et quis sum ego? Vel ubi ista, et ubi ego? Domine Pater, et Deus vitae meae, imperfectum meum viderunt oculi tui. Domine, vim passus sum, responde pro me, quia sola obedientia coegit me, sine qua, juxta virum sanctum (*Gregor.*) infidelis quisque esse convincitur, etiam si fidelis esse videatur. Et quia nemo majori fiducia utitur, quam qui ex affectu diligit, nunc vos quasi portionem animae meae convenio, deponens apud vos familiarem, et dolentem querelam. Quid vobis visum est, ut litteris vestris ad dominum abbatem missis, faceretis stultitiam meam elevari super candelabrum? Credidisti quidem, Domine, propter quod locutus es, nec fallere, nec falli voluisti, sed non evasisti secundum. Verumtamen quoquo modo factum sit, et quaquaversum vertat exitum rei Dominus Deus noster, ego vester sum, et ad vestrum servitium, si dignamini, praeparatus. Me accipite in servum, in amicum, in filium, et illi sanctae multitudini, cui Deo auctore praestis, specialem et uterinum monachum, ne dicam episcopum, sempiterno foedere sociate.

LIBER SEXTUS

EPISTOLA PRIMA.

Venerabili, dilecto et diligendo domno ADEMARO abbati Figiacensi (169), frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem, et licet laesum, tamen sincerum amorem.

Scripti semel, scripsi secundo semel scribenti, secundo non scribenti. Miratus sum nihil a vobis rescriptum meae primae epistolae, nihil secundae. Causam cogitanti, nulla praeter unam occurrere potuit. Si quaeritis quam aestimem, respondeo non in-

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(169) Domno ADEMARO abbati Figiacensi. Figiacum, sive Fiacum, Caturcini pagi monasterium, quod Pipinus Aquitanorum rex a fundamentis construxit, et Stephano papa praesente mirabiliter consecratum fuit. Sic enim ipse Pipinus in Tabulis fundationis: « Notum, inquit, esse volumus cunctis Christum colentibus, praesentibus scilicet et futuris, qualiter locum in convalle Lunantis olim a praecessoribus nostris in pago Caturcino constitutum, et ab aquis irruentibus jam pene dissipatum. Nos proxima silva in eodem pago, habiliori loco, cui Fiacum nomen imposuimus, mutantem monasterium

venisse vos ad objecta responsum. Quae si est, restabat unum, hoc est, confiteri reatum. Inde saltem rescribendi materia esset, inde mihi vestra loqui epistola posset. Confiteor culpam, postulo veniam. Et ut jam serio aliquid agam, bonum est ne differatis ultra venire ad nos, libenter paratos videre vos. Nec obstat itineri vestro querela mea, quia, ut ait Salomon, est regressio ad amicum. Expectabo ego, aut Cluniaci, aut circa, vel in Natale Domini, aut in ejus Epiphania, adventum ve-

vel caetera aedificia a fundamentis aedificavimus: quod praesente domino Stephano papa mirabiliter a Deo consecratum prospeximus, ubi monachorum turmam sub cultu religionis divina miserante clementia congregavimus, cui auctore Deo venerabilem virum Anastasium abbatem ordinavimus. » Unde et Bernardus Guidonis in Chronicis: « Aedificatum est a Pipino Figiacense caenobium, quod tunc dicebatur Fiacum in territorio Cature. cujus oratorium ipsis Stephano papa et rege praesentibus est consecratum, prout in gestis antiquis ipsius monasterii plenius continetur. »

strum, facturus quæ dixeritis ad votum vestrum.

EPISTOLA II.

Reverentissimo Patri et amico charissimo PETRO Dei gratia Cluniacensi abbati, frater BERNARDUS Clarevallis vocatus abbas, in vero salutari salutem.

Utinam sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem! Sine dubio tunc clarissime legeritis quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, quid meis impresserit medullis. Quid ergo? Incipio me iterum apud vos commendare? Absit! Jam pridem conglutinata est anima mea animæ vestræ, et de personis imparibus pares animos fecit parilitas charitatis. Quid enim meæ humilitati cum vestra sublimitate, si non inclinasset dignatio dignitatem? Ex tunc factum est ut utrinque permiscerentur, et mea humilitas, et sublimitas vestra, ut nec ego sine vobis humilis, nec vos sine me sublimis esse possetis. Hæc dico, quia Nicolaus meus, imo et vester, in spiritu vehementi commotus, commovit me, asserens se vidisse epistolam nostram directam ad vos, in qua voces amaritudinis clauderentur. Credite amanti, quia nec in corde meo ortum est, nec ab ore meo extortum est quod aures vestræ beatitudinis exasperaret. Multitudo negotiorum in culpa est, quia, dum scriptores nostri bene retinent sensum nostrum, ultra modum acuunt stylum suum, nec videre possunt quæ scribi præcepi. Parcite hac vice, quia quidquid de aliis sit, vestras videbo, et non credam nisi oculis et auribus meis. Cætera vobis communis iste filius planius et plenius viva referet voce. Ipsum tanquam me audietis, qui vos diligit non verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Salutate nobis sanctam illam multitudinem vestram, et orate ut orent pro puero suo.

EPISTOLA III.

Venerabili præclaro in membris Christi viro, domino BERNARDO Clarevallensi abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, post Deum et in Deo quod est.

Quid dicam? Loqui soleo: sed nunc mutus factus sum. Unde hoc? Quia litteræ vestræ, quæ me eloquentem facere debuerant, mutum fecerunt. Quare? Tanta in illis licet brevibus legi, ut si ad respondendum me effundere conarer, magis taciturnus quam loquax viderer. Sed gravi homini, sed religioso loquor. Agendum est ergo, prout gravitas postulat, prout religio, etsi non mea, tamen vestra efflagitat. Quid enim? Nonne verum est quod dico? Brevis est epistola; sed multa respondendi materia. Fer, rogo, insulsum, si quid secus dixero quam oporteat. Veræ enim amicitia est, non solum falsa amici suscipere, sed et insulsa aut condire, aut tolerare. Accepi, ut dixi, ex parte tua litteras, litteras singulares, litteras amorem dulcissimum et honorem, plusquam mihi debitum, prætendentes. Reverentissimum me dicis, Patrem nominas, amicum charissimum appellas. Gaudeo ad ista, sed salva veri-

tate, quæ ex Christo in te defluxit, duo præcedentia nescio, tertium agnosco. Nam reverentissimum me esse ignoro, Patrem quantum ad te me esse nego, amicum et charissimum tuum me non solum ore profiteor, sed et corde agnosco. Ut enim de reverentissimi et amici charissimi nominibus taceam, quorum, ut dixi, alterum nescio, alterum agnosco, de Patris interim nomine hoc tibi, reverende frater, scribo: quod singularis suo tempore, et præclarissimus religionis flos, domnus Guido prior Carthusiensis, mihi quondam scripsit. Scribebam ei frequenter, et sæpe cum eo, vel verbis ad invicem collatis, vel litteris familiaribus delectabar, et eum in epistolis meis Patrem nominabam. Toleravit hoc primum, putans me finem facturum scribendi. At postquam me persistere vidit, et frequentibus litteris Patris nomen iterare, in hæc verba sanctus illè tandem prorumpit. Scripsit namque mihi epistolam, in quam inter cætera hoc inseruit: *Unde petimus per eam, qua in nos indignos vestra servant viscera, dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non inflatis elatione.* Ac statim: *Et illud, inquit, præ omnibus ac super omnia quæ sumus, et defixis in terram genibus obsecramus, ne utilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius aestimetis. Satis et super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur qui nec servi nomine dignus habetur.* Scripsit hoc ille mihi, scribo et ego hoc idem tibi. Sufficit, et multum sufficit, si fratris, si amici, si chari, vel charissimi nomine de te, vel apud te glorier, vel si quid tale aut te decet mittere, aut me decet suscipere. Hoc de præmissa salutatione. Sed quid de sequentibus? *Utinam, inquis, sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem.* Et statim: *Sine dubio tunc clarissime legeritis, quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, quid meis impresserit medullis.* Vere hæc verba salvo majoris mysterii sacramento, sicut unguentum in capite, quod descendit de barba Aaron in oram vestimenti ejus (*Psal. cxxxii*). Vere ista sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion (*ibid.*): Vere etiam sic stillant montes dulcedinem, et colles fluunt lac et mel (*Joel. iii*). Nec mireris quia tam sollicite attendo, et teneo verba tua. Non enim a qualicumque ore prolata scio, sed ab illius, qui loqui non novit, nisi de corde puro et conscientia bona, et amore non ficto. Novi hoc, inquam, ego, novit et mecum orbis non esse te de illorum numero, qui juxta Psalmum, *Vana locuti ad proximum suum* (*Psal. xi*): Non esse te de illis, quorum labia dolosa in corde et corde locuti sunt (*ibid.*). Idcirco quotiescunque placet sanctitati vestræ scribere mihi, non negligenter, non transitorie, sed studiose, affectuose scripta tua suscipio, lego, amplector. Quis enim non sollicite legeret, non multo cum affectu amplecteretur et ea quæ præmissi, et illa quæ sequuntur? Jam pridem ait: *Conglutinata est anima mea animæ*

vestræ (I Reg. xviii), et de personis imparibūs pares animos fecit paritas charitatis. Quid enim meæ humilitati cum vestra sublimitate, si non inclinasset dignatio dignitatem? Ex tunc factum est ut utrinque permiscerentur, et mea humilitas et sublimitas vestra, ut nec ego sine vobis humilis, nec vos sine me sublimis esse possetis.

Hujusmodi ergo verba negligenter legenda sunt? Nunquid non debent oculos legentis fixos tenere, cor rapere, animos unire? Videris, mi charissime, qui scripsisti, quid de his sentias. Ego de his aliud sentire non possum, quam quod littera sonat, quam quod a tanto, a tam veraci, a tam sancto homine dictum teneo. Nec, ut ipse dixisti, incipio me iterum apud te commendare. Adhuc juvenes amare in Christo nos coepimus, et jam senes aut fere de amore tam sacro, tam diuturno dubitabimus? Absit! Credite amanti, ut verbis vestris utar, quia nec in corde meo ortum est, nec ab ore meo extortum est, ut de verbis vestris quolibet modo, si tamen serio expromptis, aliquando dubitaverim. Unde quod in his, de quibus agitur, litteris scripsisti, amplector, servo, custodio. Facilius mihi possent auri mille talenta subripi, quam hæc quolibet casu a corde avelli. Sed de his satis. De reliquo unde me motum prudentia vestra putavit, hoc fuit. Pro negotio, quod vobis bene notum est, cujusdam Anglici abbatis, continebant litteræ vestræ. Quasi, inquiunt, *subversum sit iudicium, et de orbe perierit justitia, et non sit qui eripiat inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum (Psal. xxxiv)*. Sed si mihi creditis, sciatis prorsus inde me ita motum esse, sicut de se dicit Propheta, licet ego propheta non sim: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum (Psal. xxxviii)*. Et rursum. *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (ibid.)*. Ego quidem in istis offensus non sum. Sed et si offensus essem, multum satisfactum est, quando dixisti: *Multitudo negotiorum in culpa est, quia dum scriptores nostri non bene retinent sensum nostrum, ultra modum acuunt stylum suum, nec videre possum quæ scribere præcepi. Parcite hac vice, quia quidquid de aliis sit, vestras videbo, et non credam nisi oculis et auribus meis*. Parco igitur, et de facili veniam tribuo. Non est apud me, quod humiliter dico, etiam in offensis gravibus, labor gravis, ut ignoscam oranti, dem veniam postulanti. Quod si in gravibus ignoscere labor non est, quanto minor in levibus aut nullis est? De testamento domni Baronis Romani subdiaconi, quod vestræ Clarevallensi et Cisterciensi Ecclesiæ, ex his quæ apud nos deposuerat, moriens fecisse dicitur, factum est, quod a quibusdam personis, qui sibi hoc ab eo injunctum esse dicebant, mihi scriptum est. Volo tamen vos scire, quia sicut quidam, ut puto, testes veridici astruunt, plus vobis in his contulit gratia Cluniacensis abbatis, quam testamentum Baronis. Scio quidem, nec adeo expers sum divinarum vel humanarum le-

gum, ut nesciam quod per posterius testamentum, et legatum, et fidei commissum, causa mortis rata sunt. Sed lego tamen alibi: *Nihil tam juri naturali conveniens est, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre ratam haberi*. Hoc ideo dico, quia sicut testes præmissi fatentur, quidquid Cluniaci deposuerat, totum Cluniaco dederat, nisi forte eum recipere contingeret, antequam præsentem vitam finiret. Nolui tamen hoc uti privilegio, sed quod juxta illorum testimonium, meum esse credebam, vobis vestrisque concessi. De electione Gratianopolitana, contra quam nostri Carthusienses agunt, quid sentiam, in ore charissimi mei, vestrique fidelis Nicolai vobis retegendum diligenter reposui. Ipsum audite, et quod ab ore meo vobis retulerit, absque hæsitacione vel minima, verum esse credite. Si quæ mandanda mente exciderunt, cum memor fuero, charissimo mihi in Christo mandabo. In fine rogo, quantum possum, et supplico, quod jam per quasdam vestri ordinis personas mandavi, ut in hoc tanto sanctorum virorum, qui Cistercii convenerunt, conventu, mei, utique vestri, memoriam faciatis, meque, totumque Cluniacensis congregationis corpus eorum intente orationibus commendetis.

EPISTOLA IV.

Singulari honore recolendo, charissimo nostro domino BERNARDO Clarevallis abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.

Breves dies hominis sunt. Fugiunt, nec redeunt. Vestigia eorum nulla retrorsum. Labitur miser homo, more fluentis aquæ, cum ipsis, et præcipiti cursu, ad finem quem nescit, excurrit. Eapropter non est dissimulandum, sed festinandum, non est periculosa procrastinatio sustinenda, non est mora libera nobis, quia *nescit homo, ut Scriptura clamat, quid superventura pariat dies (Prov. xxvii)*. Obtemperandum est ei et alibi dicenti: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare (Eccl. ix)*. Ad quid istud? Non hoc, venerande et charissime frater, dico, ut te, cujus multiplicia et sancta opera mihi ac mundo nota sunt, velut otiosum ad operandum provocem, vel tarditatis alicujus, ad coelestia et æterna multis sudoribus festinanti notam imponam. Stultum est enim currentibus in stadio dicere: *Currite*. Sed non est stultum dicere: *Sic currite, ut comprehendatis (I Cor. ix)*. Cucurristi hactenus multum, juvante Domino gressus tuos: sed non est cessandum, quousque secure mente dicere audeas, *cursum consummavi, fidem servavi (II Tim. iv)*. Videor, ut dicitur, docere Minervam. Verum ego Minervam non doceo; sed ut his, quæ animo insederunt, perficiendis totam, quam poteris, operam impendas, toto nisu admonere satago. Et ne diu rem protraham, teque plus nimio suspensum teneam, audi quid intendam. Doleo, imo jam ab antiquo dolui, et miseris quibusdam (quod salva bonorum gratia dico) condolui,

quod spectaculum facti mundo, et angelis, et ho-
minibus, quod stulti propter Christum, quod in-
firmi, quod ignobiles, qui usque in hanc horam et
esuriunt, et sitiunt, et nudi sunt, et operantur ma-
nibus suis, et pene magnum Paulum ex toto se-
quuntur, quæ gravia sunt, faciunt, quæ levia, fa-
cere nolunt. *Audivimus*, ait ille quem diligebat
Jesus, *mandata ipsius. Et mandata ejus gravia non-
sunt (I Joan. v).* Servas quicumque talis es, gravia
Christi mandata, cum jejunas, cum vigilas, cum
fatigaris, cum laboras, et non vis levia servare, ut
diligas. Propter verba labiorum ejus, custodis vias
duras, per eas fortiter gradiendo, et propter verba
eorumdem labiorum ejus, non vis custodire viam
mollem, per eam leniter et placide incedendo. Ca-
stigas corpus tuum, et in servitutem redigis, ne
forte reprobus inveniaris, et dulci charitatis lacte
vel melle, teipsum refovere nolendo, reprobus fieri
non perhorrescis? Quid prodest tormentis teipsum
absumere, et ad nullum tormentorum profectum
absente charitate proficere? Huic tanto fratrum
periculo tu subvenire, huic tam noxio animarum
morbo, ut charissime, mederi poteris, si gregem
congregationis tuæ, imo oves pascuæ Christi, quæ
te post ipsum præ cunctis mortalibus suspiciunt,
quæ tibi maxime innituntur, corpori societatis
nostræ laudabili arte unieris. Mirabere fortassis,
quia dixi arte. Sed noli mirari. Profero quod usi-
tatum est: *Ars est artium regimen animarum*
(*Gregor.*). Ars, inquam, tibi necessaria est, si hoc
opus tam laudabile, tam salutiferum, tam Deo
gratum implere volueris. Sed interrogas. Quæ?
Novit sapientia tua, stultorum esse infinitum nu-
merum; sapientium, finitum et parvum. Nec igno-
ras alium esse spiritualium oculum, alium carna-
lium. Recordaris scriptum esse: *Animalis homo*
non percipit ea quæ sunt spiritus Dei (I Cor. ii). Ut-
quid hæc dico? Color varius, habitacula diversa,
usus dissimiles obviant dilectioni, contraria sunt
unitati. Aspicit albus nigrum, et miratur quasi
monstrum. Intuetur niger album, et miratur velut
informe prodigium. Exasperant mentem aliis as-
suetam usibus nova instituta, nec facile potest ei
placere, quod non consuevit videre. Hoc tamen
apud eos, qui vident in facie, et non attendunt
quid versetur in mente. Non ita sic intuentur oculi
rationabiles, non illa sic contemplantur oculi spi-
rituales. Vident, intelligunt, agnoscunt nihil in
servis Dei differre colorem varium, nihil usum
diversum, nihil diversa habitacula, cum juxta Apo-
stolum neque circumcisio valeat aliquid, neque
præputium, sed nova creatura (*Gal. vi*), et rursus,
juxta eundem: *Quia non est Judæus vel Græcus,*
non est masculus neque femina, non barbarus et
Scytha, non servus et liber, sed omnia et in omnibus
Christus (Coloſs. iii).

oc plane tales vident, intelligunt, agnoscunt.
Sed quia non omnes tales sunt, et raro inveniuntur
quibus hoc cernere detur, condescendendum est,

A ut mihi videtur, inferioribus, eisque juxta illum
qui ait: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lu-
crificarem (I Cor. ix)*, juxta eorum morem, mos
est dispensative gerendus. Non dico ut color unia-
tur, hoc est ut de albo niger, vel de nigro albus
fiat. Non dico ut vel antiqui usus in novos, vel
novi transferantur in antiquos. Nihil horum dico,
licet hoc ex parte jure dicere possem. Vereor ne
si quod inde sentio dicerem, forte, altera parte
offensa, et verba in irritum funderem, et quos in
invicem placari desidero, verbis non placentibus
irritarem. Utatur unusquisque colore, quem elegit;
teneat usus, quibus se salva fide et charitate de-
vovit. Uniantur saltem habitacula, sit indifferens
diversorum colorum et usum cohabitatio, nutria-
tur et provehatur in servis Dei tali arte charitas,
perturbetur et expellatur contraria charitati ini-
quitas. Fiet hoc vel ex toto, vel ex plurima parte,
ut arbitror, si quando antiqui ordinis monachi ad
novorum fratrum monasteria vel habitacula vene-
rint; ab ecclesia, a claustro, a dormitorio, a refe-
ctorio, seu ab officinis reliquis exclusi non fuerint.
Auferetur ab advenientis fratris corde scandalum;
ori, ne detrahat, imponetur silentium, quando et
suscepti et suscipientis commune fuerit habitacu-
lum, vel hospitium. Recedent vetera de ore ejus
quæ dicere, quæ frequentare consueverat. Nunquid
ego Judæus sum? Christianum me esse putabam,
et pro ethnico reputor. Monachum me credebam,
et ut publicanus abjicior. Concivem me aestimabam,
et ut Samaritanus expellor. Vere nunc agnovi, quia
non contumt Judæi Samaritanis. Et quis potest
cuncta similia istis, quæ hac de causa prolata sunt,
maledica verba referre? Obstruatur igitur tali
charitatis obiectione os loquentium talia, ne dicam ini-
qua; consulatur infirmis, quorum se medicum Chri-
stus dixit (*Matth. ix*). Caveatur pusillorum scanda-
lum, timeatur mola asinaria, quæ non caventes
mergit in profundum maris (*Matth. xviii*). Non
timeatur illud, quod nuper apud Claramyallem a
quibusdam fratribus mecum inde conferentibus
audivi, timere se, ne si advenientes monachi ho-
spites intra claustra sua suscepti fuerint, tam au-
steritate consuetudinum, quam insolita ciborum
asperitate deterriti, inusitata hospitia perhorre-
scent: ac malint deinceps in talia claustra non
ingredi, quam morem tam asperum tolerare. Ad
istud ego, quod tunc respondi, adhuc respondeo.
Tollatur tantum non ingrediendi scandalum, sit
pro more apud vestros constituto hospitium. Sit
commune utrisque habitaculum, sit quale aliis
apud vos impendi solet obsequium. Sicut contenti,
qui ingredi voluerint, consuetudine loci quam in-
venerint. Sequantur in hoc morem apostolicum,
sequantur morem discipulorum Christi, quibus ab
ipso præcipitur, *edentes et bibentes quæ apud illos*
sunt (Luc. x). Hoc si pati recusaverint, non erit
jam quid objiciant, non restabit quid dicant. Non
poterunt ultra conqueri, extrudi monachos a mo-

nachorum claustris; non poterunt læsam deflere charitatem, vel schisma fratrum claustris apertis, et præparatis ad suscipiendum habitaculis, deplorare. Et licet hoc dicam, licet claustra vestra ingredienti, contentos, juxta Regulam, consuetudine loci esse debere astruam, sum tamen immemor, nec esse te immemorem, vir venerande, credo, quod in capitulo suscipiendorum hospitem de talibus Regula dicat. Nam post adorationem, post orationem, post lectionem, de susceptis hospitibus subdit: *Post hæc, omnis ei exhibeatur humanitas.* Credo quod hæc verba magis aliquid humanitatis exhiberi præcipiunt hospiti quam civi, advenæ quam indigenæ, peregrino quam colono. Non dixit tamen Regula quod dico, aliquid ei exhibeatur humanitatis, sed omnis ei exhibeatur humanitas. Omnem vero intelligo, non superfluum, sed necessariam; non illam quæ quotidiano more impenditur propriis, sed illam quæ præter solitum major jure hospitii impenditur alienis. Unde mihi videtur quod non solum extra manentibus clericis vel laicis, sed et ipsis claustra ingredientibus monachis, modo omnis, quo intellexi, humanitas est exhibenda. Sed quid dixi, non solum clericis et laicis, sed et ipsis monachis? Imo salvo monachi proposito, plusquam clericis, vel laicis, est exhibenda monachis. Si enim jure præceptum est, *operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (Gal. vi)*, operandum est bonum ad omnes clericos vel laicos, maxime autem ad ejusdem monastici ordinis domesticos. Prætulit tunc in illis verbis suis Apostolus Judæis et ethnicis fidei domesticos, id est Christianos; præfero ego a quodam simili, ipsis etiam aliis Christianis monachos.

Non est igitur deterius providendum a monachis, juxta congruam proposito humanitatem, hospiti monacho in claustris, quam hospiti clerico vel laico in exteriori hospitio. Sed non his diu immoror. Habeant tantum monachi quandiu hospites fuerint, monachorum claustra communia; sint contenti, si sic vestris placuerit, vestro quotidiano cibo, ordine, institutis. Ferant, ut dictum est, si ingredi ad vos voluerint, quæ apud vos sunt, quæ apud vos fiunt, quia si ingredi noluerint, murmurare cessabunt. Si non cessaverunt, ratio eos destituet, D charitas pro vobis aget. Præveni ego, quod non me efferens dico, verba mea operibus, et prius verba coepi facere quam docere. Admisi ante quindecim annos universos vestri ordinis fratres, et recipi præcepi, præter Cluniacense claustrum, in omnia claustra nostra, nec de albo vel nigro colore simul in locis nostris admisto curavi, nec curantes, cum multi mihi ne id fieret instarent, audivi. Securus ergo ut faciatis moneo, quod jam feci: ut sicut præter unum, quod præmissum est, loca omnia nostra patent vestris, sic omnia vestra absque discretione pateant nostris. Si hoc factum fuerit, illud majus claustrum, quod exceptum fuerat, cæteris addam, et ut ipsum quoque vestris omnibus ape-

riatur, præcipiam. Instruatur utraque species fratrum, si non possunt sermone, saltem paulatim frequenti cohabitatione nihil discernendum vario colore, nihil distinguendum diversis usibus, hos inter et illos monachos, quos eadem fides et charitas vere facere debet germanos. Scripsi hoc tibi, mi dilectissime, festinanter, ut festinantius mittere possem, antequam ad diem indictam, quæ, sicut audivi, in festo Omnium Sanctorum futura est, quidam abbatum vestri ordinis tecum conveniant, et cum illis inter cætera de hoc meo capitulo tractans, eos in hanc sententiam, quæ, sicut aestimo, non solum mea, sed et tua est, adducas, et ut a cunctis vestri ordinis fratribus amodo teneatur, ubique teneatur, ubique promulges. Proponere eis B verba Domini dicentis: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis (Matth. vii)*. Si volunt ingredi claustra nostra, non prohibeat. Si servitutis debitum ex charitatis mandato ab aliis exigunt, reddant vicem illius exemplo, qui dicit: *Non veni ministrari, sed ministrare (Matth. x)*. Si sibi serviri volunt, ipsi quoque fratribus, id est Christi membris, deserviant, ut impleant quod dicitur: *Ex charitate servite invicem (Gal. v)*. Sint omnibus omnia communia, non tantum substantia, sed et ipsa habitacula. Unientur paulatim hoc remedio corda discissa, et dum nil inter se discretum viderint, de diversis, ne dicam adversis, inspirante eo, qui ubi vult spirat, unum esse addiscent.

EPISTOLA V

Charissimo fratri et filio NICOLAO, frater humilis (nostri cujus hoc cognomen sit), salutem et sincerum amorem.

Quoniam te non ficta charitate diligo, diu tui immemor esse non possum. Dilexi te quandiu noster colore fuisti; sed et nunc quantum ad me, colore, ut puto, non corde mutato, non minus te diligo. Maluissem te meum quam alterius, sed quia ubique Dei es, meum quoque te ubique reputo. Redde ergo vicem, ut vere te diligentem diligas, quia nec ipse totus cum totis suis viribus mundus ab hoc me proposito avocare potest, nec te quidquam a simili proposito avocet. Nosti quod nihil temporalis commodi præstoler a te, nosti quod nulla alia causa me moverit ad amandum te, nisi ea quæ sola diligenda erat in te. Sed interrogas. Quæ? Quia te litteratum, quia strenuum, quia (quod plus est) religiosum, licet ex tempore non ab æterno esse aut cognovi, aut aestimavi. Sed de his satis. Sequantur reliqua. Scribo epistolam domino Clarevallensi, quam per te illi præsentari volo. Lege illi eam intente ac studiose, et quantum poteris, exhortare ut quod sola charitatis gratia scripsi, ad effectum perducatur. Insta ei quia propter brevitatem temporis instandum est, ut in hoc proximo Omnium Sanctorum festo fiat quod opto, et si quos forte obviantes invenerit, in meam, quæ ut puto et sua est, sententiam transire com-

pellat. Fratrem regis (170), quem sincere diligo, A
Philippum Leodiensem (171), Galcherium cellara-
rium (172), Garnerium nostrum, Fromundum hospiti-
um custodem, et reliquos, quos melius me nosti,
fratres, ex parte nostra affectuose saluta.

EPISTOLA VI.

Charissimo Patri et domino PETRO Dei gratia Clu-
niacensium abbati frater BERNARDUS Clarevallis
vocatus abbas, salutem et orationes.

Vidi litteras etc. Vide inter epistolas S. Bernardi,
Patrologiæ tom. CLXXXII, col. 00.

EPISTOLA VII.

Patri suo domino Cluniacen. frater NICOLAUS.

In brevi sicut puto visurus faciem vestram, B
mitto vobis epistolas vestras. Librum quoque
domni-abbatis Clarevallis ad dominum Papam,
epistolas etiam duas quas eidem domno abbati et
mihi misistis hoc anno. Illud autem non lateat
sublimitatem vestram, quia litteræ vestræ multum
addiderunt promotioni fratris Heinrichi, et liben-
tissime auditæ sunt ad archiepiscopis et episcopis
Franciæ, et serenitati vestræ multæ gratiæ red-
ditæ sunt, sicut ego melius et fidelius viva refe-
ram voce.

EPISTOLA VIII.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili
fratri HUGONI Viennensi archiepiscopo (175), salu-
tem et apostolicam benedictionem. C

Quanto persona tua, etc. Vide in Eugenio III
papa ad an. 1155.

EPISTOLA IX.

Venerabili domino et in Christo dilecto PETRO Dei
gratia Cluniacensium abbati, HUGO Viennensis
dictus archiepiscopus, salutem et dilectionem.

Quanto propensiore studio vos et vestra diligi-
mus, quantoque de dilectione vestra confidimus,
tanto amplius miramur, imo satis mirari nequimus,
si a vobis, vel a vestris frequentes adversus nos
querimoniæ ad aures domini papæ, sicut litteræ
ejus indicant, prius quam ad nos pervenerint. Si
enim in aliquo majestatem vestram nos offendisse D
præsenssemus, novit Dominus, et ante clamorem
et post, nos inde satisfacere paratos. Quod si, ut
credimus, et optamus, non a vobis, sed aliunde,
falsa suggestionem domino papæ hujusmodi sunt
intimata, dilectionem vestram quanta possumus
precum instantia rogamus, quatenus ea falsa esse,
et nos vobis benevolos et propitios, non infestos,
ei denuntiare non differatis.

EPISTOLA X.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino
papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis fratrum Clu-
niacensium abbas, sinceram cum devota obedientia
voluntatem.

Non possum quantum volo gratias agere, quod
non solum per nuntios sæpe a me reverentiæ
vestræ transmissos, sed etiam per alios pro suis
negotiis majestatem apostolicam adeuntes, quid erga
me vel vestram Cluniacen. Ecclesiam animi ge-
ratis, ostendere non cessatis. Inde multa exempla
habeo, quæ nunc proferre supersedeo. Unum ta-
men profero, de quo sicut multum amoris vobis
debeo, ita vos ejus causa, quod filiali præsumptione
loquor, contra illud vel similia cautum esse exopto.
Novit sapientia vestra, et ex Scriptura sancta fre-
quenter recitat, homines in corde et corde loquen-
tes: *Qui exacerunt ut gladium linguas suas* (Psal.
LXIII); et ut rursus idem qui hæc protulit ait: *Acu-
erunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum
sub labiis eorum* (Psal. CXXXIX). Hos plane, hos
tales, magnis hominibus, in magnis occupatis
sæpe subripere solere, et pro veris falsa, pro anti-
doto venenum frequenter ingerere. De talium nu-
mero illi fuerunt, qui mentiri non metuentes, auri-
bus sanctitatis vestræ tantum mendacii prodigium
infuderunt, ut dicerent, et frequentes ad vos que-
rimonias deferrent; quod dominus Viennensis ar-
chiepiscopus Cluniacenses monachos nequaquam
protegeret, sed impugnaret: et unde memorabili
et amplectendo verbo vestro longe positi supplica-
mus, quos propensius diligere deberet, nihilominus
inquietaret. De his ergo ista vobis suggerentibus
quid dicam? Quid dicam, nisi quod Psalmus, cujus
sententias supra tetigi, dicit: *Vana locuti sunt,
unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in
corde et corde locuti sunt* (Psal. XI). Quid dicam,
nisi quod et alibi idem horum prolator ait: *Mentita
est iniquitas sibi* (Psal. XXVI). Novit Pater, ut
credo, filii cor; novit si recordatur, quæ ei Antis-
iodori, vel apud Barum secreto suggesti, quod
pene idem esset, quantum in libro conscientiæ
meæ legere poteram, vobis mentiri quod mori.
Unde sciatis me vera dicere, et vobis sicut coram
Deo in Christo loqui: quod manus domini Vien-
nensis, in quantum recolere possum, mundæ sunt
a sanguine omnium Cluniacensium; et juxta quod
sentio, nisi forte quod non puto fallar, innocens
est ab omni Cluniacensi noxa, ex quo Viennensis
patriarcha factus est, non solum opere, sed etiam
verbo. Si quis ergo ei derogare voluerit, et aliquid
de apostolici amoris gratia diminuere, quærat alios,
quorum prætextu vel occasione hoc faciat, quam

ANDREÆ CHESNI NOTÆ.

(170) Fratrem regis. Henricum de quo supra.

(171) Philippum Leodiensem. Qui postea fuit prior
Clarevallis, ut epist. 37 infra scribitur.

(172) Galcherium cellararium. Cui scribitur et
infra epist. 38.

(175) HUGONI Viennensi archiepiscopo. Successit
hic Humberto primo, privilegiumque a Frederico
Romanorum imperatore pro Ecclesia Viennensi
impetravit anno 1155, quod exstat in Bibliotheca
Floriacensi.

nos; quærat alios quam Cluniacenses vestros, neque velamine falsitatis iniquitatem suam palliare contendat. Nam ut ista, de quibus, ut credo, sategi, dimittam, oro, Pater, ut tanto homini, tam probato, tantæ vitæ, tanti propositi, qui omnes pene dies suos a puero usque ad senium immolavit Deo, sicut omnibus bonis facitis, deferatis, et nullum contra ipsum, nisi de re comperita et probatissima audiatis.

EPISTOLA XI.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis fratrum Cluniacensium abbas, cum filiali amore debitam obedientiam.

Præsumens de pietate paterna, soleo vos sæpe, Pater, rogare pro aliis; sed nunc pro illo, qui mihi præ cunctis aliis cordi est, velut pro me altero, majestati apostolicæ supplico. Est autem hic dominus Jordanus, Casæ-Dei abbas. Commendam eum securius apud vos, quia commendabilis est, nisi notari timerem, quia frater est. Hoc tamen breviter et veraciter dico non eum egere commendatione mea apud vos, si mores ejus, si scientiam ejus, si famam ejus, vestra sapientia agnosceret, sicut agnoscimus nos. Adit præsentiam vestram, nullo, ut ab ipso accepi, negotio tractus, nisi sola causa videndi et visitandi vos. Suscipiat eum benigne, si placet, benignitas vestra, mihi non semel tantum experta; suscipiat et ego in ipso, si quem apud vos, quod non diffido, locum gratiæ habeo. Deleatur, si placet, si quid unquam nubium fuit adversus eum in mente vestra; et redeat ad eum illa, pro qua sola usque ad vos peregrinatur, gratia vestra. Quia pro ipso paucis supplico, credo quod non miramini. Caro enim et frater noster est.]

EPISTOLA XII.

Summo pontifici et nostro speciali Patri, domino papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis fratrum Cluniacensium abbas, cum sincero affectu devotam obedientiam.

Importunus quidem sæpe vobis scribendo sum, sed et ipsam importunitatem frequenter excusando, magis importunus esse formido. Quid igitur faciam? Si tacuero, mihi multisque nocebo. Si locutus fuero, fastidiosus, ut dixi, videbor. Sed de his duobus, alterum eligo. Malo vobis salva pietate paterna loquax vel nimius apparere, quam plurima vobis non celanda tacere. Non pertinet quidem quod dicturus sum, ad proprium negotium. Sed quomodo alienum est, quod vestrum quolibet modo est? Est autem vestrum, totius Ecclesiæ Dei in hac valle lacrymarum peregrinantis causas audire, auditas discutere, discussas iudicio apostolico diffinere. Et licet persona vestra constituta sit super gentes et regna, ut evellat et destruat, et disperdat et dissipet, et ædificet et plantet, tamen quia nec Deus, nec Jeremias propheta, cui hoc dictum est, estis, potestis falli, potestis ab

A his, qui ea quæ non Jesu Christi, sed quæ sua sunt quærunt, decipi. Hoc ne fieri possit, oportet ut fidelis, si quis fuerit, filius, quæ sibi nota, vobis forte ignota sunt, Patri fideliter pandat, et, ne hi de quibus legitur: *Venenum aspidum sub labiis eorum* (Psal. xiii), sinceritatem vestram toxico suo inficere valeant, modo quo potest præmuniat. Nam non est parvum Dei munus a talibus liberari, maxime cum Psalmus sollemnis dicat: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (Psal. cxix). Sed quid? Forte rursus nimis effluo, quod excusaveram adhuc incurro. Reprimo ergo stylum, et unde multa dicere voluissem, et, ut æstimo, debuissim, breviter dico ad quid ista præmisi. Una quidem causa est, sola tamen non est. Hanc ad præsens dicam, reliquas suo tempori reservabo. Carthusiensis ordinis et propositi instituta [quantum dilexerim, quantum diligam, quantum veneratus sim, quantum amplectar, noverunt multi: ego vero magis, Deus autem maxime.

Nam si mens mea me non fallit, si conscientia mea mihi quod verum est attestatur, si tandem vera est sententia divina, quæ dicit: *Nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* (I Cor. ii), agnosco me Carthusiensium a triginta jam fere annis, hoc est etiam antequam præesse inciperem, præ cunctis pene mortalibus amasse religionem, coluisse sinceritatem, amplexum esse veritatem. Intellexi, nec me falli putavi, cunctorum Latinorum institutis, eorum propositum præferendum, nec esse eos de illis, qui liquant culicem, et camelum glutiunt (Matth. xxiii): hoc est qui irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones hominum, et decimantes mentham et anethum, et cuminum (ibid.), et, juxta unum Evangelistam, omne olus (Luc. xi), dimittunt quæ sunt graviora legis, iudicium et misericordiam, et fidem. Non enim præcipue in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus vel similibus regnum Dei consistere putant, licet hæc discretive facta multum eidem regno Dei militent, sed in pietate illa de qua ait Apostolus: *Corporealis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ* (I Tim. iv). Epulantur vere sancti illi in mensa sapientiæ, deliciantur in ferculo veri Salomonis, non in superstitionibus, non in hypocrisi, non in vanitatibus, non in fermento malitiæ et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis (I Cor. v). Magni ergo sunt, amandi sunt, amplectendi sunt. Et quid dicam? Invitus profero quod sentio, ratione coactus dico quod nolo. Videor tangere arcam Dei, et eam manu præsumptuosa, ut quondam Oza bobus lascivientibus (II Reg. vi), sublevare. Sed non sum præsumptor, non sum, quantum ad hunc casum pertinet, dignus morte ut ille, quia securum me faciunt verba illius qui dixit: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (Luc. xi). Dicam ergo, nec jam ultra morabor. Audiat Pater æquo animo verba filii, nec in illis

aliquid vaftrum vel subdolum latere existimet. Ut enim aliis litteris sublimitati vestrae nuper mandasse memini, idem esset mihi vobis mentiri quod mori. In causa, de qua adhuc agitur, Gratianopolitanae electionis, videtur mihi, quod Carthusiensis ordinis serenam diem inopinus turbo infecerit, et splendorem hactenus crystallinum nubecula nescio unde exorta fuseaverit. Divisa est inter se, et quae usque ad haec tempora specialius aliis unum in Christo fuerat, hac de causa in invicem congregatio sancta compugnat. Hinc Carthusia (174), Excubiae, Durbonum (175), hinc Portae (176), Majorevum (177), Silva (178), Alverium (179), et si qua sunt alia ad sacrum illum ordinem pertinentia loca, velut diversos parietes statuunt, et tam hi quam illi se, juxta prophetam, pro domo Israel ascendere ex-adverso et stare in praelio in die Domini profitentur (Ezech. xiii). Dicunt hi, non debere electum episcopari, et causas quasdam, quas non est nunc meum dicere, praetendunt. E converso alii: Quid, inquit, ad vos ista? Carthusiensis ordinis institutio est, mala, si qua noverint, his, ad quos spectat, nota facere, non autem et litigare. Eorum est, simpliciter quod sentiunt dicere, non autem palatia ad causandum intrare. Non est eremi nostrae judiciis astare; non est eorum, qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores vel defensores existere. Nihil simplicitati nostrae cum astutia saeculari; nec decet ut qui in saeculo eremum elegimus, nunc de eremo ad

A saeculum redeamus. Quod si non decet ut illuc etiam tracti redeamus, decet ut sponte, cunctis nolentibus et reclamantibus, iudicium nos tribunalibus ingeramus? Haec est causa non quidem litis apertae, sed simultatis occultae sanctorum hominum: quae expressius nota Patri fieret, si majestati vestrae non solo scripto, sed et verbo mihi loqui liceret. Nam sunt quaedam, quae litteris tradere nolo: ea tamen quia scribere non fuit consilii, in ore dilecti fratris nostri et filii vestri Arnaldi vobis intimanda reposui.

EPISTOLA XIII.

Venerandis et dilectis fratribus nostris apud Lemovicis Deo et sancto Martiali ejus et suo apostolo servientibus (180), frater Petrus humilis fratrum Cluniacensium abbas, salutis, gratiae et benedictionis a Deo plenitudinem.

B Exsultavit cor meum in Domino, non quidem nunc videns, sed audiens conversationem vestram, et famam ordinis Deo et hominibus claram. Audivi hoc non modo tantum, sed et frequenter, ab his quibus non credi nefas esset, quia veraces sunt: et quos vestri actus sive boni, sive mali, latere non possent, quia proximi sunt. Gaudeo quidem et de omnibus, de quibus similia audio, sed de vobis ex parte magis, quia magis debeo. Sed dicet vestrum quislibet: Cur magis de nobis quam de aliis? Idcirco, charissimi, magis de vobis quam de quibusdam aliis, quia, juxta verba Petri apostoli: *Positi in medio nationis*

DREAE CHIESNII NOTAE.

(174) *Hinc Carthusia.* Major nempe, sita in monte Delphinatus prope Gratianopolim. Quem locum donante S. Hugone Gratianopolitano episcopo, incolere coepit S. Bruno cum sodalibus suis anno Christi 1084, ut in Historia Vitae ejus legitur apud Surium, die vi Octobr. Hujus loci prior totius ordinis Carthusiani princeps est, ibique etiam generales ordinis conventus quotannis celebrari solent.

(175) *Durbonum.* Domus *Durbonis*, sive ut alii scribunt *D'Urbonis*, est in provincia comitatus Provinciae, in tractu Massiliensi.

(176) *Portae.* Portarum Domus in provincia Burgundiae fundata fuit temporibus S. Bernardi Clarevall. abbatis, ut ex Petro Sutorio lib. ii de vita Carthus., tract. iii, cap. 5, et ex Chronico Carthus. Dorlandi lib. iv, caput 9, constat.

(177) *Majorevum.* Monasterium Majorevi in eadem exstat provincia, unumque est ex antiquissimis ordinis Carthus. coenobiis.

(178) *Sylva.* Domus ejusdem etiam provinciae, vulgo *Sylva Benedicta*.

(179) *Alverium.* Quod et *Arveriae* in plurali numero, in eadem quoque Burgundiae Provincia.

(180) *Fratribus nostris*, etc. Nam B. Martialis primus Lemovicensium episcopus apostolus pronuntiandus esset, late tractatum in concilio Lemovicensi sub Aymone Bituricensi archiepiscopo, tempore Roberti Francorum regis. Sed latius adhuc ac diligentius excutere promittit vir eruditionis eximiae Joannes Cordesius. Quare nunc in ea controversia ventilanda diutius non immorabimur. Addemus tantum, hujus S. Martialis coenobium, quod est apud Lemovicis, in iis etiam hoc tempore censitum, quae a Cluniacensibus abbatibus regebantur: illisque etiam nomine census quotannis

C centum libras Turon. persolvere solitum fuisse, quemadmodum Petrus tit. S. Marcelli presbyter cardinalis ab Innocentio IV, delegatus pro controversia Clun. abbatis cum abbate et conventu S. Martialis componenda judicavit anno 1246: «Abbas enim et conventus Cluniac. dicebant (ut est in ipsius Petri cardinalis litteris) monasterium Sancti Martialis, et ecclesias sibi subjectas esse sui ordinis, et ad suum monasterium nullo medio pertinere, et super institutione et destitutione prioris faciendi in ipso monasterio Sancti Martialis Lemovic. per ipsum abbatem Clun. et centum et quinquaginta libris Turon. quas dicti abbas et conventus Clun. a praedictis abbate et conventu Sancti Martialis Lemovic. et ab eorum monasteriis pro annuo reddito in perpetuum petebant annuatim; ad hoc abbate et conventu Sancti Martialis in contrarium asserentibus non teneri, etc. Nos autem, inquit Petrus, affectantes bonum pacis, et altercationum materiam amputare volentes, ut a lite et controversiis penitus discedatur, ita pronuntiamus, judicando, arbitrando, diffiniendo, statuendo, et amicabilem componendo inter partes, monasterio Cluniacensi centum libr. Tur. annui redditus in perpetuum in monasterio sancti Martialis Lemovic. assignamus, ad hoc sententialiter condemnantes quod reddat et persolvat dictas centum libras Turon. Parisius in monasterio Sancti Martini de Campis Clun. ordinis in perpetuum annis singulis, in crastino Purif. B. Mariae Virg. priori Sancti Martini de Campis Paris. nomine abbatis Clun. vel alii, qui mandatum abbatis Clun. super hoc ostenderit speciale, qui litteras solutionis factae dabit postquam dicta pecunia integraliter fuerit persoluta, etc. Actum anno Domini 1246, indict. v, xii Kal. Decembr., pontificatus Innocentii papae IV anno IV.»

pravæ et perversæ (Philipp. II), lucetis bono exemplo vestro sicut luminaria in mundo, incolitis terram Hus, nec sectamini terræ vitia. Nam, ut opinio mea fert, a Cluniaco nostra usque ad Pyrenæos illos, qui Gallos ab Iberis dividunt, nullum Cluniacensis vel cujuslibet antiqui ordinis monasterium novi, ubi tam firmiter, tam constanter, tam inconcusse, traditus a Patribus ordo hucusque viguerit, et inter frementes Lemovicini territorii bestias earumque feroces rictus indefesse instituta servaverit. Ea de causa, ut dixi, de bono nomine vestro, magis quam de quorundam aliorum gaudeo. Ut enim doctor ille, quem nostis, Ecclesiæ dicit: *Magnum est esse bonum inter bonos; sed longe majus est esse bonum inter malos.* Præter hæc, ut nobis sæpe referunt qui hoc experiuntur, monstratis non verbis tantum, sed rebus, non affectibus solum, sed effectibus, non esse vos oblitos Cluniacensis lactis, quo in Dei timore et servitio educati estis, quando fratres nostros ac vestros ad vos pene assidue venientes, tam devote suscipitis, quando eis tam affectuose servitis. A multis hæc audivimus, sed nunc specialius a dilecto filio nostro Rannulfo priore vestro, qui et plus quam nunc dicere velimus boni, nobis vestrisque de vobis retulit, et se causa Dei nostrique multum a vobis diligere affirmavit. Quem, si in Deo diligentes diligendi sunt, non vos poeniteat dilexisse, qui dilectionem suam erga vos, quando nobiscum est, non cessat quibus potest modis ostendere. De cætero, charissimi, sincero affectu precor ac moneo vos in Domino, ut bona, quæ de vobis dicuntur, melioribus incrementis adaugere curetis, quia nunquam servis Dei deesse debet affectus proficiendi, quos semper sollicitos in Dei opere reddere debet timor deficiendi. Nam, ut magnus Leo papa ait, humanus animus sicut semper potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Pudeat vos vestrique ordinis omnes, in religionis monasticæ observantia quibuslibet novis inferiores videri, ne, contra Domini verba, sit (quod absit!) discipulus super magistrum (*Matth. x*); ne de fonte vestro aliis haurientibus, vos sitiatis, ne, de mensa vestra aliis saturis, vos jejuni permaneatis. Nostis enim quod fere quidquid religiosi propositi nostri sæculi novi homines habere videntur, a vobis principium sumpsit, a vobis materiam formamque suscepit. Currite igitur non segnius quibuslibet viam mandatorum Dei. Nemo vos in currendo præveniat; nemo bravium bene currentibus propositum vobis subripiat: hocque tam instanter, ut ait Apostolus: *Sic currite, ut comprehendatis* (*I Cor. ix*). Paci præcipue et obedientiæ opera date, ut, tam in his quam in aliis sacrarum virtutum exercitiis, vobis desudantibus, videant sæculares opera vestra, et glorificent Patrem qui in coelis est (*Matth. v*). Orantem pro me et pro tota Cluniacensi Ecclesia vel eongregatione, charitatem vestram omnipotens Salvator exaudiat, et actus vestros, mores et vitam in beneplacito suo, quod est salus sempiterna, componat.

EPISTOLA XIV.

Dilecto germano, imo filio EUSTACHIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem præsentem et æternam, quam mihi.

Gaudeo, nec gaudium meum ore explico quod cum te unicum, quantum ad sæculum pertinet, carnis meæ fratrem habeam, Deum te timere, Deum revereri, Deum te diligere agnosco. Et quod majus esse posset gaudium animæ meæ? Video undique mundum furentem, video Satanam mundi principem, de mortalibus sicut de avibus ludentem, video eum quotidie, imo assidue, miserrimas animas et flammis ultricibus in æternum pabulum datas ad inferos rapientem. Cerno eum et juxta te, et longe a te, vel gladio, vel peste, vel subita morte, vel quolibet diabolici laquei dolo tot sibi humanarum animarum millia vindicare, ut de illis Christus Salvator et Deus noster dicat: *Multi vocati, pauci electi* (*Matth. xxii*); et in simili causa: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam* (*Luc. xiv*). At cum ista a Domino meo audiam, et te tot tantisque malis undique circumseptum agnoscam, non debeo lætari si te timor Dei et studium salvandæ animæ tuæ a perditis et perdendis hominibus secernit, et salvatis vel salvandis suorum militum castris adjungit? Quod si te ad ista egerent vel rei familiaris defectus, vel hostium contra te pugnantium profectus, vel fortunæ, ut sic loquar, prosperitati tuæ invidentis temeritas, gauderem quidem esse te de illorum numero, de quibus jam dictus Salvator sub similitudine dicit: *Vade in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea* (*ibid.*). Nunc vero cum te mundanis bonis, et cunctis, quæ pleno copia cornu plerisque mortalium infundere solet, circumflui videam, et nihil pene de concupitis deesse, longe magis exulto, longe amplius gaudeo, quod animum tuum ad res divinas trahit non temporalium rerum defectus, sed æternarum a Deo conceptus affectus. Fuisti quidem, sed auxilio misericordiæ Dei jam in laboribus hominum non es, neque cum impiis flagellaris, nec tamen ideo tenuit te superbia, nec opertus es iniquitate et impietate tua. Unde, ut jam dixi, nimium nimiumque lætor quod prosperitatis laqueus, qui fortes atque constantes in salutis proposito mentes frequenter irretire solet, nodos suos, ne te caperet, ex parte explicuit; et quod istud non ex parte, sed ex toto (quandoque fieri possit, si Deus juverit), spem mihi tuisque certissimam dedit. Sed ut ad rem, pro qua scribere cœpi, veniam, placeat mihi, et hoc multum, quod clerici, de quo scripsisti, somnium ne spreveris, et quod te ad Dei timorem, hac quantalibet præstita occasione, exauceris. Nam licet somnia sæpe vana sint, ita ut de eis Scriptura Christiana dicat: *Non augurabimini, nec observabitis somnia* (*Levit. xix*); et rursus alia: *Multas curas sequuntur somnia* (*Eccle. v*); itemque illa Sapientis: *Somnia ne cures* (*Jer. xxix*), non tamen idcirco universa somnia contemnenda sunt,

quoniam ex eorum significatis effectibus vera sæpe fuisse probata sunt. Habet Ecclesia Dei in libris divinis septem crassas boves Pharaonis septemque macras, septem spicas uberes septemque steriles præsignasse septem annos Ægyptiacæ fertilitatis septemque sterilitatis (*Gen. xvi*). Habet et subcinericium panem visum in somno Gedeoni, hoc est, eundem Gedeonem devolutum in maxima castra Madian, ea Dei virtute cum solis trecentis militibus occupasse, ipsaque usque ad extrema delesse (*Jud. vi*). Habet et longe ante in eodem eptatico, in somnis Joseph apparuisse, velut messis tempore manipulos fratrum adorare manipulum ejus, rursumque solem et lunam, ac undecim stellas, adorare seipsum (*Gen. xxxvii*). Idem in Daniele, tam de ipsius Danielis quam de regis Nabuchodonosor somniis quod futura pronuntiarent, ostendit (*Dan. ii et vii*). Sed et in Evangelio, de justo Joseph sponso sanctæ Virginis matris Domini, quod ei angelus Domini cogitanti dimittere eandem matrem Domini in somnis apparuerit, quod ne dimitteret prohibuerit (*Matth. i*), quod in Ægyptum eam cum filio duci ac reduci (*Matth. ii*), in somnis præceperit, magnifica illa et cœlestis Scriptura testatur. Ad quid ista, charissime? Ut intelligas, nec semper esse sequenda somnia, nec semper spernenda. Unde est, et breve quod moneo, ut sive vera sunt quæ a somni auctore feruntur, sive falsa, sive portendant aliquid, sive non, utaris vel veritate, vel falsitate relatoris sapienter, hoc est ut et de præteritis offensis digne Deo pro posse satisfacias, et ne satisfactionem tuam mala quælibet, maxime crimina impediunt, studio toto præcaveas. Non autem hæc dico, quod aliquem tuarum partium nobilem, quantum ad hominem adhuc vinculis sæculi retentum pertinere potest, in bonis studiis (ut a multis accepi) præponam; sed quia novi quod quanto fueris cautior, tanto eris melior. Nam si visio, quam priori fratri tuo scripsisti, vera est, et aliquid significans, aut forte vera et nihil præsignans, non invenieris apud Deum contemptor verorum, sicut inventus est rex Sedechias, qui libro misso sibi a Jeremia propheta, in quo multæ minæ adversus eum continebantur, non solum territus non est, nec mandatis Dei per prophetam sibi missis paruit, sed librum eundem scappello scribæ, quod casu occurrit, discidit, et in arula prunis plena projectum incendit (*Jer. xxxvi*). Unde ea de causa brevi tempore post ab hostibus captus est, et avulsis oculis in Babylonem ductus, sub dirâ captivitate tandem mortuus est. Si vero relator jam dicti somni, qualibet intentione mentitus est (pravum est enim, ut Scriptura ait, cor hominis et inscrutabile [*Jer. xvii*]), si, inquam, mentitus est, et ut olim falsi prophetæ, quos Deus voce eorum deridendo assumpta, dicit: *Somniavi, somniavi* (*Jer. xxiii*), falsa confinxit, etiam de falsitate ipsa proficies, quando in cunctis actibus tuis hac occasione, ut dixi, cautior fies. Multi enim reverentia pseudoprophetæ, vel mendaces somniorum

A relatores olim mentiti sunt. Contra quos Deus: *Væ his qui prophetant de corde suo!* (*Ezech. xiii*). Et rursum alio in loco: *Si quis non dederit in manibus eorum aliquid, sanctificant super eum bellum* (*Mich. iii*). Quorum relationibus si modo quo dixi usus fueris, prodesse tibi multum poterunt, obesse nihil. Age ergo jam, unica spes et pene sola generis nostri, ut sicut strenuus et prudens in sæculo diceris, sic tandem non inferioris strenuitatis, non minoris potentia, in Deo dicaris. Diffusius loquerer, et multa, quæ penetrabilibus cordis refineo, in aures tuas infunderem, nisi me tibi ore ad os in proximo loqui, hoc est ante Dominicum Pascha, sperarem. Hoc quia spero, finem nunc loquendi facio. Dominus tecum.

B EPISTOLA XV.

Venerandis et dilectis fratribus nostris, tam Prioribus quam Custodibus Ordinis, ubicunque constitutis, Frater PETRUS humilis Cluniacensis abbas, salutem, et ab auctore gratiarum gratiam et benedictionem.

Loquar, an sileam? Aperiam labia, an claudam? Si de illis esse voluero, de quibus dicitur: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* (*Isa. iii*), et de quibus irrisorie Scriptura sancta voce stulti populi loquitur: *Loquimini nobis placentia, videte nobis visiones* (*Isa. xxx*); vel de his de quibus rursum ait: *Canes multi, non valentes latrare* (*Isa. lvi*), aut adularum vobis, aut tacebo. Si adulatus fuero, væ illud propheticum incurram, quod in Isaia legitur: *Væ his qui dicunt bonum malum et malum bonum, dicentes tenebras lucem et lucem tenebras, vertentes amarum in dulce et dulce in amarum!* (*Isa. v*). Si tacuero, formido et illud: *Si non annuntiaveritis iniquo iniquitatem suam, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech. iii*). Et illud: *Væ mihi quia tacui!* (*Isa. vi*). Nec adulari ergo vobis, nec tacere disposui. Utrumque enim, quantum ad id quod dicere intendo, æque periculosum est. Restat igitur de duobus, quæ præmisi, alterum, hoc est, non ut sileam, sed ut loquar. Et quid dico quia restat ut loquar? Imo, ut et loquar, et clamem: *Clama, inquit, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa. lviii*), et reliqua quæ nostis. Loquor ergo et clamo, et ut ipsi, qui præestis aliis, hæc loquamini, et inclametis, admoneo. Nam nec in modico minus vobis quam mihi, si taceritis, formidandum est, cum sciatis vos vocatos, etsi non in plenitudinem potestatis, tamen in partem sollicitudinis. Et ne ultra quæ dicenda sunt differam, relatum est mihi, et hoc non a vilibus vel levibus personis (quod non absque intimo cordis mœrore dico) nullam jam distantiam esse, quantum ad esum carniæ pertinet, inter fratres nostros et laicos, inter sæculares et religiosos, imo, ut expressius loquar, inter scurras et monachos. Dixi nullam distantiam esse inter hos et illos; sed multa, heu! perverso ordine est. Abstinent causa Dei

ipsi mimi vel lixæ a carnibus omni Sabbato, abstinent insuper plerique laicorum omni quarta, abstinent quidam ex ipsis etiam omni secunda feria. At fratres nostri, sancti ordinis, coelestis propositi, monachi, et hoc Cluniacenses, spreto Deo, abstracto pudore, totum, ut dicitur, annum, nulla præter sextam excepta feria, in absumendis carnibus continuant, nec hoc saltem occulte, sed palam et publice facientes, peccatum suum, juxta prophetam, quasi Sodoma prædicant (*Isa. III*). Discurrunt de locis ad loca, et ut milvi aut vultures, ubi vel fumum coquinarum viderint, vel nidorem assæ vel ustæ carnis naribus hauserint, celeriter advolant. Et quia ab ista videntibus pravo eorum exemplo sacer ordo blasphematur, ore illorum nomen Domini ipsi blasphemant. *Væ*, ait Scriptura sancta, *his per quos nomen Domini blasphematur!* (*Isa. LII*.) Deridetur jam a talibus, si quis timore Dei ductus, a tali esu abstinere voluerit, et hypocrita, simulator, ac profanus vocatur. Reputatur ab eis sicut ethnicus et publicanus; cavendum esse ab illo, sicut ab hoste publico, prædicant. Faba, caseus, ova, ipsi etiam pisces, jam in nauseam versi sunt. Solæ ollæ Ægyptiorum placent. Assus aut elixus porcus, juvenca pinguis, ciro grillus et lepus, anser ex anserum grege electus, gallinæ, et prorsus omne quadrupès, aut volatile domesticum, sanctorum monachorum mensas operiunt. Sed viluerunt jam et ista. Assiduitas multa fastidium ingessit. Ad regales et peregrinas delicias transitus factus est: satur monachus, jam non nisi caprea, cervo, apro, vel urso agresti vesci potest. Lustranda sunt nemora, venatoribus opus est. Aucupum arte phasiani, perdices, turtures capiendi sunt, ne servus Dei fame pereat. Providendum sollicite ut, quia aliter vivere non potest, ejus omnino desideriis satisfiat.

Quid ergo restat, quando quidem non nisi sexta feria per omnem hebdomadam ab his epulis excipitur, addatur et ipsa, nec illa Christianorum Quadragesima convivia continuata interpolet? Abscedant de medio veris, æstatis, autumnii et hiemis jejunia. Totus et integer annus epulis et gaudiis continuetur, ne forte talium hominum Deus offendatur, de quo et de quibus Apostolus ait: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusionem ipsorum* (*Philipp. III*). Utquid enim hujusmodi monachi absque fructu fatigantur? Utquid absque spe mercedis, sexta feria, Quadragesima, vel reliquis jam dictis diebus, a carnibus abstinent? Quæ enim eis mercedis spes superesse potest, qui non sponte, sed invitati, non voluntarii, sed coacti sanctis illis diebus a carnibus abstinere videntur? Nullus enim, nullus, inquam, mihi persuadet, tales illis diebus, si impune liceret, velle a carnibus abstinere. Relinquant ergo quod invitati faciunt, et sicut a pane illo alieni, de quo in Evangelio legitur: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* (*Luc. XIV*), et sicut a mensa illa extorres, de qua Christus: *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc. XXII*), non

amittant interim carnes porcinas, non vaccinas, non quaslibet alias, ipsa sexta feria vel Quadragesima. Totus, ut jam dixi, et integer annus in gaudio et epulis continuetur, ut moeror et tormenta his epulonibus per sæcula perpetuentur. Non sufficiunt jam, ut a quibusdam nostris et fide dignis accepti, prædia Cluniacensia mensis et convivii prodigiorum nostrorum, in tantum, ut si carnibus et volis eorum devotus minister voluerit satisfacere, terras ipsas et prædia necesse sit vendere. Et, o quicumque es salium conviviorum carnifex, hoccine est, quod monachum profitens, Deo vovisti? Hoccine est, quod coram abbate tuo et fratribus promisisti? Hoccine est Regula, secundum quam te vivere spondidisti? Videamus, videamus, ipsa Regula in medium adducatur, et utrum profitens quod de carnibus profitetur teneat, agnoscat. *Carnium, inquit, quadrupedum omnino ab omnibus abstinere comestio, præter omnino debiles et ægrotos. Et in alio loco: Carnium esus, infirmis quoties expedit offeratur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant.* Quid dicis? Monachus sum. Et o utinam! Si ergo monachus es, ubi est hoc quod professus es? Professus es certe obedientiam secundum Regulam sancti Benedicti. Hæc sunt autem de hoc capitulo verba Regulæ quæ audisti. Quid igitur prævaricaris? Quid Deo mentiris? Quid teipsum fallis? Verba tua te condemnant, de ore tuo ut servum nequam te judicant (*Luc. XIX*). Chirographum quod scripsisti homines servant, angeli retinent, proponendum tibi in die magni judicii Dei ante tribunal summi et veri judicis Jesu Christi: proponendum, inquam, et legendum, sive ad vitam, sive ad mortem. Et ne tibi recurrere liceat ad id quod soles, ut dicas et hoc capitulum, sicut et alia quædam, a sanctis quibusdam Patribus certa ratione mutatum, respondeo: Aliter est. Si enim de novitiis suscipiendis, si de opere manuum, si de vestibus et quibusdam similibus, a bonis Patribus post sanctum Benedictum, mutatum est, non dubia, sed certa et rationabili causa factum est. Et causa vel ratio, quia bis a me in duabus epistolis, olim Domino abbati Clarevallensi directis, studiose descripta est, hic iterare superfluum judico. Si adeo studiosus fueris, ibi plene reperies. At hujus capituli prævaricatio, qua ratione excusabitur? Qua causa sospes et integris viribus monachus carnibus utens, reus non esse monstrabitur? Dic si quid habes, et aliqua vera vel verisimilis ratio est, carnes tibi, si potes, vindica. Non habes, non habes, inquam, ut aestimo, quid dicas. Non habes plane, unde perjurii nævum, ne dicam noxam, expurges. Obviat Regula, contradicit justitia. Et quid dico? Sileat interim Regula.

Veniat post magnum Benedictum et ejus discipulum Maurum summus ordinis monastici in Gallis reparator, præcipuus Regulæ reformator Odo: Odo, inquam, primus Cluniacensis ordinis Pater, qui emortuum jam et pene ubique sepultum monastici propositi fervorem resuscitare summo conamine

aggressus est. Defecerat suo tempore sanctus, dimi-
nutæ erant veritates a filiis hominum : in cunctis
pene Europæ nostræ finibus, de monacho præter
tonsuram et habitum nihil. Institit ille divino operi
pene tunc solus, et Cluniaci prima jaciens funda-
menta, post huc illucque religionis semina, quædiu
advixit, serere non cessavit. Ille ergo, o frater, pri-
mus tuus Pater, quid de carniû capitulo sensit?
quid dixit? quid scripsit? Consule librum ejus, re-
lege verba ejus. Invenies inter alia, ad terrorem ta-
lium, illum scripsisse quemdam illius corrupti tem-
poris monachum, quadam die, mane ad domum pa-
rentum suorum venisse, et ut sibi refectio pararetur
quæsisse. Cumque parentes respondissent habere se
pisces in promptu, indignatus ille ad nomen pis-
cium, fustem quam forte manu tenebat, gallinam
prope astantem percussit, et dixit : *Cur pisces vos
habere dicitis? Hæc plane, hæc hodie mihi piscis erit.*
Erubescerent illi ad verba inipudentis hominis,
gallinam a monacho ad esum percussam festinanter
præparant, igni admovent, assare incipiunt. Cum-
que diutius assaretur, ille gula instigante impa-
tiens, et velut actus furia, gallinam invadit, offam
extrahit, ori injicit. Quam statim attritam dum tra-
jicere conatus esset, non potuit, cum rejicere, nec
illud prævaluit. Accurunt omnes, conclamant undi-
que, frequentes ictus collo patientis ingeminant;
ut mortis esca rejici posset, toto studio et conatu
laborat. Sed nequidquam. Ita via gutturis obturata,
spiritu vitali præcluso, monachus ille nec confiteri
peccata, nec escam salutarem, hoc est corpus Chri-
sti, obstante mortifero cibo, sumere prævalens, in
momento exstinctus est. Sic tam terribili morte
præventus, horrendum esse incidere in manus Dei
viventis præsentis et posteros docuit, et esum car-
niû ad fortes et incolumes monachos non perti-
nere lucide demonstravit. Hæc est certe, Cluniacen.
frater, primi et sancti Patris tui Odonis de carni-
bus monachorum sententia, hæc doctrina. Sed ne
forte dicas, in uno tantum monacho eum hoc vi-
tium condemnare; recole Vitæ ipsius historiam,
et quanto studio monachos Sancti Benedicti super
Ligerim sibi commissos a carnibus edendis cohi-
buerit ad mentem revoca. Nam sic ibi legitur : *His
præterea diebus cæpit eis persuadere ut ab esu car-
niû recederent, parce viverent, nihilque proprium
possiderent.* Et post quædam : *At fratres illi, id ip-
sum, cui abrenuntiaverant, moliebantur mandendo
consumere, cum cæteris quæ Pater noster secum de-
tulerat, ut consumptis omnibus, saltem invitus car-
nem eis edendam concederet. Qua de re indesinenter
expetebant pisces. Econtra pius Pater cuncta illis
impendebat competentia, ut ab uno eos cohiberet.* A
quo uno! A carne utique edenda. Hæc est, inquam,
ut dixi, si Cluniacensis es, doctrina Patris tui, hoc
ejus exemplum, hoc ejus præceptum.

Aut ergo nega eum Patrem tuum, et comede car-
nes tuas, aut confitère, et abstine a carnibus non
tuis. Dico eas non tuas, si monachus et sanus es.

A Et quid dico, si monachus et sanus es? Plus aliquid di-
cam : Vide quantum condemnari debeat esus carniû
in monachis, cum severissime a Deo condemnatus
fuerit, etiam in Judæis. Dicebant illi : *Quis dabit
nobis ad vescendum carnes? Anima nostra arida est.
Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man (Num.
xi).* Et quid post? *Iratus est,* ait Scriptura sancta,
*furor Domini valde. Sed et Moysi intolerabilis res visa
est (ibid.).* Quod si Deus iratus est, si Moysi intole-
rabilis res visa est, quia desiderabat carnem Judæus,
nunquid Deo placere potest, nunquid res tolerabilis
est, quando contra votum suum comedit carnem
monachus? Sed audi formidabile judicium Dei.
Licet Deus eam de causa iratus fuerit, licet murmur
illud Moysi intolerabile visum fuerit, satisfactum est
tamen Judaicæ concupiscentiæ, ut adepti quod male
cupierant punirentur, et implerentur in eis tor-
menta illa sententia qua dicitur : *Dimisi eos secun-
dum desideria cordis sui, ibunt in adinventionibus
suis (Psal. LXXX).* Sic plane, sic factum est : *Con-
cupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt
Deum in iniquo. Et dedit eis petitionem ipsorum,
et misit saturitatem in animas eorum (Psal. CV).* Nam
sic eis dictum est : *Sanctificamini, cras comedetis
carnes. Ego enim,* ait Deus, *audivi vos dicere. Quis
dabit nobis escas carniû? Bene nobis erat in Ægy-
pto. Ut det vobis Dominus carnes, et comedatis, non
uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec
viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec
exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam : eo
quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est
(Num. xi).* Ecce impletum est quod concupierant.
Comederunt, et perierunt. Audi Moysen : *Adhuc
carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat cibus
hujusmodi, et ecce furor Domini concitatus in po-
pulum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque
est locus ille, sepulcra concupiscentiæ. Ibi enim sepe-
lierunt populum, qui desideraverat carnes (ibid.).*
Audi et David : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipso-
rum, et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues
eorum, et electos Israel impedivit (Psal. LXXVII).*
Quid evidentius? Quid terribilius? Audi, corvine
monache; nec irascaris quia te sic nomino. In quo
enim differs a corvo, in quo a vulture, in quo ab
urso, in quo a lupo? Inhiant volucres illæ aut feræ
sanguineis dapibus; nec dies a diebus, nec horas
ab horis in vescendo discernunt. Sic, ut video, et
tu, qui, ut supra scripsi, nullum tempus, nullam
diem, nisi quando vi cogeris, a tali esu vacare per-
mittis. Audi, adverte, intellige Judæos, in quos tam
dire ultus est Deus carniû concupiscentiam, ne-
quaquam prius vovisse Deo carniû abstinentiam.
Qui licet nihil Deo tale voverint, nihil promiserint,
tamen quia concupierunt, quia murmuraverunt,
quia comederunt, ira Dei ascendit super eos, electi
Israel impediti sunt, innumeri interfecti sunt, in
sepulcris concupiscentiæ, quia carnes concupierant,
sepulti sunt (Psal. LXXVII). At tu qui ob majus me-
ritum, in cælo reponendum, ne carnem sanus co-

mederes Deo vovisti, cujus vox pene assidue coram A Deo Propheta resonat, eique audacter promittit: *Reddā tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea (Psal. LXV)*, cum pene quotidie inquit cum Deo pactum irritum facias, impunitus evades? Vis, imo exigis tibi reddi, quod tibi promittitur a proximo, et putas a Deo non exigi quod promittitur Deo? Tacet quidem nunc, sed, ut ipse loquitur, nunquid semper tacebit? Plane quandoque sicut parturiens loquetur, plane, ut se habent verba ejus, *vociferabitur, et clamabit, et super inimicos suos confortabitur (Isa. XLII)*. Exiget quia prævaricatus es, exiget quia mentitus es, nec dimittet aliquid usque ad ultimum quadrantem.

Terreant ergo te tot ista, et si nondum a facie Dei projectus es, time quod audis, nec vana vel B ludicra putes, quia quod nullus unquam mortalium potuit, nec tu, ut credo, poteris effugere iudicium Dei (*Rom. II*). Hæc verba non sunt mea, sed Apostoli, imo ipsius, qui in Apostolo loquitur, Christi. *Statue*, ut ait Salomon, *quando ad mensam accedis, statue, inquam, cultrum in gutture tuo (Prov. XXIII)*, confige timore Dei carnes tuas, coge illas abstinere a carnibus non tuis. Pomo (quod minus est), non carne, periit et perdidit orbem parens carnis humanæ. Quæ culpa quanta fuerit, etiam parum advertens agnoscit. Nam nisi primus in esu illo reatus fuisset, non tanta Dei Filius ad illum expiandum in assumpta carne tulisset. Sed quid exemplis immoror? Innumera sunt Scripturæ sanctæ testimonia, quæ gulæ intemperiam damnant, quæ quanta inde C mala sequantur demonstrant: quæ quibuslibet Christianis, ne dicam monachis, omnino cavendam esse prædicant. Unde qui supra Apostolus: *Non in comessationibus, ebrietatibus (Rom. XIII)*. Qui et ostendens, quid inde sequatur, subdit: *Non in cubilibus et impudiciis (ibid.)*. Sed forte oppones mihi hædos Isaac, quibus saturatus benedixit filio (*Gen. XXVII*). Objicies forsitan et corvos Eliæ, de quibus legitur quia deferebant ei panes et carnes mane, et panes et carnes vespere (*III Reg. XVII*). Ast ego, licet tu patriarcha non sis, libens tibi concedo hædos patriarchæ, si tamen jam satus, benedictiones, quas ille filio, tu mihi quoque dederis. Nec carnes Eliæ abnuam, si vel tu propheta fueris, vel a corvis allatas carnes susceperis. Sed ne nimius in loquendo videar, jam verba finio. Ad quid enim ea ultra producerem? Si te ista non terrent, nec plura, ut puto, terrerent. Si te ista non corrigunt, nec, ut æstimo, majora corrigerent. Det ergo Deus ut tibi quæ dicta sunt prosint. Quod si tibi non profuerint, mihi saltem proderunt. Dicam enim Deo, quod Pater Benedictus contemptos a subditis magistros dicturos perhibet. Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, et salutare tuum dixi. Ipsi autem contemnentes, spreverunt me.

EPISTOLA XVI.

Magnifico principi, domino ROTGERO regi Siciliae, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem præsentem et regnum sempiternum.

Quantum sublimitatem vestram diligamus, quantum actus vestros prosperari, et in Domino, et in sæculo velimus, novit ille qui novit omnia. Audientes obitum filiorum vestrorum valde doluimus, et tam pro sospitate vestra, quam pro animabus illorum, missas celebrari, orationes ad Deum fundi, eleemosynas fieri, in conventu nostro præcepimus. Non solum autem nunc, sed et sæpe diebus solemnibus, et majoribus capitulis nostris, inter alios reges, amicos et benefactores nostros, vestri memoriam frequentamus. De cætero notum facimus regiæ magnitudini vestræ, nos multum dolere de inimicitis, quæ inter vos et dominum regem Theutonicorum, seu imperatorem Romanorum versantur. Multum enim, tam ego quam multi alii, discordiam illam sentimus obesse regnis Latinis et Christianæ fidei propagationi. Nam cum multa, sicut frequenter audivimus, augmenta Ecclesiæ Dei, bellicæ virtute vestra de terris inimicorum Dei, hoc est, Saracenorum, proveniant, longe, ut credimus, majora provenirent, si firma pax et concordia vos et regem supradictum unirent. Est et aliud quod longe magis accendit animos nostros, et animos pene omnium Gallorum nostrorum, ad amandam et quærendam pacem vestram, illa scilicet pessima, inaudita et lamentabilis Græcorum, et nequam regis eorum de peregrinis nostris, hoc est exercitu Dei viventis, facta proditio. Ut enim juxta quod in mente mea video loquar, si necesse esset, quantum ad monachum pertinere potest, non recusarem mori, si mortem tantorum, tam nobilium, imo pene totius Galliæ et Germaniæ miserabili fraude extinctum florem, justitia Dei per aliquem suorum dignaretur ulcisci. Neminem vero sub cælo principum Christianorum video, per quem tam bene, tam congrue, tam efficaciter, sicut per vos, opus hoc tam sacrum, tam cælo et terræ optabile, posset impleri. Nam per gratiam Dei, quod non adulans dico, juxta quod ex præteritis operibus vestris, et ex verbis multorum conjicio, ad tantum bonum istud perficiendum, aliis principibus, et animo sagacior, et opibus ditior, et virtute exercitior, et ipso insuper loco propinquior estis. Exsurge igitur, bone princeps: quod voce quidem meæ, sed tam meis quam omnium votis dico. Exsurge in adjutorium populo Dei, zelare sicut Machabæi legem Dei, ulciscere tot opprobria, tot injurias, tot mortes, tantum tam impie effusum sanguinem exercitus Dei. Paratus sum ego pro jam dicta pacis causa, mox ut se opportunitas præbuerit, imperatorem supradictum adire, et adhibitis mecum quos potero, totis viribus, omni studio, de pace tam Deo amabili, inter vos et ipsum reformanda et confirmanda tractare. Rescribam Deo volente vobis statim post colloquium quod invenero, et cuncta vobis litteris patefaciam.

EPISTOLA XVII.

Amantissimo Patri, PETRO Dei gratia venerabili Cluniacensi abbati, frater BERNARDUS de Claravalle, salutem, et quas potest orationes in Domino.

Gravem nimis ac miserabilem Orientalis Ecclesiae gemitum, etc. *Vide inter epistolas S. Bernardi, Patrologiae, tom. CLXXXII.*

EPISTOLA XVIII.

Venerabili, et praeclaræ Ecclesiae Dei lucernæ, totisque charitatis brachiis amplectendo, domno BERNARDO abbati Clarævallis, frater PETRUS, humilis Cluniacensis abbas, salutem ac se totum.

Litteræ, quas mihi sanctitas vestra misit, licet earum materiam prius ex parte non ignorarem, moverunt me, et multum, ut dignum erat, moverunt. Quem enim Christianum, in Christo suo aliquam spem habentem, fama tam lamentabilis non moveret, qua, ut ex litteris etiam domini abbatis S. Dionysii comperi, jam pene ubique divulgatum est fratres Templi, regem Jerosolymitanum, ipsam insuper Dominicam ac salvatricem crucem, in urbe Antiochena cum aliis multis obsessos, ac, nisi manus Domini in brachio extento cito succurrat, omnes in brevi captivandos? Quem non moveat, ne forte terra illa sancta, a jugo impiorum tantis Patrum laboribus, tanto Christicolarum sanguine, ante non multum temporis eruta, rursus impiis et blasphemis subdatur? Quem non moveat, si tam salubris peccatorum poenitentium via, quæ, ut dignum est credere, innumera peregrinantium millia, a quinquaginta jam annis, inferis abstulit, cœlo restituit, nequam Sarracenorum obice obstante claudatur? Absit, absit, inquam, quod adeo in Christianos suos, in populum acquisitionis, cœlestis ira desæviat, ut noviter inflicto, et adhuc calenti vulnere, tam acre denuo vulnus addatur, quod sui magnitudine jam, non videatur esse purgatorium, sed peremptorium. Non esset verè reputandus inter membra corporis Christi, quem ex intimis præcordiorum visceribus non moveret tantum periculum, imo tanta clades populi Christiani. Non dico quem non moveret ad compatiendum tantum quod omnibus leve est sed ad subveniendum pro viribus, et ad subeundum etiam quidquid grave est. Si enim in corpore humano manus manui, pes pedi, membrum quodlibet membro cuilibet, si læsum fuerit subvenire non dissimulat, ejusque læsionem non alienam, sed propriam reputat, quanto magis in sacro corpore Christi, quod est ejus Ecclesia, toto nisu, tota virtute, frater fratri, proximus proximo maxime in majoribus periculis, occurrere et succurrere debet? Facit hoc in carne humana unus universa membra vivificans spiritus, facit hoc idem in corpore Ecclesiae unus, qui ejus universa membra vivificat, Spiritus sanctus. Non ergo vegetatur spiritu Christi, qui non sentit vulnera corporis Christi. Monstratur igitur aperte esse tam vos quam quosdam alios vestrarum partium viros de præcipuis membris corporis ejus quos adeo movet, quos adeo angit læsio corporis ejus. Apparet inde maxime

PATROL. CLXXXIX.

A verum esse quod dico, quod cum in ultimo occidente, imo in ipso pene occidui oceani littore positus sitis, tot interjectis terrarum spatiis, laboranti in Oriente Christiano nomini, summo quantoque potestis studio succurrere festinatis. Inde est quod apud Carnotum cum domino rege, et aliis Patribus Ecclesiae, ac regni majoribus, die indicta convenire decrevistis, meque sacro illi conventui interesse rogastis. Fateor, quod verum est, quia et excusare adventum meum erubesco, et tamen omnino venire non possum. Inter alia enim quæ obstant, in quibus est ab ipso Natali Domini fere continuum corporis mei incommodum, inevitabili de causa antequam aliquid de istis scirem in initio pene Quadragesimæ, eadem die qua conventus indictus est apud Carnotum multos ex prioribus nostris nuntio, et litteris venire præceperam Cluniacum. Causam, ex parte, adventus eorum dixi secreto venerando viro, domino abbati de Fontanel, qui mihi litteras vestras attulerat quam ab ipso, si placuerit, audire poteritis. Rogo ergo, et iterum iterumque rogo, ne hoc ægre feratis, vel cogitetis me in corde et corde loqui: quod non solum loquens vobis caveo, sed etiam semper cavere soleo. Non enim tantum usque Carnotum, hac tanta de causa venirem, sed nec usque ad ipsam, de qua agitur, Jerusalem, si necessitates commissæ mihi Ecclesiae paterentur, ire ullo modo dubitarem. Si tamen contingeret alio tempore conventum alium vel in vestris vel in nostris partibus celebrari, nisi rursus inevitabilis causa obstaret, sciat reverentia vestra me libentissime iturum, et cum conventu, et sine conventu tantæ rei auxilium pro viribus præbiturum.

EPISTOLA XIX.

Amantissimo domino, et Patri venerabili, Dei gratia Cluniacensium abbati PETRO, SUGERIUS Beati Dionysii abbas, devotas in Christo orationes, amoris et servitii plenitudinem.

Orientalis Ecclesiae calamitatem, etc. *Vide in Sugerio, Patrologiae tom. CLXXXVI.*

EPISTOLA XX.

Venerando, et præcordiali amico nostro domno SUGERO S. Dionysii abbati, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutis et præsentis et æternæ plenitudinem.

Doleo, et supra quam dicere possum doleo, quia sacro conventui vestro, quem apud Carnotum dominus rex consilio sapientiæ vestræ et aliorum sapientum indixit, interesse non valeo. Credite intimo amico, credite vera dicenti, quia vere volo, sed non valeo; et quia non valeo, doleo. Quis enim non doleat se non interesse tam sancto collegio, ubi nullus proprium lucrum, ubi nullus quæ sua sunt quæret, sed quæ Jesu Christi? Non enim res quælibet agitur, sed de illa tractatur, qua major nulla, imo quæ est omnium maxima. Nonne maxima omnium est providere, satagere, ne sanctum detur canibus, ne loca, in quibus steterunt pedes operantis salutem in medio terræ, rursus pedibus iniquorum pro-

terantur, ne regia Jerusalem a prophetis, ab apostolis, ab ipso omnium Salvatore dedicata, ne nobilis illa totius Syriæ metropolis Antiochia iterum blasphemis, et nefandis hominibus subjiciantur, ne ipsa salutaris crux, jam ab impiis, ut dicitur, obsessa, ut olim a Cosrohe [Cosdroe] capiatur, ne ipsum sepulcrum Domini, quod hactenus, juxta prophetam, gloriosum toto in orbe fuerat (*Isa. xi*), fortassis ut illi minari solent, radicitus avellatur? Huic ergo tam sancto, tamque necessario tractatui, ad quem humilitatem meam, venerande vir, invitare voluisti, libentissime, ut dixi, interfuissem, si ullo modo potuissem. Quæ iter hoc meum impediunt, multa sunt. Sed inter alia, specialia duo sunt: unum, multiplex incommodum corporis mei: quod a Natali Domini usque ad hoc tempus, pene assidue passus sum; aliud, conventus magnus priorum, quos, antequam de istis quæ mandastis aliquid scirem, in ipso fere initio Quadragesimæ, pro consilio inevitabilis rei, Cluniacum ea die qua conventus vester apud Carnotum indictus est, venire præceperam. Suscipiat ergo, si placet, æquo animo unanimis, et charissima mihi reverentia vestra, non fictam, sed veracem excusationem meam; et apud se, et apud alios, excusatam habeat absentiam meam.

EPISTOLA XXI.

PETRO reverendissimo domino et Patri, ac venerabili abbati Cluniacensium, HELOISA humilis Dei et ejus ancilla, spiritum gratiæ salutaris.

Visitante nos Dei misericordia, dignationis vestræ nos visitavit gratia. Gratulamur, Pater benignissime, et quod ad parvitatem nostram magnitudo vestra descenderit gloriamur. Est si quidem vestra visitatio magna magnis quibuslibet gloriatio. Norunt alii quantum eis utilitatis vestræ contulerit præsentia sublimitatis. Ego certe non dicam enarrare dictu, sed nec ipso valeo comprehendere cogitatu quam utilis, quam jucundus vester mihi fuerit adventus (181). Abbas noster, dominus noster, apud nos anno præterito xvi Kal. Decembris, missam celebrastis, in qua Spiritui sancto nos commendastis. In capitulo, divini nos sermonis eulogio cibastis. Corpus magistri nobis dedistis, ac beneficium Cluniacense concessistis. Mihi quoque, quam nec ancillæ nomine dignam sublimis humilitas vestra, tam scripto quam verbo, sororem vocare non dedignata est, singulare quoddam velut amoris et sinceritatis pri-

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(181) *Quam utilis, quam jucundus vester mihi fuerit adventus.* Fuerat et utilis antea jucundusque sancti Bernardi Clarævallensis abbatis, de quo Petrus Abælardus illi scribens: « Cum nuper, inquit, Paracletum venissem, quibusdam compulsus negotiis ibi peragendis, filia vestra in Christo, et soror nostra, quæ illius loci abbatissa dicitur, cum summa exultatione mihi retulit, vos illuc diu desideratum causa sanctæ visitationis advenisse, et non tanquam hominem, sed quasi angelum, tam eam quam sorores suas sacris exhortationibus corroborasse. »

(182) *Placeat vobis aliud sigillum mittere, in quo magistri absolutio contineatur.* Sigillum hoc, absolutionem magistri Petri Cabiloni defuncti continens,

A vilegium donastis, tricenarium scilicet quod mihi defunctæ conventus Cluniacen. persolveret. Indixistis etiam, quod donum illud sigillatis confirmaretis apicibus. Quod itaque sorori, imo ancillæ concessistis, frater, imo dominus impleatis. Placeat etiam vobis aliud mihi sigillum mittere, in quo magistri absolutio litteris apertis contineatur (182), ut sepulcro ejus suspendatur. Memineritis, et amore Dei nostri Astralabii (183) et vestri, ut aliquam ei vel a Parisiensi, vel ab alio quolibet episcopo præbendam acquiratis. Vale. Dominus vos custodiat, et præsentiam vestram quandoque nobis exhibeat.

EPISTOLA XXII.

Venerabili et charissimæ sorori nostræ, Deique ancillæ HELOISÆ, ancillarum Dei ductrici ac magistræ, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutis a Deo, amoris a nobis in Christo plenitudinem.

Gavisus sum, et hoc non parum, legens sanctitatis vestræ litteras, in quibus agnovi adventum meum ad vos non fuisse transitorium: ex quibus adverti, non solum me apud vos fuisse, sed et a vobis nunquam postmodum recessisse. Non fuit, ut video, illud hospitium meum, velut memoria hospitis unius noctis prætereuntis, nec factus sum advena, et peregrinus apud vos, sed civis sanctarum, et domesticus, utinam Dei! Sic sacræ menti vestræ cuncta inhæserunt, sic benigno spiritui vestro omnia impressa sunt, quæ in illo fugaci seu volatili adventu meo dixi, quæ feci, ut non dicam ea quæ studiose a me tunc dicta sunt, sed nec verbum forte negligenter prolatum ad terram caderet. Ita notastis omnia, ita tenaci memoriæ ex sinceritatis affectu derivatæ commendastis, quasi magna, quasi cœlestia, quasi sacrosancta, quasi ipsius verba vel opera Jesu Christi. Forte moverunt vos ad illa sic retinenda, verba communis regulæ, hoc est tam nostræ quam vestræ, quæ de hospitibus præcipit, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Forsitan et illa de præpositis, licet ego præpositus vobis non sim: *Qui vos audit, me audit (Luc. x)*. Utinam hæc mihi semper gratia detur apud vos, ut mei memor esse dignemini, ut pro me omnipotentis misericordiam, cum sacro gregis vobis commissi collegio, deprecemini! Rependo, et ego in hoc vobis vicem quam possum, quia et longe antequam vos viderem et maxime ex quo vestri notitiam habui, singularem vobis in intimis mentis meæ recessibus veræ, non fictæ charitatis lo-

et quod a Petro nostro Cluniacensium abbate Paracletum ad Heloisæ postulationem missum epistola sequens testatur, his in codice obituum præfati Paracleti verbis conceptum reperitur. « Ego Petrus Cluniacensis, qui Petrum Abailardum in monachum Cluniacensem suscepi, et corpus ejus furtim delatum Heloisæ abbatissæ et monialibus Paracleti concessi, auctoritate omnipotentis Dei et omnium sanctorum absolvo eum pro officio ab omnibus peccatis suis. »

(183) *Memineritis et amore Dei nostri Astralabii.* Is erat filius præfati Petri et Heloisæ, ut ex epistola, sive libro ejusdem Petri, in quo calamitates et miseriae suas describit, aperte constat, et ante nos annotavit vir clariss. Nicolaus Faber.

cum servavi, donum quod de tricenario vobis præsens feci, absens ut voluistis, scriptum et sigillatum transmittō. Mitto etiam, sicut mandastis, magistri Petri absolutionem, in charta similiter scriptam et sigillatam. Astralabio vestro, vestrique causa nostro, mox ut facultas data fuerit in aliqua nobilium Ecclesiarum præbendam libens acquirere laborabo. Res tamen difficilis est, quia, ut sæpe probavi, ad dandas in Ecclesiis suis præbendas, variis objectis occasionibus valde se difficiles præbere episcopi solent. Faciam tamen causam vestri quod potero, mox ut potero.

EPISTOLA XXIII.

PETRO venerabili et honorando Dei gratia Cluniacensium abbati frater PETRUS, humilis pauperum Majorovi prior vocatus, cum eisdem pauperibus æternam a Domino salutem.

Noverit vestræ paternitatis dulcedo, domnum Petrum Vivianum duos de libris nostris habere, Glosulas videlicet continuas super Mathæum, et beati Joannis Evangelium Glosulatum. Et quia satis eos retinuit, per annos scilicet viginti circiter, obsecramus humiliter vestram charitatem, ut dignetur ei præcipere, quatenus sine dilatione illos nobis procuret reddere. Memorem nostri paternitatem vestram, divina gratia incolumem diu custodiat. Sciatis denique quia si essetis abbas alter quilibet, et non tam celebris atque famosus, fracti foederis ac frustratæ promissionis, quam de visitatione nostra vestra dignatio multoties fecit, aperta fronte quæreremus satisfactionem.

EPISTOLA XXIV.

Charissimis et magnifice honorandis servis Dei, apud Majorovum in eremum Christo servantibus, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem, cui se totos devoverunt, æternam.

Cantat Deo Propheta in psalmis: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* (Psal. cxviii.) Possum et ego non mentiens scribere vobis quod longe dulciora sunt melle verba vel litteræ vestræ mihi. Nam semper supremam arcem pectoris mei vobis vestrique ordinis viris servavi, instituta Carthusiensia universarum religionum institutionibus prætulī, a primis pene adolescentiæ annis sincero affectu sacrum religionis vestræ propositum colui. Unde quando vacare potuit, quædam antiquiora vestri ordinis loca adire frequenter non pigritavi, inaccessibiles pene nivibus, et a glacie altissimas rupes non abhorruī, fratres inter illas montium, et rupium angustias omnipotenti Domino servantibus, videre, visitare, atque cum eis in Domino jucundari, dulce habui. Hunc saporem, quo, cum adhuc testa rudis essem, imbutus sum, diu et per gratiam Dei etiam lucusque servavi, non quidem vos videndo, quod ut volui hactenus non potui, sed vos vestraque omnia charitate non ficta diligendo, colendo, venerando. Sed de fracto foedere, ac frustrata promissione, qua vos visitare multoties, ut dicitis, promiseram, arguor, et a tantis amicis dure

convenior. Audio quod si essem abbas alter quilibet, et non tam celebris atque famosus, aperta fronte de his digna quæreretur satisfactio. Sed ago gratias Deo, quia non sum abbas quilibet, sed tam celebris atque famosus, ut nemo vestrum audeat me aggredi, nec aperta fronte de fracto foedere, et frustrata promissione quærere satisfactionem. Si enim non tantus, sed alter quilibet abbas essem, certum est quia impune non evasissem. Quis enim aliter credit? Nam a tam veracibus non aliter res quam sermo procederet. Sed tamen ut amicis, et hoc intimis satisfaciam, libens majoris nominis fastum depono, et me abbatibus, licet inferioribus, si tamen inferiores sunt, compono. Eligite quem vultis de toto orbe minorem, et de me ut de illo, si reus esset, fracti foederis poenas sumite. Parcius tamen, ut vel parum pro parte mea agam, poena sumenda est, quia mala fide fractum foedus non est. Obstitērunt multa, quæ foedus initum, et visitandi promissionem servari non permiserunt, negotia infinita, hiems supra solitum horrida, corporis multiplex incommodum, quo plusquam per dimidium annum natura laborat, nec adhuc plene hostem tandiu sibi infestum vincere potest. Ea de causa mitius, ut mihi videtur, puniendus est qui quod dicit, quod promittit, quod maxime vult, implere non potest. Habeo inde de re simili mecum, et pro me agentem magnum Apostolum. Voluit ille venire ad Corinthios, ut secundam gratiam haberent; voluit et per eos transire in Macedoniam, voluit et iterum a Macedonia venire ad eos, et ab eis deduci in Judæam. Voluit hoc, sed ut voluit non potuit. Excusat ipse seipsum, et excusando non tantum se, sed et me etiam contra vos secum excusat. Nunquid, ait, levitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, est et non? Quis loquitur? Magnus apostolus. Si interrogas, quis magnus? Respondeo: Non est interrogandum. Ubi apostolo magnus additur, Paulus intelligitur. Hic ergo apostolus, et magnus, astruit se non esse levitate usum, si aliquando dixit, est; aliquando dixit, non. Intellexit enim semper quidem servandam esse veritatem verborum; sed non idcirco minus esse verba veracia, si ea mutari cogeret multiplex varietas diversarum causarum. Quod et indicant verba sequentia: *Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fit apud vos, non est in illo, est, et non; sed est in illo, est* (II Cor. 1). Quod nullatenus veritate salva dicere posset, si verba simplici ex corde prolata, absque falsitatis nota, rerum necessitate cogente, mutari non posse videret. Verum est ergo quod dixi: Veniam ad vos; sed certa et rationabilis causa me impedivit, ut non venire ad vos. Hac ergo de causa non fuit in ore meo, est, et non; sed fuit in illo, est. Excusatum ergo me esse arbitror, et nisi plus nimio duri exactores esse velitis, satisfacisse me aestimo. De libris a fratre Petro Viviano diu, et præter voluntatem vestram, ut in litteris vestris legimus, reten-

ais, rescribo quod, si Deus permiserit, hominem conveniam, et prout officii mei ratio postulat, ut justum fuerit, vestra vobis restitui faciam. De reliquo, vos Deo, cui servitis; me autem nostrosque ipsi vobisque commendo. Quod tardius vobis scripsi, nolite imputare negligentiae meae, quae in casu isto non est, sed imputate infinitae importunitati causarum; quae fere semper mihi molesta est. Haec si saltem brevi temporis spatio, ne dicam momento, me mihi vacare permisisset, jam oculus vester ante duos aut tres menses epistolam meam vidisset.

EPISTOLA XXV.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri, domino papae EUGENIO, frater PETRUS, humilis Cluniacens. abbas, devotam obedientiam, cum filiali amore.

Quoniam apostolica mandata negligenter suscipere vel exsequi, pene crimen judico, idcirco de quibusdam jam altero ut compari anno, mihi a paternitate vestra scriptis, et injunctis, quia necdum ea executus sum; me hac epistola apud Patrem excusare suscepi. Nec miretur sapientia vestra, tandiu me vobis inde scribere distulisse, quia pene simul, et rei cognitionem accepi, et stylum ad scribendum aptavi. Quam si prius agnoscere licuisset, quod nunc facere coepit manus, exsequi non distulisset. Scripsit ante annum reverentia vestra domno Lemovicensi episcopo, et mihi, ut in exemplari litterarum apostolicarum a quibusdam Brivatensibus clericis (184) mihi oblato legi, quatenus Claromontensem episcopum (185), cum socio jam dicto, die locoque congruo evocatum convenirem, et ut militem quemdam, quem pene per biennium captum tenuerat, redderet, praeciperem, et quaestionem quae de castello Alsone inter quosdam nobiles versabatur, vestra fultus auctoritate terminarem. Addita sunt quaedam alia de episcopo, quae nobis audienda, non diffinienda commissa sunt. Litteras illas clerici ab urbe detulerunt, nec mihi, sed eidem Claromontensi episcopo reddiderunt. Ut autem ipsi mihi testati sunt, hoc ea necessitate fecerunt, quia captivum suum, qui frater unius ex ipsis erat, aliter ab episcopo recipere nequiverunt. Qui statim ut eas habuit, nobis usque ad hanc diem invisibiles fecit. Ea causa est, qua a me apostolica praeccepta impleta non sunt. Non enim accepta implere neglexi, sed

A non accepta implere non potui. Idem, et de Lemovicensi episcopo non quidem scio, sed scire me aestimo. Quem ergo haec culpa respiciat qua clarum est, dicere meum non est. Dicam tamen sequentia, quae idcirco tacenda non sunt, quia non uni, duobus, aut tribus, sed multis populis noxia sunt. Arverniam olim tam spatio terrarum, quam multitudine populorum, teste Caesare, et quibusdam aliis historicis, regnum juxta regnorum antiquorum quantitatem fuisse, multis, etsi non omnibus, notum est. Hujus tota pene cura deficientibus regibus, comitibus, magis Christianum populum infestantibus quam defendentibus, ad justum et lenem regimen Ecclesiae, jam a longo tempore conversa est. Huic soli deficientibus, ut dixi, principibus vel infestis, hucusque innixa est, sub hac se tutam ac securam mansisse gavisus est. Episcopi enim, qui ante istum terrae illi jure ecclesiastico principati sunt, et quod suum erat juxta sibi datam gratiam impleverunt, et quod regum vel principum fuerat in defendendo Ecclesiam, juxta quod licuit, suppleverunt. At nunc per viginti fere annos populus ille Dei tantus, tam numerosus, juxta Scripturae sanctae verbum de Judaeis olim dictum, mansit sine rege, sine principe, et (quod solum ei supererat), sine lege (quod pejus est), et sacerdote. Quomodo enim sacerdos dici potest qui, exceptis sacramentis pontificalibus, de pontificis officio, ex quo episcopari coepit, pene nihil implevit? Ubi enim ejus erga gregem commissum vigil custodia? Ubi pastoralis sollicitudo? Ubi persequentium et quotidie ad inferos sub ejus conspectu descendentium miseratio? Impugnat assidue alter alterum, acuunt pene universi in mutuam caedem gladios, conspirat frater in fratris interitum; castrorum Domini, inferioris nominis milites, burgenses, rustici populi, laicorum omne genus de illo clamant quod propheta Dei olim pessimo regi Israel locutus est: Vidi universum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem. Si ab eo de malefactoribus justitia ecclesiastica exigitur, aut negatur, aut venditur. Sed hoc primo tempore. Jam enim non negatur, quia nec quaeritur. Tanta mutari posse in hominem melius, subditis desperatio facta est, ut cum innumeris aerumnis universi laborent, totaque dioecesis ejus malis infinitis exuberet, non

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(184) A quibusdam Brivatensibus clericis. Apud Sanctum Julianum nimirum in Brivatensi Arvernicae vico Deo servientibus. Est enim et alia Briva cognomento Curretia in Lemovicibus, item Briva super Isaram, quae et *Briva Isarae*, et *Pontisara* nuncupatur, vulgo *Pontoise*. Nomina omnia a prisca Gallorum voce *Briva*, quae secundum nonnullos trajectum vel vadum, secundum alios autem, et forte rectius, pontem significabat. Unde et *Briva Odera* quoque, ubi *Oderam*, et *Samarobriva*, ubi Somam fluvium olim vel vado, vel ponte potius trajecerant. Et in Britannia majore, cujus habitatores primi veterem Galliarum, e quibus orti fuerant, linguam loquebantur, *Durobriva*, id est fluminis trajectus per pontem, et *Durocubriva*, id est aquae rubrae trajectus, quae nunc *Dornford* juxta *Casterton*, et *Hert-*

ford, ab Anglis appellantur.

(185) Quatenus Claromontensem episcopum. Episcopus hic antea Nicolaus in margine veteris editionis appellabatur. Sed cum in catalogis episcoporum Claromontensium tam antiquis quam recentioribus, nullus reperiatur ejus nominis tempore Eugenii III, papae, cui Petrus noster hic scribit, verissimum opinor quod vir doctiss. Joannes Savaro praeses Arvernorum in Originibus Claromontis civitatis adnotavit, de Stephano nempe rem esse, qui Mercolius sive de Mercolio cognominabatur: hocque ipsum Mercolii cognomen in margine codicis scriptum, ansam praebuisse scriptori, qui fortassis illud non intelligebat, *Nicolaum episcopum*, pro *Mercolio episcopo* substituendi.

sit jam fere qui de tantorum hominum numero ejus A curiam adeat, suas apud eum querelas deponat, consilium quaerat, judicium vel justitiam exigat: quorum omnium nihil penes ipsum invenire se posse non dubitat. Manet otiosus inter negotia infinita, vidensque non lupum tantum, sed lupos innumeros in sibi commissas oves irruentes, fugit, ut magnus Gregorius ait, non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, et eo fugiente lupi rapiunt, et dispergunt oves. Sed fortassis laicos negligit, et ut remotiores ab ordine vel proposito suo, contemnit. Fortasse illis contentis monachorum vel clericorum curam, quibus professione propinquior est, sibi assumpsit. Sed, o utinam quantum ad ipsum, clerici vel monachi laicis pares essent! Sed prorsus non sunt. Nam cum effectum auxilium uni- B versis aequaliter neget, affectum tamen, quantum ex his quae in eo videntur aut ab eo audiuntur, longe majorem laicis quam clericis aut monachis exhibet. Redeunt illi ab eo contenti ad seipsos, et quia gladium spiritus, quod est verbum Dei, in ipso alligatum cernunt, convertuntur ad gladios proprios; et quod ille sermone pacare posset, hi multo effuso sanguine pacare non possunt. Habent tamen aliquid consilii, quando, ut dixi, deserti a suo episcopo seipsos vi armata ipsi tuentur. Sed quid clericis consilii? Quid monachis remedii? Carent vere sub tali episcopo, non tantum divino, sed et humano auxilio: divino, quia spirituali gladio non defenduntur; humano, quia saecularis gladius, quo ipsi uti non possunt, eos defendere nequit, nec quisquam principum eum ad ipsos defensandos sibi assumit. Mutata est jam ex parte a longo tempore, sed nunc nostris diebus ex toto, apostolica sententia, quam de rege vel principe Paulus profert, *Non enim sine causa gladium portat (Rom. xiii)*. Quid ergo faciet clericalis vel monasticus ordo, maxime in terra illa, quantum ad hoc misera, ubi nec ecclesiastica censura protegitur, nec saeculari gladio defensatur? Taceo graviora, taceo peremptoria, quae a multis, ut mihi videtur, fide dignis ante multos annos audio, et frequenter a referentibus audire non cesso. Quorum quia testis esse nequeo, relator esse nolo. Audiet, ut credo, illa suo tempore vestra sublimitas, ab illis qui ea nobis referunt, et qui coram vobis testificari D poterunt. De caetero, si placet, excellentiae vestrae praesentium latorem commendamus, clericum nobilem, et in quantum scire possumus, honestum. Habet enim causam adversus eundem episcopum. Quae si justa fuerit, licet non sit necessaria deprecatio nostra, rogamus tamen ut ei subveniat clementia vestra.

EPISTOLA XXVI.

Venerando viro, mihique valde charissimo domino EBRARDO magistro Templi Dei (186), quod in Jerosolymis est, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutis, et dilectionis quidquid potest.

Quod personam vestram, et sacram sacri Templi vobis a Deo commissam militiam, inter omnes religionis professores, quodam proprio ac singulari affectu semper dilexerim, semper veneratus sim, novi ego, novit testis, et conscius meus in excelso, noverunt multi vestrorum, nostis ut credo, nec dubito quod nostis et ipse. Feci hoc a primordio institutionis vestrae, quae cum meo tempore exorta fuerit, velut rutilum novi sideris jubar mundo illuxisse, et miratus pariter, et laetatus sum. Nec mirum hoc. Quis enim aliquam spem aeternae salutis habentium non laetetur? quis non totis animi praecordiis exsultet in Deo salutari suo, militiam regis aeterni, exercitum Domini Sabaoth, ad debellandum principem mundi, ad expugnandos inimicos crucis Christi, ex diversis orbis partibus congregatum, ad nova praecellia velut e castris caelestibus processisse? Quis non laetetur, quis non exsultet processisse vos non ad simplicem, sed ad duplicem conflictum, in quo et contra spirituales nequitias, juxta Apostolum, animi virtutibus, et contra corporales hostes, corporis viribus dimicatis? In quorum uno quidquid sanctorum monachorum vel eremitarum est assumpsistis; in altero, omnium religiosorum propositum excessistis. Militant quidem illi Deo, et licet castigando corpus suum et in servitutem redigendo laborent, tamen corpore a mundi tempestatibus, et maxime a bellorum tumultibus requiescunt. At vos, ut dictum est, et fortem armatum eisdem eorum artibus superatis, et contra illa ejus, quae aperte adversus Christum producit, infernalium castra, Sarracenorum dico agmina, pugnando assidue non cessatis. Estis monachi virtutibus, milites actibus: illud spiritualiter implendo, istud corporaliter exercendo. Expo- quistis pro fratribus animas vitae, corpora morti, fudistis jam sanguinem necdum effusum, quem quotidie in bellis Deo offertis fundendum. Estis vere participes illius summae et praecipuae charitatis, de qua Salvator: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Joan. xv)*. Haec est causa, qua semper, ut supra scripsi, singulariter vos dilexi, qua colui, qua veneratus sum. Feci hoc hactenus, et faciam per Dei gratiam, quandiu fuerit spiritus in naribus meis. Hac fiducia, qua semper diligens ab eo quem diligit diligi se sperat, spero et ego a vobis me diligi, et,

ANDREAE CHESNII NOTAE.

(186) Domino Ebrardo magistro Templi. Militia Templariorum, vel ordo Militum Templi coepit in templo Jerusalem anno 1119, aut circiter sub viro venerabili et magnanimo Hugone primo magistro ipsius ordinis, citoque per universam Christianitatem quantum ad domos et possessiones mirabiliter

dilatatus est, et eorum institutio ac regula etiam a papa Honorio II et patriarcha Jerosol. Stephano approbata. Sed, aliis postea causis sedem apostolicam moventibus, in Vieninensi tandem concilio suppressi condemnatique sunt, et eorum possessiones ac domus Hospitalariis S. Joannis assignatae.

si quid suggessero, amicabiliter audiri. Nobilis vir, dominus Humbertus de Bello-Joco (187), nuper a partibus transmarinis veniens, ad partes nostras rediit, et cum immensa exultatione ab omni illa terra susceptus est. Aberam ego quidem tunc, tractus negotiis ad alias partes; sed rediens, tantum ubique jubulum de ejus adventu reperi, quantum, nisi vidissem, vix unquam aestimare valerem. Gaudebant clerici, gratulabantur monachi, plaudebant rustici, totusque adjacentium nobis Ecclesiarum chorus velut quoddam novum canticum resonabat. Econverso, raptores dolebant, Ecclesiarum pervasores, monachorum, pauperum, viduarum, orphanorum, atque ignobilis, nec se suis viribus defendere prævalentis vulgi deprædatores, imo oppressores gemebant, suæque nequitiae objectum obicem, etsi non aperte verbis, cordibus tamen infandissimis murmurabant. Talis est enim, ut nosse vos credimus, Cluniaco adjacens terra vestra, ut, quia sine rege, sine duce, sine principe est, valde gaudeat, quando aliquam pacis materiam invenisse se sperat. Hanc, quia in isto et per istum ex plurima parte se invenisse confidit, gaudet, ut dixi, et spei suæ gaudium dissimulare non potest. Ostendit jam dictus Humbertus ex quo venit, non frustra id de se sperari, cum et vicecomitem Matiscensem, terræ nostræ matutinum, vespertinum atque nocturnum lupum ita subegit, ut jure, quantum ad hoc pertinet, cum justo Job dicere possit: *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam* (Job xxix). Hoc et de multis aliis et cis Ligerim, et ultra Ligerim positis, parvissimo, hoc est ex quo rediit, tempore fecit. Sperat hoc idem de eo vestra Cluniacus, quæ plus cunctis partium nostrarum monasteriis, vel Ecclesiis, ejus consilio et auxilio eget. Oro ergo, et sicut intimus vester ut nostis, amicus consulo, ut si quam adversus eum de reditu suo ad nos querelam habetis, interim seponatis, et quia sapiens et discretus vir est, ipsum sibi suæque conscientiae judicio relinquatis. Credo enim quia magis eum tolerando quam querimoniis irritando, apud eum proficere poteritis. Novi enim, ut puto, animum ejus, et ex ipsius familiari colloquutione adverti, quod Deum timeat, et quod totum, si lucrari posset, mundum animæ suæ saluti postponat. Re-

fitens et factis contra eum dimicans Christianus? Quis magis persequendus est, ignorans et blasphemans, an agnosçens et impugnans? An non Deum impugnant, an non persequuntur qui Ecclesiam ejus, qui populum emptum sanguine ejus absque ulla, ubi possunt vel audent, personarum, graduum, dignitatum exceptione, deprædantur, cædunt, verberant, quandoque etiam (quod sæpe contingit, perimunt? Non est, non est vere minus defendendus consiliis, imo gladiis vestris, Christianus vim injuste patiens a Christiano, quam esset defendendus eandem vim patiens a pagano. Acquiescite ergo, si placet, consiliis et precibus meis, et virum, in quo pene solo tota spes pacis nostræ consistit, nobis modo quo dixi dimittite. Experimentini utrum utile sit tam ipsi quam vobis consilium meum; quod nullo modo dicerem, si esse quolibet modo intelligerem contra Deum. Credo insuper, et hoc valde opto, quod vobiscum antequam a partibus Galliarum recedatis loquar, et tunc melius verbo quam nunc scripto, quæ de hac re dicenda fuerint, supplebo.

EPISTOLA XXVII.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri, domino papæ EUGENIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, cum devota obedientia filialem amorem.

Precor in exordio, ut placide verba mea auris paterna accipiat, et, si quid forte ex ignorantia secus dixerò quam oportet, benignitas vestra, quæ sapientibus et insipientibus debitor est, animo æquo supportet. Nobilis vir, dominus Humbertus de Bello-Joco nuper a partibus transmarinis rediens, tanta cum exultatione ab universa nobis adjacente terra susceptus est, ut vix hoc credere possem, nisi post a quodam itinere regressus (nam tunc forte absens eram) ipse vidissem. Gaudebant clerici, lætabantur monachi, exultabant burgenses, ipsique qui præda raptorum, imo qui cibus luporum esse solebant, rustici, agricolæ, pauperes, viduæ, orphani, omneque vulgi genus, ita ut vix se caperent, gratulabantur. E converso pauperum deprædatores, ecclesiarum destructores, clericorum ac monachorum oppressores, etsi non palam, quia non audebant, apud seipsos gemebant, fortemque obicem nequitiae suæ oppositum, plusquam dicere possim, dolebant. Est enim misera illa terra nostra, ut novit sapientia vestra, cunctis pene terrarum partibus in hac parte miserior: quod sine rege, sine duce, sine principe, vel defensore existens, exposita est ferarum dentibus, et, ut scriptum est, quod ad litteram nunc accipio, *omnes bestiae agri ludunt ibi* (Job xl). Nam si qui in ea nomen ducum, comitum, vel principum occupant, ita se habent, ac si non ad defensandum, sed ad devorandum populum Dei principarentur. Qui quanto sunt majores, tanto pe-

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(187) Nobilis vir, Dominus Humbertus de Bellojoco. Guichardi pater, de quo et epist. sequente, et lib. I Miracul., cap. 28.

jores; quanto fortiores, tanto ferociores impotentum et pauperum oppressores. Eapropter gens avida pacis, et ad eam totis animi votis anhelans, adventum jam dicti Humberti, non aliter quam sibi hac de causa a Deo directi amplexi sunt. Et ne in frustra sperasse viderentur, ex plurima hoc jam parte experti sunt. Nam, ut quod verum novi domino et Patri fatear, ita in adventu suo alteratus apparuit, et in tantum mutatus ab illo quem noveram, ut quantum ad verba ejus vel facta pertinet (nam cordium scrutator non sum), vere cum antiquo illo dicere posset: Non sum qui fueram, et nos de ipso illud divinum, hoc est: *Mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal. LXXVI*). Ita in brevi quidquid guerrarum in circuitu nostro fremebat compescuit, ita militum castrensiu discordias solo verbo sedavit, ut ejus maxime timore, et inter illos pax reformaretur, et Ecclesiis vel pauperibus, eorum tyrannidem formidantibus, securitas redderetur. Jam nihil mercatores in stratis publicis, nihil agricolæ in agris hostile metuebant, tota jam pene terra illa, inter Ararim et Ligerim positæ novo quodam pacis lumine perfusa, gaudebat. His tam bonis ei principiis illecta, longe majora et meliora sperabat. Cum in his omnes lætarentur, et præcipue Cluniacus vestra, cujus se defensionem totam devoverat, tam pro his quæ videbat, quam pro his quæ sperabat, non minima exsultaret, ecce subito tristis fama gaudia nostra turbavit, dicens eum non cum plena gratia a vobis recessisse, atque habitum religiosum absque vestra licentia in sæcularem mutasse. Multorum quippe relatione persuasum nobis fuerat, hoc tam assensu vestro quam judicio sedis apostolicæ factum. Quod postquam non sic esse didicimus, nolimus impeditum pacis bonum, et servavimus erga ipsum eum quem debuimus modum. Sed attende, Pater, attende et vide si quomodo salva justitia, homo tam utilis, et, quantum ad opera principis digna, in partibus nostris pene solus, nobis et paci communi restitui possit. Ut enim quod multi nostrorum sentiunt dicam, si de canonicali, si de monastico, si de eremitico, si de quolibet antiquitus instituto ordine recessisset, jure illum ad illicite dimissa, censura ecclesiastica redire compelleret. At cum non nisi de militia ad militiam transierit, cum gladium, quem contra Sarracenos assumpserat, contra falsos Christianos Sarracenis deteriores transtulerit, cum ab uxore sua (quod majus est), ut a pluribus et fide dignis accepti, non legitime recesserit; videat sapientia vestra utrum cogendus sit an tolerandus, quousque rei veritas lucide declaretur, et tanta de tanto viro quæstio judicio apostolico terminetur. Videat certe et recogitet toti Ecclesiæ Dei prælata prudentia, et discretio vestra utrum personæ, quæ, juxta Scripturam, remoto altiore sacramento, etiam ad litteram de duabus una caro factæ fuerant, ita ab invicem secerni possint vel debeant, ut una videatur servire Deo sub religioso habitu, alia serviat mundo sub sæculari vestitu, imo, ut clarius loquar,

A una vivat caste, altera impudice: una non jungatur, nisi uni et soli Deo, altera per innumera stupra et adulteria; uni et soli integre et perfecte prostituatur diabolo.

Inde est quod nec nudis, ut audivi, verbis, mulier, quæ ei juncta fuerat, ab aliquo audita est castitatem vovisse, quam etsi solis verbis vovisset, votum tale quid esset? Si plane hujusmodi vota, aut ex odio aut ex levitate, aut ex intentione liberius peccandi facta, viris Christianis, et eorum uxoribus passim indulta fuerint, videat Pater Ecclesiæ quam late pateat perditionis campus, quotque millia viro- rum ac mulierum avidis faucibus absorpturus sit hac occasione infernus. Unde, licet ut minus sapiens loquar, dando ei consilium, a quo accipere debeo, videretur mihi justum, videretur canonicum, ut aut si vota horum conjugum, rei veritate diligenter perspecta, irrita esse debent; rursum in invicem redire cogentur; aut si stare, uterque Deo sub certo religionis proposito servire compelleretur. Alioquin salvato isto, perduto illo, imo (quod verius est) alterius causa condemnato, illo in sæculo per-eunte, altero nec in religioso proposito se salvare valente, quid proderit unius conversio, ubi utrius- que certa sequetur perditio? Quando enim honora- bile connubium et thorus, juxta Apostolum (*Hebr. XIII*), immaculatus servari poterit, ubi unus casti- tati, alter libidini; unus sanctitati, alter impuritati; unus munditiæ, alter nequitiae operam dabit? Quando et illud servabitur, quod idem Apostolus dicit: *His autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non recedere? Quod si recesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem ne dimittat.* (*I Cor. VII.*) Quid dicis, Apostole? Quid dicis, præcipio non ego, sed Dominus? Nonne quod tu præcipis, præcipit Dominus? Nonne tu ipse dixisti: *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus? (II Cor. XIII.)* Cum ergo in te loquatur Christus: nonne quod præcipis, præcipit et Christus? Verum est, inquit, verum est. Quod Christus dicit, dico et ego: quod ego dico, dicit et Christus. Sed ne forte mei temporis rudibus adhuc in fide homi- nibus, minoris pretii mea viderentur verba quam Christi: proposui ab ipso verba ejus, quibus magis auctoritate majoris nominis acquiescere cogentur, boni, sed novi auditores ejus. Est et aliud, unde non tamen rudibus, sed universis hæc dicens consulere volui: ut intelligerent rem, de qua agitur, non a me pro velle dispensandam, sed ut a Domino tradita est, conservandam. Sunt enim quæ dispensare pro velle, juxta rationem possumus: sunt et alia, quæ non ut statuta sunt, dispensative mutare nec possumus nec debemus. De his quæ mutare possumus, sunt quæ subjeci. Cæteris ego dico, non Dominus: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Et si qua mulier virum habet infidelem, et hic consentit habitare cum illa: non dimittat virum (ibid.).* Et paucis verbis

interpositis, *Quod si infidelis discedit, discedat. Non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi (I Cor. vii).* Quod si in hujusmodi non est servituti subjectus frater aut soror, liberum est Christiano paganam uxorem, aut Christianæ uxori paganum virum dimittere. Liberum est plane his et cohabitare, si voluerint, et ab invicem recedere si voluerint. Idcirco quia ista dispensari possunt, hæc ego dico, non Dominus. Sed Dominus, non ego, præcipit, ubi uterque fidelis, scilicet Christianus est: uxorem a viro non discedere, nec virum uxorem dimittere. Hic plane, hic, inquit Apostolus, dispensatio admitenda non est. Nimium præsumpsi, et profusius quam debui loquendo, et velut Patrem ac magistrum docendo. Sed non docco Patrem filius, non doceo magistrum discipulus. Absit a me tanta præsumptio! Non doceo doctorem, non instruo magistrum: sed oro, precor, supplico, ut vestra apostolica, quæ omnibus invigilat, sollicitudo, nobilis viri salutis, quem valde præmissis de causis periclitari timeo, provideat; et si, ut supradixi, salva justitia fieri potest, terræ nostræ, cui longe magis quam transmarinæ necessarius est, benigne illum dimittat. Ibi enim pro uno et solo, apud nos autem pro decem millibus computabitur.

EPISTOLA XXVIII.

Summo pontifici et nostro speciali Patri, domino papæ EUGENIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, debitam cum filiali amore obedientiam.

Multa sæpe audit a multis prælata orbi terrarum vestra apostolica sollicitudo: quæ quandoque bona sunt, quandoque mala, quandoque optima, quandoque pessima. Sed nunc in partibus nostris tale quid contigit, de quo vere illud Scripturæ dicere possumus. *Nunquam sic apparuit in Israel (Judic. xix).*

ANDRÆ CHESNII NOTÆ.

(188) *Aureum ecclesiæ phylacterium.* Hieronymus in Matthæum cap. 23. « Pictaciola illa Decalogi, inquit, phylacteria vocabant, quod quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam et munimentum sui haberet. » Et Capitul. lib. vi, cap. 72: « Ut nec a clerico phylacteria, nec ab ullo fiant Christiano. » Phylacteria, id est cingula vel fasciolæ, sicut interpretatur S. Augustinus sermone De martyrib. et phylacteriis; et sic etiam Addit. II, cap. 18, accipi videtur.

(189) *Ecclesiasticum judicium.* Id est purgationem sive probationem vulgarem, quæ non una, sed multiplex. Aut enim per jusjurandum, aut per aquam ferventem vel frigidam, aut per ferrum candens seu vomeres ignitos, aut per pyram vel ignem accensum, aut denique per bellum sive duellum fiebat. Et hanc quidem utramlibet subire paratus, omni lege legali se probaturum innocentiam objectæ rei profitebatur, ut ex his Hilgodi cum Dadone placiti verbis in Chartulario Majoris Monasterii, quod est rerum Vindocinensium, existentis, apparet. « Convenerunt itaque ipse Hilgodus, et dominus Severtus monachus noster, et prædictus calumniator, Dado scilicet, apud castrum Rainaldi ante multos barones, et ibi paratus fuit Hilgodus probare omni lege legali, nec Dadoni, nec alii cuiquam se dedisse vel vendidisse terram illam, nisi S. Martino et monachis ejus. » De jurejurando chartularium idem in Notitia auctoramenti Fulconis Vin-

Brivatensis Ecclesia juri apostolico, nullo alio episcopo mediante, subjecta, juxta propriæ institutionis morem, magna et nobilis diu permansit; sed ab aliquanto tempore, ab antiquo et bono proposito degenerans, dictum etiam sibi a propheta fatetur: *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua (Isa. i).* Plurima sunt quæ ostenderent verum esse quod dico, nisi plus nimio vobis longus esse timerem. Hoc tamen breviter dico nefarium opus, quod nuper in illa Ecclesia contigit, vix nisi merito malorum præcedentium accidere potuisse, ut, juxta Joannis apostoli revelationem, qui in sordibus est, sordescat (*Apoc. xxii*). Sed jam rem ipsam Pater audiat. Aureum ecclesiæ phylacterium (188), fur, nescitur quis, nuper furatus est. Aditum est a clericis. Cumque olim civitas plena indicii, ordine judiciario et canonico rem inquirere, examinare, ac censura ecclesiastica terminare debuisset, posthabito Deo, abjecta fide, sprete non solum canonicali, quod nomen eis tantum superest, verum etiam Christiana religione, ac si non esset Deus in Israel, miserant ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron (*IV Reg. i*). Qui qualiter ab eis consultus sit, qualiter eis responderit a præsentium latore, vel ab ejus sociis plenius audietis. Nec enim, ut ex auditis collegi, minus fuit magnum illum, a quo ea se audisse dixerunt, consulere, quam Moloch Moabitarum dæmoni sacrificare. A quo responso accepto, imposuerunt præsentium latore commissum sacrilegium. Negavit ille; nec scelus admisisse, vel in aliquo esse conscius, constanter, et, ut credo, veraciter protestatus est. Adidit paratum se esse, die ab eis constituta ecclesiasticum judicium (189) subire, et quidquid inde discernere exsequi. Et ne de his quæ se facturum

docinensis comitis pro terra Montis-Hidulfi: « Qui mox, nimirum Gaufredus comes Andegav. audita causa, Fulconi respondit probaturum se eidem etiam jurejurando, si vellet, quod terram illam tota nobis integritate et ipse reddidisset. » Et in notitia calumniæ super Hiltradum servum, et filios ejus. « Et cum ille, Guillelmus Hiltradi filius, contenderet illum, patrem suum, fuisse colibertum, guadiavit ei domnus Ascelinus, monachus Majoris Monasterii, jurare quod ille servus fuerit, non colibertus. Quod jusjurandum fecit ei fieri per unum hominem ejusdem familiæ, nomine Alcherium de villa-Rebla apud Rupes-Episcopi. » De aqua fervente, sive frigida, Hincmarus adversus Hincmarum Laudun.: « Præfati homines, quia non liberæ conditionis sunt aut cum aqua frigida, aut cum aqua calida inde ad judicium Dei exirent. » Item Yvo Carnotensis epist. 74, ubi multa vir doctus Juretus in eam rem, et Pithæus etiam vir alter undecunque doctissimus in Glossario. De ferro candenti, sive ignito, Hildebertus Cenomanensis epist. 17 et præfatus Yvo epist. 205. Quorum testimoniis accedet et hoc ex Chartulario jam supra memorato, charta 122. « Hujusmodi autem infra se obtinet privilegium, scilicet alodium de Regniaco, ut si forte incolarum ejus aliquis in aliquo excedit, unde aut bellum faciendum, aut solitum candentis ferri judicium sit deportandum, vel alio quolibet modo quo peccari potest delinquitur, non ad alium quemlibet pertineat judicare de his, sed qui domi-

spondebat, vel in modico dubitare posset, seipsum usquequo cuncta perficeret, eis in obsidatum dedit, pecuniam suam resque omnes sacramento eis obligavit, satisfactiones etiam, tam parentum suorum quam multorum amicorum, supradictis adjunxit. Indicta est causæ agendæ vicesima dies. Præceptum est ut ad diem illam sic præparatus veniret, quatenus ignis præjudicio, non iudicio, se, si posset ab objecto crimine expurgaret. Adjunctum est ab eisdem scire se quidem quod imperabant, non esse canonicum; sed canonicorum conventum nullo ei modo alio crediturum. Ventum est ad diem. Rogus maximus exstructus est (190), per cujus medium pedes transiret, probaturus suam super objecto crimine innocentiam, si tamen intactus evaderet. Compulsus ille tam vehementi perversorum, ne dicam impiorum, hominum violentia, quod cogebant concessit, atque se per ignem transiturum, constantia resumpta promisit. Rogavit hoc solum, ut virtus et justitia omnipotentis Dei, exorcismi more, super pyram (191) illam flammeam invocaretur, et ut aliquando factum audierat, in nomine ipsius benediceretur. Quod optimi et pii iudices prorsus negarunt. Perstat adhuc ille, et etiam per non benedictum ignem, conscientia, ut arbitrator, testimonio confusus, transiturum se spondet. Quod verentes illi, ne forte opere quod dicebat impleveret, missis ministris ignem jam paratum destruunt, ac, nequitia inaudita, nec modo quem ipsi proposuerant, eum purgari permittunt. Invadunt statim omnia

A ejus, et, ac si re justissime iudicata, reoque clare convicto, nihil ei prorsus de rebus quas ipsis, ut supradictum est, obligaverat, derelinquunt. Quid faceret tot, tantis, tam inauditis violentiis oppressus homo? Nihil illi jam reliqui erat. Unum quod habuit, unum quod potuit, fecit. Ad illud unum præcipuum et singulare oppressorum præsidium confugit: illud unum et ultimum miserorum asylum, apostolicum dico auxilium, elegit, tabernaculum scilicet, quod est in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et in absconsionem a turbine et a pluvia (*Isa. iv*). Ista, Pater, in vobis, et de vobis sperans, ubi præsensit ad rapinam honorum suorum falsos, imo nullos iudices inhiare terminum vel obicem apostolicæ appellationis interposuit, quam, ut putabat, non liceret eis transgredi. Sperabat enim eos non ausuros quod ausi sunt, non dicturos quod dixerunt, non facturos quod fecerunt. Sed frustra hoc speravit, quia spes ejus frustrata est eum. Quos enim mitiores futuros inde speraverat, longe ferociores invenit. Nam post factam appellationem, tota illa rerum ipsius rapina ab eis facta est, quæ supra a me conscripta est. Addita est insuper verborum contumelia, quæ apud imperatores sæculi reos majestatis faceret, et pœna ad minus capitali puniret. Sed quamvis Ecclesia non habeat imperatoris gladium, habet tamen super quoslibet minores, sed et super ipsos imperatores imperium. Unde ei sub figura prophetici nominis dicitur: *Constitui te super gentes, et regna, ut evellas et de-*

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

nas et possessor est alodii, est et per ipsum districtor et iudex forisfacti, cujuscunque generis sit, et legis emendationem exigit, ita ut si iudicium illud apud S. Amandi ecclesiam fuerit deportatum, non tamen pro hoc de eo aliquid ad alium pertineat nisi ad ipsum. » Et charta 37 quæ est de piscatoria Aquæ Glandessæ. « Nosse debetis Rainaldum de Castro-Guntherii eo tempore quo tenebat in Turonia castrum-Rainaldi, calumniatum nobis fuisse piscariam Aquæ Glandessæ. De qua reportato calidi ferri iudicio per hominem nostrum Haimonem de Boeieto, probatum est contra illum consuetudinem esse antiquam omnium incolentium terram illam, in aqua illa piscari quocumque velint. » De bello sive duello dicemus ad librum i Miraculorum. De pyra denique sive igne accenso postmodum. Addamus tantum hic, ex præcedentibus omnibus auctoritatibus elici quodammodo posse, non alios fere quam servilis conditionis homines offerri solitos ejusmodi probationibus, quæ demum et ipsæ per summos pontifices Stephanum V, Innocentium III, Honorium III et alios, ut animabus periculosæ multumque damnosæ prohibita sunt.

(190) *Rogus maximus exstructus est, per cujus medium pedes transiret.* Purgatio per ignem triplex: per rogum seu pyram, per prunas, per ferrum candens, vomeres, aut quid simile. De ferro jam dictum est in præcedenti nota. De prunis exemplum exstat apud Gregorium Turon. qui Briccium Sancti Martini Turonensis in sede successorem, illarum iudicium pro removenda stupri calumnia subivisse refert; et aliud fere simile legitur in Vita sancti Guillelmi abbatis, de Dacia vulgo dicti, qui contra calumniatores quosdam verum sanctæ Genovesæ virginis caput in capsula sua reclusum asseverans, id ipsum se per ardentis clibani iudicium probaturum publice protestatus est, Rogum denique cujus hic

C sermo, multi probandæ innocentia causa reperiuntur ingressi, nempe Petrus Massiliensis suspectus de hæresi apud Paul. Æmilium, lib. iv Histor. Franc. Poppo Danus presbyter in fidei Christianæ probationem, apud Crantzium, lib. iii Metropol. cap. 43, et Saxonem lib. x Histor. Danorum, et alii quoque de quibus Martinus Delrio lib. iv Disquisit. magic., cap. 4, quæst. 4, sect 5. Sed quæ Blasius Melanesius de Petro Florentino archiepiscopo narrat in Vita Joannis Gualberti prætereunda non sunt, quia locum hunc Petri nostri luculenter illustrant. « Præfigitur, inquit, locus et dies, quo istud fieri debebat, ut si qui velint possint coram intueri. Locus præfixus est in monasterio Septimi. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Modus probationis fuit ejusmodi, ut in loco publicæ lignorum strues juxta se fierent, quæ oblinearent in longum decem pedes, in latum quinque, in sublime quatuor et dimidium; inter utrasque vero strues semita interesse, longitudine brachii prunis ardentibus constrata, per quam unus ex monachis transiret. »

(191) *Justitia Dei exorcismi more super pyram.* Exorcismus hic qualis esset, idem Blasius docere videtur ubi supra cum ait: « Itaque sunt litanie et aliæ preces a monachis dictæ, sacrificium solemniter celebratur ab abbate illius instituti, clericis et monachis adjuvantibus. Ubi ventum est ad *Agnus Dei*, unus ex monachis fert aquam sacratam ad aspergendum, alius thuribulum thuris incendendi causa, tertius faculas ad ligna inflammanda, quartus imaginem crucifixi. Invocatur a cunctis Dominus Jesus Christus, et sanctissima Mater ejus pleno ore, ut veritas declaretur. » Referunt et formulas exorcisandæ aquæ calidæ Juretus, Pithœus, et Delrio locis jam citatis.

struas, et disperdas et dissipas, et edifices et plantes (Jer. 1). Qua de re si non potest occidere, potest evellere. Si non potest occidere, potest destruere. Dixit plane, ut audivi, Brivatensis abbas, appellanti clerico, quid appellas? Quid nobis papam opponis? Tantis papa implicitus est, tantis involutus negotiis trans Rhodanum, quod nunquam cogemur respondere ei cis Rhodanum. Hæc, Pater, omnia, ut scripsi, accepi; a talibus tamen, quorum religioni, maturitati, veritati credere compulsus sum. Fortassis et vos, si illos audiretis, et agnosceretis, crederetis quod credidi, diceretis quod dixi. Ut ergo jam et meis verbis, et vestris auribus, ut dignum est, parcam, oro, obsecro, supplico, ut causam pauperis, sed prudentis et in pluribus utilis, ut me agnovisse existimo, clerici, vobis assumatis, et contra potentes et violentos adversarios defendatis. Nostis enim, quod sedes vestra sedes est illius cui dicitur: *Justitia et iudicium præparatio sedis tuæ* (Psal. LXXXVIII); et cui rursus: *Justitia plena est dextera tua* (Psal. XLVII); et de quo iterum: *Qui facit iudicium injuriam patientibus* (Psal. CXLV). Quod si alteri quam vobis loquerer, adderem illud Isaia: *Quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam; et venite, et arguite me, dicit Dominus* (Isa. 1). Quæ universa congruo effectui religio et sapientia vestra mancipabit, si præposito, qui majoris in Ecclesia illa nominis est, si abbati, si Odiloni de Magone, si Joanni de Cornone, si tandem et illis, qui tanti sacrilegii, imo idololatriæ participes fuerunt, auctoritas vestra præceperit, ut clerico ablata omnia in integrum restituant, et post restitutionem, super tam nefanda, quæ eis obijciuntur, die data, quod justum fuerit facturi et executuri, præsentiam suam vobis exhibeant. Hoc enim super omnia et clericus rogat, et nos precamur, ne alicui præter vos iudici causam istam terminandam committatis. Quod cum factum fuerit, cum res sub iudicio majestatis vestræ constiterit, recordamini quid Helias profano regi dæmonem consulenti et ægrotanti dixerit: *Quia hoc fecisti, de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris* (IV Reg. 1). Quare hoc ultimum adjunxerim, intelligit sapientia vestra.

EPISTOLA XXIX.

Forti ac splendidae monastici ordinis, imo totius Ecclesiae Dei columnæ, domino BERNARDO Clarævallis abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.

Si liceret, si Dei dispositio non obstaret, si in hominis potestate esset via ejus, maluissem, charissime, beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quam vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri a me deberet grata non solum hominibus, sed et angelis ipsis cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixerò, licet nondum spes in rem transierit, per misericordis Dei gratiam mendax non ero. Si plane mihi datum fuisset, usque ad ul-

timum spiritum tecum hic esse, daretur fortassis post hæc, ubi et esses, etiam perpetuo esse. Quo enim currerem nisi post te, tractus odore unguentorum tuorum a te? Quod quia semper non datur, utinam vel sæpè daretur! Et quia nec illud est, utinam saltem frequenter videam missos a te! Et hoc quia raro contingit, volo, ut vel in proximo sanctitas tua amantem se per suum Nicolaum usque ad octavas Domini mecum mansurum visitet, in quo vester, ut mihi videtur, ex parte, et meus ex toto spiritus requiescit. Videbo te, sancte frater, in illo, audiam te per illum; et quædam, quæ secreto nota fieri volo sapientiæ tuæ, mandabo per ipsum. Sanctæ animæ tuæ, sanctisque sub regimine tuo omnipotenti Domino servientibus, me nostrosque quantis possum viribus, quanta possum devotione, commendo.

EPISTOLA XXX.

NICOLAO suo, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et se.

Si meus es, ut dico, si opinio mea non me fallit, licet homo sub potestate sis, mando tamen, et omnino volo ut venias. Distuli diu mandare hoc, cum id tamen in animo fixum haberem, non quia dissimulabam, sed quia tempus congruum expectabam. Sum enim semper, ut nosti, instabilis etiam in statu, ignorans quandiu quolibet in loco mansurus, quando vel quo inde sim recessurus. Unde quia saltem nunc quodam corporis infortunio, Cluniaci usque ad Christum natum manere cogor, veni, nec dissimules, quia fortasse si differres, me ibidem usque ad terminum nescio quem invenire non posses. Qua de causa tantum instem, cum veneris exponam. Domino abbati tuo aliis litteris, ut te mihi dirigat, nil rogans, velut pro imperio mandavi. Historiam magni Alexandri Augustinum nostrum contra Julianum, si tamen jam vester ex illo correctus est, et si qua alia bona habueris, tecum defer.

EPISTOLA XXXI.

Domino et Patri dulcissimo PETRO, Dei gratia Cluniacensium abbati, frater BERNARDUS Clarævallis vocatus abbas, salutem ab eo qui mandat salutes Jacob.

Quid facis, o bone vir, etc. Vide inter epistolas.

D S. Bernardi, Patrologiæ tom. CLXXXII.

EPISTOLA XXXII.

Magno sacerdoti Dei egregio archipræsuli Rothomagensis Ecclesiae HUGONI, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, stola jucunditatis indui, et corona pulchritudinis adornari.

Soleo plerumque plurima, quæ miranda videntur, mirari, et ea scripto sæpe, prout videtur congruum, commendare. At nunc non quælibet alia, sed meipsum (quod magis mirum est) miror. Miror plane me tandiu vobis permansisse mutum, cum præter vos fere omnes alii me sibi hactenus non senserint taciturnum. Scripsi et scribo frequenter aliis, quibus nec ita ut vobis mente adhæreo, nec eis illum, quem vobis in intimis animi recessibus

tam dulcem, tam sincerum, tam sublimem veri amoris locum reservo. Debuisset plane, quod me neglexisse non parum poenitet, qualescunque libros meos epistolis vobis missis implere, et rescriptis a vobis velut gemmeis floribus adornasse. Exundabat dives materia scribendi, nec rerum verarum inopia falsa vel adulatoria fingi cogebat. Quid enim magis vel rapere cor meum ad amandum, vel movere manum ad scribendum poterat, quam tam sancta, tam benigna, tam longæva in sancto proposito a primis fere adolescentiæ annis usque ad senilem magis labore divino quam annorum numero fractam ætatem perseverantia vestra? Quid magis movere poterat, quid magis movere debebat, quam illa jam antiqua, cujus vos non immemorem esse credo, mihi et vobis paucis paucisque aliis notâ rerum Cluniacensium recordatio? Non excidit mente, qualiter primo juventutis vestræ tempore, inter antiquos illos reipublicæ nostræ senatores, vos insignem viderim. Non excidit quantum eruditio et religio vestra sacrum illum ac magnum Cluniacensium ovium gregem decoraverit, quam splendide præ cunctis pene aliis in ordinis commissi custodia effulserit. Taceo, nec vivens oblivisci poterò, quod a cœpto sanctæ religionis proposito, in diversis ecclesiasticorum honorum gradibus, vultus vestri non sunt in diversa mutati, sed tam apud nos quam semotus a nobis, prior, abbas, summusque tandem pontifex Dei, merito virtutis ac scientiæ bonus semper, juxta Apostolum, odor Christi in omni loco fuistis (II Cor. II). Non estis reveritus in causa Dei potentes tyrannos, nec ipsos magnos magnique nominis reges; sed quantum in vobis fuit, Ecclesiam Dei super gentes et regna ab eo constitutam, cuilibet mortalium indecenter ancillari, æquo animo nunquam tulistis. Præter hæc teneo et illud, quod nulla cura, nulla magnarum rerum quantacunque distensio, memoriam nostri, amorem vestræ Cluniacensis Ecclesiæ, aliquo tempore, qualibet occasione, a corde vestro avellere potuit. His de causis, si fieri posset, et hoc dispositio divina permetteret, malletem vestra quam mortalis cujuslibet non solum frequenter, sed et continue uti præsentia, ut vobis colloqui, vobiscum in Domino jucundari, imo quod super omnia optarem, quodque utriusque nostrum professio exigit, cogitando de ipso, loquendo de ipso, disputando de ipso, in mensa sapientiæ, quæ vobis non est ignota, assidue deliciari. Hoc quia non semper nec sæpe datur, utinam vel raro daretur! Quod saltem ultimum, quia de duobus primis despero, ut a vobis impleatur, summopere postulo. Postulo, inquam, ut desiderabili præsentia vestra, meo vestrorumque filiorum Cluniacensium desiderio in brevi satisfiat, quia justum est ut satisficiatis in hac parte desiderio, ut dixi, filiorum vestrorum, gratia illius qui implet in bonis desiderium suorum. Et ne forte dicat vel cogitet quisquam justius est ire abbatem inferioris ordinis ad archiepiscopum superioris or-

A dinis, quam econverso, respondeo: Justum est, dignum est. Sed non posset sequi abbatem ille, ejus causa maxime hæc dicta sunt, totus grex suus, et poterit absque grege suo longe facilius visitare abbatem episcopus solus. Valeat sancta et tota jam cœlestis, frater charissime, beatitudo tua. Airaldum clericum, natura nostratem, beneficio vestratem, ex parte mea monete, ut quod mihi promisit, nil ultra moratus persolvat. Quod promisit, hoc est cantus prosæ a me in laude Matris Domini anno altero factæ, et cantus responsorii, de eadem materia a me similiter compositi, quod sic incipit:

Christe Dei splendor, qui splendida cuncta creasti.

Hos cantus, quando Cluniaci fuit, se in brevi promisit missurum, necdum misit. Monete, aut cogite ut impleat quod promisit, ne forte Arverni hominis mendacium, Arvernensis innocentibus, quod me esse negare non valeo, imputetur.

EPISTOLA XXXIII.

Patri suo domino Cluniacensi, frater NICOLAUS.

Indica mihi quem diligit anima. Quando veniam et apparebo antè faciem tuam, quando videbo te, quando consolaberis me? Consolaberis, inquam, quia consolatio abscondita est ab oculis meis, donec videam et desideratam et desiderandam præsentiam tuam, et tristis est anima mea usque ad te. Minime quidem deserit me quocunque iero dulcissima tui memoria; sed quanto memoria dulcior, tanto absentia molestior est. Absit autem ut me consoletur illa verisimilis, sed non vera sententia! Præsentiores, inquit, sunt qui se animis, quam qui oculis intuentur, et plus est corde connecti quam corpore. Quasi vero conspectus et conversatio non habeant aliquid vivæ voluptatis, quæ non potest absentibus provenire. Sed hæc, sicut arbitror, ex ratione, non ex affectione locutus est ille Romanæ eloquentiæ splendor, cum quo eloquentia nata est, et educta in lucem. Tullius hic est, de quo et dictum est, quia quæ studio informaverat, actu urgebat, arte exsequebatur, pectus in linguam facillima transferens facultate. Quid facio? Evagatus sum a negotio meo, nec disgressio, sed transgressio est quod feci. Quis mihi récompensabit, quod non vidi pariter duo illa magna luminaria, et in firmamento cœli, videlicet loco illo quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi? Irascor occupationibus meis; quibus factum est, non ut non vellem, sed ut non possem, et etiam ut nescirem. In causa fuit causa fratris tui, domini mei Vizeliacensis abbatis, ad quam ex præcepto tuo oportuit me pugnare ad bestias, ut non prævaleret homo. Additus est, juxta prophetam, annus ad annum, evolutæ sunt solemnitates (Isa. I), et dies pro anno datus est mihi, ex quo non vidi, non dicam dominum, sed dilectum. Cedit quippe fastus, cum accedit affectus, et personalis reverentia deperit, cum cœperit familiaris amicitia perorare. Honoret sâne qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur; vacant hæc omnia penes aman-

tem. De te autem jam mihi pridem persuasum est hoc, cujus altitudo adæquata est, cujus singularitas associata est, ita ut exemplo esse possit et his qui fuerant in exemplo. Cujus autem culpa est, quod tandiu fraudatus sum desiderio meo? Mea non est, tam propter infirmitatem, quam propter occupationem, quæ mihi a te fuit injuncta. Nunquid tua? Absit! Duplici enim epistola et provocasti me et evocasti, scribens Patri meo in hæc verba: *Mitte mihi Nicolaum tuum, in quo tuus, ut mihi videtur ex parte, et meus ex toto spiritus requiescit.* O vocem amoris, vocem, cui vicem ego rependere non possum omnibus diebus vitæ meæ. Si inveni gratiam in oculis tuis, si te tangit aliqua recordatio Nicolai tui, scribe Patri meo per nuntium tuum, et priori nostro, et Gaucherio tuo (horum enim omnium negotiis intricatus et implicatus sum) ut in sancto Pascha mittant me ad te, ita ut noverim virtutem de stylo, imo stylum de virtute exisse, quia desiderio desideravi hoc Pascha manducare tecum, amantissime Pater. Ita autem fiat, ut aliquot diebus liceat mihi commorari tecum, et si non satiari, saltem refocillari præsentia tua. Confiteor enim, et si necesse est, profiteor, quia pene nihil aliud libet, dum non præsto est quod multum libet. Rescriptum autem litterarum illarum, quas mittes, mitte mihi secreto; et tunc si poterò perferam ad te Alexandrum magnum, referam Augustinum tuum, et quæcunque bona manus mea poterit invenire. Nunc appareat totum illud gratiæ, quod habeo in oculis tuis. Sanctissimæ animæ tuæ commendo me quia tuus fui, tuus sum, tuus ero quandiu fuero, in visceribus Jesu Christi. Per præsentium latorem communica mihi de verbis illis coelestibus et dulcibus, ut interim speculum videam, donec videam vultum. Si in Pascha non potest evenire quod mando, saltem post Pascha. Scio ego quod dominus abbas dixit tibi ne mandares me sine necessitate, sicut et mihi dixit; sed necessitas est, et summa necessitas te videre, quamvis in multis occupatus sim. Quid plura? Præcipe ut veniam.

EPISTOLA XXXIV.

Suo charissimo NICOLAO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem.

Legi melleas litteras a te mihi, charissime, missas, quibus festinanter vel negligenter respondere, impium et amori mutuo inimicum putavi. Timui ne alienus et festinans ad reditum cursor, non plene, nec ut vellem, jussa exsequeretur. Unde hunc statim fere ut litteras illas accepi, cum brevibus istis remis. Mittam evestigio proprium, qui nil negligere de injunctis audeat, teque ac domnum Clarævallensem, quocunque pes vester ierit, prosequatur. Dabo operam ne vel frustra scripseris, vel ipse domno abbati rursus ut nuper contigit, de tuo ad nos tandiu optato adventu, incassum rescribam.

EPISTOLA XXXV.

Venerabili et cum honore debito nominando domino

BERNARDO de Clarævallis abbati, frater PETRUS, humilis fratrum Cluniacensium abbas, salutem quam repromisit Deus diligentibus se.

Si de amico, et tanto licet conqueri, queror, et ei quod a quibusdam cuidam dictum est, dico. Pater, et si rem grandem dixisset tibi amicus, certo facere debueras. Quanto magis quia nunc scripto, nunc verbo, dixit, rogavit, ausuque familiari præcepit: *Mitte Cluniacum Nicolaum tuum?* Nec nego tamen rem grandem, sed iter grande non est. Quid si tu tantum semel mihi scripsisses, mitte ad me hunc vel illum, aut plures? Quid ego? quid ego, inquam, facerem, nisi quod soleo? Soleo quippe non solum roganti cedere, sed et imperanti obedire. Sed quæris causam. Nunquid non illa sufficit, videre dilectum? Tuus quidem est, sed dilectus mihi est. An non placet tibi, si diligo quæ tua sunt? An non placet tibi, ut eum, quem tu, ut arbitror, multistorum tenerius diligis, ipse affectuosius diligam? Et quæ major probatio veræ amicitiae, quam amare quod amicus amat? Diligo eum causa tui, diligo et causa sui: causa tui, quia tibi obsequitur; causa sui, quia a tempore domini Trecentis episcopi, multis hoc meritis promeretur. Nihil hactenus pro illis omnibus ei retribui, nisi quia semper in Domino eum sincere dilexi. Cumque alii obsequia obsequiis, beneficia beneficiis soleant rependere, nonne ultra omnem modum ingratus viderer, si absque sumptibus, si absque expensis, solam saltem gratiam amanti negarem? Hanc ut saltem verborum signis non ex toto erga illum evanuisse probem, mirum est, si saltem semel in anno, hunc videre, huic loqui, cum hoc de Scripturis aut sanctis aut philosophicis, quibus usque ad summum refertus est, in Domino deliciari quæro? Si de Deo, si de divinis, de summe utilibus animæ causis loqui, non conferre otiosum est; Nicolai ad nos otiosus adventus est. Si amorem personæ tuæ cordibus nostrorum inserere, si quæ vestri ordinis sunt omnibus commendare, si tandem universitatem vestram corpori congregationis nostræ charitatis glutino unire otiosum est; Nicolai ad nos otiosus adventus est: Eructat cor ejus semper nobis de vobis vestrisque verbum bonum, quærit bona genti suæ, rogat ea quæ ad pacem sunt Jerusalem. Hæc sunt ludicra otiosa, vel vana Nicolai apud nos. Cur ergo, mi charissime, unus saltem mihi per mensem non conceditur, cum ego Petrum, cum Robertum tibi sanguine proximos, cum Garnerium, cum quosdam alios tractus amore tui tibi non mense uno, sed perpetuo concesserim? Quot ego abbates, quot monachos, aliis, ne dicam alienis Ecclesiis, litteris tuis vel consiliis victus concessi? Nec me poenitet amico cessisse, cui et adhuc in pluribus paratus sum cedere. Sed justum est ut et ipse vicem reddat, justum, ut semper sibi cedenti, et ipse aliquando cedat. Est istud magis lucrosus vestris quam nobis, quia nullo post te, venerande vir, nullo, inquam, interprete efficacius ad persuadendum apud nos per-

orare poterunt, nec copiosius hamo aliquo in mari vel flumine Cluniacensi piscari. Sed recolo quid mihi nuper sanctitas tua Cluniaci constituta dixerit. Ad quid vultis Nicolaum? Respondi: Non est tale quid, non est magnum. Sed fateor, mi charissime, da veniam, si excessi; magis indignantis quam (quod verum est) confitentis verba fuerunt. Duplex vere tunc fui, nescio quo casu, quod esse sæpe non soleo, duplex plane tunc fui in verbo. Aliud tunc corde servatum est, aliud lingua depromptum est. Ita certe mens tacita suggestit. Quid quod vis toties profiteris? Fortassis ut jam bis, ita et nunc tertio petitis frustrareris. Rogasti, nec auditus es. Quid iterum preces funderes? Respondere volui quod cæcus fab utero Pharisæis: *Dixi vobis et audistis. Quid iterum vultis audire? (Joan. ix.)* Respondere hoc volui, sed nolui. Ecce confiteor. Prosit quod confessus sum. Prosit quia veritatem falsitatis tegmine non velavi. Prosit ut quia, sicut dicitur, inter amicos omnia nuda, dolum nubilo pectoris tectum coram amico nudavi. Dico, prosit. Sed ad quid? Ut horreis tuis aliquid mei causa demas? Ut cellariis aliquid subtrahas? Ut de argenti aurique thesauris, etiam si adessent, quidquam imminuas? Quid ergo? Ut Nicolaum mittas. Nec nunc tantum, sed et quando post hæc petiero. Nam cavebo, si potero, ne quid postulem quod jure negandum sit, vel quod tibi, ne dicam mihi, in aliquo obsit. Fiat ergo mihi, fiat quod volo, ut hoc Pascha proximum Nicolaus apud nos faciat, et more suo cor vestrum nobis, vobisque nostrum rediens a nobis refundat.

EPISTOLA XXXVI.

Suo charissimo NICOLAO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem quam sibi.

Quid dicam? Tædet animam meam vitæ meæ. Quare? Quia non quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio. Datum est mihi hoc, et nescio si desuper, ac velut inseparabile accidens fere a puero mihi inhæsit, ut pene semper impellar ad hæc quæ nolo, et repellar ab his quæ volo. Et licet hæc dicam, non sum tamen de illis qui non sunt contenti sorte sua, qui propria fastidiunt, aliena ambiunt. Non sum de illis de quibus quidam satis notus,

O felices [fortunati] mercatores! gravis annis

Miles ait.

(HORAT. Sat. lib. I, sat. 4, vers 4, 5.)

Et iterum:

*mercator navem jactantibus austris,
Militia est potior.*

(Ibid., vers. 6, 7.)

Non, inquam, sum de his, vel similibus, qui semper anxietatis mentis, aut dubietatis, universos in requie, se solos in labore versari causantur. Quod si forte animus noxiis inhiaret, agerem gratias sepienti vias meas spinis, obstruenti maceria. At si bona, si utilia optantur, quare non dantur? Si volui silere, oportuit me loqui. Si volui vacare, oportuit laborare.

A Si cœlo quandoque defigere oculum libuit, statim illum ad terram temporalium cura retraxit. Quorsum ista? Quia sic de te, sic de te, inquam, charissime, hactenus mihi contigit. Volui, imo toto corde optavi, te semper mecum esse, nec datum est. Volui saltem sæpe, nec concessum est. Manet adhuc pertinax in hoc odioso statu fortuna, et quæ variare vires non cessat, contra morem suum invariabilis perseverat. Sed credo Deo, quia rumpetur male fixa stabilitas, et qui meam de te esuriem satiare nequeo, saltem hanc brevi tempore jucundo ac dulci tuo colloquio relevabo. Vere jucundo, vere dulci. Nam si talis est stylus tuus, qualis est animus tuus? Si talis littera tua, qualis lingua tua? Non es enim, non es talis, quales quidam loquaces stylo, muti eloquio, vel econverso profusi loquentes, muti scribentes. Et si conferre minorem majoribus licet, non solum tuum sequeris Tullium Tullianus, scripsisti, quod pectus in linguam facillima transferebat facilitate, sed quod est dignius, imitaris Apostolum apostolicus. Dicebat ille dici de se: *Epistolæ graves sunt et fortes, præsentia corporis infirma, et sermo contemptibilis (II Cor. x)*. Dicebat hoc, sed aliter se facturum promittebat. *Quales, inquit, sumus absentes, tales erimus et præsentis (ibid.)*. Utrumque igitur fuit in Apostolo, et vivax spiritus in Epistola, et vivificans sermo in lingua. Utrumque hoc et in te æqua lance natura polivit, utrumque et superaddita gratia dividit, ita ut præter vim quamdam vivo innatam sermoni, nil ultra citraque, nil plus minusve, ipse acer et æmulus scrutator inveniat. Ut quid et ista? Quia traxit, fateor, quia non parum traxit, imo rapuit cor meum epistola tuâ, illa plane epistola, quæ ex abundantia cordis locuta est, quæ de multo adipe, et pinguedine amoris processit. Quam cum scriberes, ut de illo tibi noto dictum est, non quidem calamum, sed pennulam in mente tinxisti. Stillabat, dum legeretur mihi, illa dulcedinem, et cordi meo infundebat per verba singula lac et mel. Cogitabam ea similitudine, quam verum esset, quod a David Deo dictum est: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! (Psal. cxviii.)* Si adeo dulce eloquium hominum, quanto magis divinum? Si adeo dulcis terrena guttula, quam dulcior cœlestis imber? Si adeo mentem lenit ros humani sermonis, quanto magis delinit torrens voluptatis? Multa similia ex his conjiciebam, et totum, quod scripsisti, ad divina et æterna transferebam. Sed quid his plura? Taccant interim litteræ, sed ipse statim pro litteris veni. Credo quod jam non teneberis, nec, ultra iter tuum ad nos, Patris tui charissimi mei sententia remorabitur. Scripsi ei de te quod ipse videbis. Scripsi priori, scripsi Galcherio, Ante Pascha præstolor te, ut in Pascha habeam te. Est, est nobis cœnaculum grande, stratum, ubi Jesus, ut jam præmandavit, comedet Pascha cum discipulis suis, ad quod ego invito te.

EPISTOLA XXXVII.

Honorando et dilecto fratri dōmno PHILIPPO Claravali-

lis priori, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, salutem et amorem.

Ait Salomon : *Vinum novum, amicus novus. Veterascat, et cum suavitate bibes illud (Eccli. ix)*. Sic tu mihi frater esse videris. Ago gratias Deo, quod novus amicus es. Spero in ipso, quia veterasces in amicitia; et qui adhuc novus places, multo magis veterasces placebis. Nam quanto sincerus amor prolixior, tanto suavior esse solet. Placuit semper mihi, ex quo te vidi, esse tuum; et mores placidi et benigni ut te multum diligerem suaserunt. Jube igitur amodo quod volueris, obedire parato. Sed et tu jure amicitiae, imperanti obedi. Rogo dominum abbatem, ut mihi ante festum Nicolaum suum ac tuum mittat. Fac apud ipsum ut quod postulo fiat.

EPISTOLA XXXVIII.

Charissimo fratri et filio GALCHERIO, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, plenam a Salvatore salutem.

Quia jam non novus, sed multorum annorum amicus es, non laboro apud te in loquendo; nec ad id, quod intendo, longa insinuatione utor. Nam qui amicus est, non exspectat preces, sed velle amici. Quod ut agnoscit, statim implere laborat. Velle meum est, ut frater Nicolaus nobiscum Pascha faciat. Jam quod volo agnoscis. Tuum est amodo, ut non frustra velim, neque frustra scripserim. Rogavi inde dominum abbatem; si necesse fuerit, roga et tu.

EPISTOLA XXXIX.

Neptibus charissimis et filiabus dulcissimis, MARGARITÆ et PONTIÆ, frater PETRUS, humilis Cluniacensium abbas, quidquid est salutis et gratiæ.

Legi litteras a vobis scriptas mihi, in quibus incommodo meo compatimini, et non spiritali suffragio tantum, sed et arte physica mihi mederi conamini. Ago gratias sollicitudini piæ, et affectum filialem ea, qua decet, benigna dulcique mente complector. Sed miror unde Jesu Christi scholasticæ Hippocratis scholas redolent, unde merces Babylo-nicas Jerusalem filia mercatae sint. Non contemno quidem adjumenta medicinalia, corruptæ plerumque naturæ medentia, maxime cum legam medicinam ab Altissimo creatam (Eccli. xxxviii), Christumque dicentem audiam : *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent (Luc. v)*. Accuso tamen hostes naturæ, interfectorices carnis propriæ, crucifixas cum crucifixo, rursus de vita, rursus de remediis vitæ, rursus de statu corporum cogitare. An mente excidit verbum solemne Agathæ virginis : *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui?* An illa tantum ancilla Christi? an illa tantum sponsa Christi? Nonne et vos ancillæ? nonne et vos sponsæ? Et martyr illa quidem et virgo, longe vobis præstantius, longe vobis sublimius. Sed non abhorret ab ipsa vestrum propositum, quando et sui generis martyrio Deo servitis, et virgineo flore cælestium camporum speciem decoratis. Lætor plane, lætabor non parum, mihi credite, filia: si de pro-

A pagine mea, si de sanguine meo, sublimes ille totoque orbe celebres virgines, Agatha, Agnes, Fides, ac reliquæ, ipsaque (quod longe dignius est) Virgo virginum, vos pedissequas quandoque habuerint, ego quidem, ut dixi, si illæ vos famulas, ne dicam socias, habere dignatæ fuerint, gaudens gaudebo in Domino, et exultabo in Jesu salutari meo. At vos, o meæ, ut sic dicam, virgines, o ancillæ, imo regis æterni sponsæ, si tamen non de fatuis, sed de prudentibus virginibus fueritis, cum talium vos socias esse contigerit, quanto gaudio tripudialitis, quanta lætitia exultabitis! Quæ jucunditas illa, miseris mortalibus ignota, qua torrente voluptatis ipsius potatæ insatiabili satietate ab illo, apud quem est fons vitæ, post has tam densas, tam odibiles Ægypti tenebras, in lumine ejus videbitis lumen? Quid erit tunc, quid fiet tunc apud vos, quando post Marci-niacensem carcerem, in liberum puri ætheris fulgorem evaseritis, et in illa quæ sursum est Jerusalem, quæ est, juxta Apostolum, mater nostra (Gal. iv); carne vestra, et corde exultante in Deum vivum, dixeritis, cantaveritis : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri? (Psal. xcvi.)* Quid erit, quando cælorum rex Jesus, pro brevi continentia et sanctitate, clementi dextera alluserit puellis suis, ancillis suis, virginibus suis? Quanta illa, quamque incogitabilis felicitas, ut alios taceam, ipsis summis apostolis in vita illa, quam promisit non mendax Deus, non ubique Christum sequentibus, et vos cum utriusque sexus choro virgineo, Agnum Virginis filium virginali fiducia sequi quocumque ierit? Fulgebunt quidem illi, ut sol in regno Patris sui, et sicut stellæ lucentes in perpetuam æternitatem, longe majorem, longe celsiorem pro meritis sui generis gloriam obtinebunt. Non poterunt tamen adæquari vobis in hac parte, nec illud privilegium, quod sola felix virginitas promeretur, licet inæstimabiliter rutilans sanctorum innumerabilium legio possidebit. Hinc Augustinus noster (De virg., l. i, c. 27-30) : *Pergite itaque, sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac feminae, cælibes et innuptæ, pergite perseveranter in finem, laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius. Sperate felicius, cui servitis instantius. Amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis et lucernis ardentibus, exspectate Dominum quando veniat a nuptiis. Vos offertis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris. Non utique tale, quale cantat universa terra, cui dicitur : « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra (Psal. xcvi). » Sed tale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam, præ cæteris dilectus ab Agno, qui discumbere super pectus ejus solitus erat, et bibeat, et eructabat mirabilia super cælestia Verbum Deum. Ipse vos vidit duodecies duodenā millia sanctorum citharædorum, illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Et quia sequimini Agnum quocumque ierit, scripsit ille de vobis (Apoc. xiv). Quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum sequi, vel*

audeat, vel valeat, nisi vos? Quo putamus eum ire? in quos saltus et prata? Ubi, credo, sunt graminea gaudia, non gaudia hujus sæculi vania, et insanice mendaces, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus, sed gaudia a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum quamvis Christi. Nam sunt quidem aliis alia, sed nullis talia. Gaudia propria virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Ite, in hæc sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo. Hoc enim se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus, et natus. Merito sequimini virginitate cordis et carnis quocunque ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari? « Quia Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, » sicut ait apostolus Petrus, « ut sequamini vestigia ejus (I Petr. II). » Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, non in quantum ille Filius Dei est, unus per quem facta sunt omnia, sed in quantum filiis hominum, quæ oportebat, in se præbuit imitanda. Et multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent quid faciant, ut virgines sint, in quibus jam factum est, ut virgines non sint. Sequantur itaque Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocunque ille ierit, sed quousque illi potuerint. Possunt autem ubique, præter quam cum in decore virginitatis incedit. Sed ecce ille Agnus graditur itinere virginali. Quomodo post eum ibunt qui hoc amiserunt quod nullatenus recipiunt? Vos ergo, vos ite post eum, virgines ejus; vos illuc ite post eum, quæ propter hoc unum quocunque ierit sequimini eum. Ad quodlibet enim aliud sanctitatis, quo eum sequantur, hortari possumus conjugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiserunt. Vos itaque eum sequimini, tenendo perseveranter quod vovistis ardentem. Facite cum potestis, ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis, ut redeat. Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest. Videbit, nec invidabit; et collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum proprie vestrum dicere non poterit. Audire autem poterit, et delectari tam excellenti bono. Sed vos quæ et dicetis et audietis, quia quod dicetis, a vobis audietis. Felicius exsultabitis, jucundusque regnabitis. De majore tamen vestro gaudio nullus mæror erit. Agnus quippe ille quem vos, quocunque ierit, sequimini, nec eos deserit, qui eum quo vos non valent sequi: et vobis præibit, et ab eis non abibit, cum erit Deus omnia in omnibus. Et qui minus habebunt, a vobis non abhorrebunt. Ubi enim nulla est invidia, concors est differentia. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permærete: quæ vovetis et redditis Domino Deo vestro vota (Psal. LXXV) perpetuæ continentia, non propter præsens sæculum, sed propter regnum celorum.

Quanta, filiæ, quanta virginitatis est laus! Mere-

bitur si perstiterit Margarita mea. quod non meretur Magdalena Maria. Quare hoc? quia non patientia, non humilitas, nec ipsa charitas, non quælibet alia virtus soror dicitur angelorum, sed virginitas. Hinc beatus Hieronymus: « Bene angelus ad Virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis. Unde in carne angelicam gloriam acquirere, majus est meritum, quam habere. Esse enim angelum felicitatis est, esse vero virginem virtutis: dum hoc obtinere viribus nititur cum gratia, quod habet angelus ex natura. » Hinc rursum Augustinus (De virg. l. I, c. 53, 54, 56): *Ecce jam tales estis, quia et tales esse debetis. Hæc addita virginitati, Angelicam vitam hominibus, et cæli mores exhibent terris. Si ergo nuptias contempstis filiorum hominum: toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum. Vacat vobis, liberum est cor a conjugalibus vinculis. Inspicite pulchritudinem amatoris vestri, cogitate æqualem Patri, subditum etiam et matri, in cælis dominantem, et in terris servientem, creantem omnia, creatum inter omnia. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quam pulchrum sit, internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate: hæc in statera charitatis appendite, et quidquid moris in nuptias vestras impendendum habebatis, illi impendite. Bene quod interiorum vestram pulchritudinem quærit, ubi vobis cedit potestatem filias Dei fieri. Non quærit a vobis pulchram carnem. Non est qui de vobis quisquam mentiatur, et faciat sævire zelantem. Videte cum quanta securitate ametis, cui displicere falsis opinionibus non timetis. Vir et uxor amant se, quoniam vident se; et quod non vident, timent in se. Nec certi gaudent ex eo quod in manifesto est, dum in occulto suspicantur plerumque quod non est. Vos in isto quem oculis non videtis, et fide conspicitis, nec habetis quod reprehendatis: nec eum metuitis, ne falso forsitan offendatis. Si ergo magnum amorem conjugibus deberetis, eum propter quem conjuges habere nolulistis, quantum amare debetis? Voto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. Totum teneat in animo vestro, quidquid nolulistis occupari connubio. Parum vos amore non licet, propter quem non amastis et quod liceret. Sic amantibus mitem et humilem corde, nullam vobis superbiam pertimesco.*

Inde et sanctus Ambrosius (De virg., l. I, c. 8): *Vobis autem, virgines sanctæ, speciale præsidium est, quod pudore intemerato sacrum Domini servatis cubile. Neque mirum, si pro vobis angeli militant, quæ angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam imitatur. Et quid pluribus exsequar laudem castitatis? Castitas etiam angelum fecit. Qui eam servavit, angelus est; qui perdidit, diabolus. Hinc etiam nomen accepit. Virgo est, quæ Domino nubit; meretrix, quæ deos*

facit. Nam de resurrectione quid dicam, cujus præmia jam tenetis? « In resurrectione autem neque nubunt, neque ducunt uxores : sed erunt sicut angeli Dei in cælo (Matth. xxii). » Quod vobis promittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum usus apud vos est. De hoc mundo estis, et non estis in hoc mundo. Sæculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quam præclarum est autem, angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cælo : virgines vero propter castimoniam in cælum transisse de sæculo! Beatæ virgines, quas non illecebra sollicitat corporum, non colluvio præcipitat voluptatum. Cibus parcimoniæ, potus abstinentiæ, docent vitia nescire, qui docent causas nescire vitiorum. Item idem Ambrosius (De virg., l. i, c. 8). « Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus (Cant. iv), » eo quod in hortis hujusmodi impressa signaculis imagine Dei, sinceri fontis unda resplendeat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cæno turbentur. Hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus, vitem redolet, flagrat oleam, rosam renidet, sic in vite religio, in oleo pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescant. Hic est odor, quod Jacob patriarcha flagravit, quando meruit audire : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni (Gen. xxvii). » Nam licet plenus omnibus fere fructibus fuerit ager patriarchæ sancti : ille tamen fruges majore virtutis labore germinavit, hic flores. Accingere itaque virgo, et si jus hujusmodi tibi, ut hortus aspiret, prophetice eum claude præceptis : « Pone custodiam ori tuo, et ostium circuitus labiis tuis (Psal. cxl) ; ut etiam tu possis dicere : « Sicut malum inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quam desiderabam, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo (Cant. ii). — « Inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam (Cant. iii). »

Pest ista tam sublimia, ac dulcia sanctorum verba, audite, mihi charissimæ, excelsi nominis ac famæ Hilarium, ipsam carnalem filiam suam ad virginitatem, tam corporis quam animæ conservandam, proposita quadam veste divina, ac margarita cœlesti, toto conamine invitantem, atque exhortantem :

Anno primo, ait sanctus Hilarius (Epist. ad filiam), vestem vidi. Vidi, filia, vidi, quod eloqui non possum. Nunquid non ait sericum secundum subtilitatem ejus spartum erat? Nunquid candori ejus nives comparatæ non nigrescunt? Nunquid aurum juxta fulgorem ejus non lividatur? Ipsi enim multi colores ejus, amœna cuncta vincebant : et nihil prorsus poterat ei comparatum æquari. Post quæ vidi margaritam. Qua visa, statim concidi. Non enim potuerunt oculi mei sustinere tantum ejus colorem. Nam nec cœli, nec lucis, nec maris, nec terræ species, pulchritudini ejus poterat comparari. Hæc quidem Hilarius filiæ. Sed adhuc in fine omnium veniat magnus Cyprianus Carthaginensis, cunctis præcedentibus æqualis officio, par magisterio, major martyrio.

A Ait enim (De habit. virg.) : Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis : decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis. Læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum Dei : imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter florens Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has hortamur : affectione potius quam potestate. Æquales enim sunt angelis Dei, cum sint filiæ resurrectionis. Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis. Per sæculum sine sæculi contagione transitis, cum castæ perseveratis, et virgines, angelis Dei æquales estis. Tantum maneat et duret solida et illæsa virginitas, et ut cœpit fortiter, et jugiter perseveret. Quomodo portavimus imaginem ejus, qui de limo est : portemus et imaginem ejus, qui de cælo est. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat, et veritas. Portant disciplinæ Dei memores justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore. Ad omnem toleranciam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles : fraterna pace unanimes, atque concordēs. Quæ vos singula, o bonæ virgines, observare, diligere, implere debetis : quæ Deo et Christo vacantes, ad Dominum, cui vos dicastis, et majore, et meliore parte præceditis. Provectæ annis, junioribus facite magisterium. Minores natu, præbete comparibus incitamentum. Hortamentis vos mutuis excitate, æmulis virtute documentis ad gloriam provocate. Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter : tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.

Isti, charissimæ, de quorum libris velut de pratis florentissimis hos amœnos flores excerpsti, de summis sacerdotibus Dei sunt, doctores Latinæ Ecclesiæ, imo nisi multiplex diversarum linguarum barbaries obstaret, totius Christiani orbis existunt. Horum vobis margaritas ostendi, horum ex aliqua parte super aurum et topazion pretiosos et concupiscibiles thesauros coram vobis effudi. Superest, ut quod gratis offertur, ardenti animo suscipiatis, summo studio et cautela servetis, meque de salute vestra plus cunctis mortalibus sollicitum, cum angelica virginitate, altissima humilitate, sublimissima charitate Jesu Christo, ut ancillæ, imo ut ejus sponsæ amabiles factæ fueritis, vobiscum gaudere faciatis. Recordamini beatæ matris meæ, sanctæ aviæ vestræ, recordamini, inquam, quanta fide, quam ignoto ac de supernis concepto charitatis fervore, vos adhuc puellulas, nec inter dexteram vel sinistram discernere valentes, mundo furata fuerit, diabolo subtraxerit, Deo obtulerit, sanctis sororibus adjunxerit. Metuebat illa, sicut ab ore ejus sæpe apud Marciniacum audivi, ne forte ab hac misera valle lacrymarum, nutu vocantis Domini

ante raperetur, quam vos de laqueo venantium ere-
ptas videret: antequam in schola virtutum numero
sanctarum adjunctas superstites sibi relinqueret.
Respexit benignus Salvator ex alto humilitatem et
preces ancillæ suæ, et ille qui replet in bonis desi-
derium suorum, et qui voluntatem timentium se
facit, ejus desiderium tandem implevit. Sociavit
vos choro virgineo, corpore. Videte, videte ut et
sociaverit mente. Non sunt quidem omnes vobis
cohabitantes virgines carne; sunt tamen, ut ait Pa-
ter Augustinus, *virgines fide*. De quibus solemniter die
Natalis Domini solemniter clamat: *Ubi jam non
potest esse a concubitu caro integra, sit in fide virgo
conscientia, secundum quam virgo est omnis Ecclesia*.
Juxta quem sensum, tam de virginibus quam de
continenter sancteque viventibus apostolica tuba
frequenter intonat: *Despondi vos uni viro virginem
castam exhibere Christo (II Cor. xi)*. In hoc choro
virgineo feliciore sorte constitutæ, hoc est, non so-
lum spiritum, sed et corpore illibatæ, juxta monita
eorum, quos præmisi, sanctorum, vitam vestram
disponite, mores componite, bonum certamen cer-
tate, cursum a teneris annis inchoatum, instanter
currendo, feliciter consummate. Imitamini sorores
vestras et matres, cum quibus Deo servitis. Specia-
liter vero quam commemoravi felicem aviam ve-
stram, quæ vos ad Deum præcessit, et quæ ut eam
sequamini, non solum dum viveret, sed et nunc
etiã mortua invitatur. Date mihi, obsecro, vocem
magni Apostoli, ut possim unicuique vestrum se-
curus dicere quod ille Timotheo discipulo scripsit.
*Gaudio impleor, recordationem accipiens ejus fidei,
quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primum non
quidem, ut ille ait, in avia tua Loide, et matre tua
Eunice, sed in avia tua Raingarde, et in patre
tuo Hugone, certus sum autem, quod et in te (II
Tim. i)*.

EPISTOLA XL.

*Charissimo meo et unice amplectendo, domno BASILIO
servorum Dei Chartusiæ priori, frater PETRUS hu-
milis Cluniacensium abbas, salutem, cui se devo-
vit, æternam.*

Nuper in præcinctu Romani itineris constitutus
scripsi vobis ac fratribus ab Herbini monasteriolo
nostro, quod ad vos jam perlatum credo, et tam
propositum adeundi vos, quam causam, quæ ad
remanendum compulit nos, litteris indicavi. Scripsi
tunc generaliter, scribo nunc singulariter. Scribo
ab ipsis Alpium faucibus, et excuso, quod in lite-
ris illis nominis vestri, vel officii mentionem solito
more non feci, oblivio sola in causa fuit. Hanc, ut
arbitror, mihi ingessit itineris festinantia, et navis
ad transferendum nos ultra Isaram flumen parata.
Volo tamen te, charissime, scire, affectum illum
meum, quo montana vestra adire decreveram, ma-
gis causa te visitandi, quam locum licet sanctum
videndi fuisse. Illum enim ac fratres alios, et a mul-
tis jam annis sæpe videram; te vero ex quo istud
arduum et cœleste propositum assumpsisti, nun-

quam visitaveram. Non fueram, nec sum immemor
quanto me semper affectu colueris, quam de devoto
ac sincero animo ab ipsis adolescentiæ tuæ annis,
ad divina anhelaveris, quam frequenter eo spiritu
Cluniacum tuam, et vere tuam visitaveris, quanto
insuper tempore in ipso claustro fratribus nostris
tuisque adjunctus Deo militaveris. Placuit dehinc
spiritui illi, qui ubi vult spirat, ut te de virtute ad
virtutem proveheret, et ascensiones in corde tuo
disponens, de bonis ad meliora, de altis ad altiora
transferret. Statuit, et per gratiam suam perseve-
ranter statuet supra petram pedes tuos, et diriget
in viam mandatorum suorum gressus tuos. Con-
stituit te in gradu illo vitæ, quo altior aliquis, aut
vix, aut nusquam apparet. Ea de causa te invisere,
et profectui tuo, quo violenter regnum Dei rapere
contendis, proposueram congaudere. Decreveram
renovare tecum antiquas illas et sanctas felicis me-
moriam domni Guidonis prædecessoris tui mecum
sæpe habitas collationes, quibus velut scintillis ab
ejus ore procedentibus accendebar, et omnium
pene humanarum rerum oblivisci cogebam. Contu-
lisset tecum et de quibusdam hoc in tempore
necessariis, quæ nec chartis committere, nec
multorum auribus credere volebam. Hæc quia,
charissime, ad præsens non dantur, precare instan-
ter Omnipotentis misericordiam, ut saltem in poste-
rum concedantur. Iter meum sociosque itineris, ut
speciali et intimo amico commendo: quod tanto
majoribus auxiliis eget, quanto majoribus hoc hie-
mali tempore periculis formidabile est. Fratrem
Petrum de Wapingo olim in Christi militia, ut ipse
vidi, tironem, nunc veteranum, fratremque Gaufridum,
qui tanto tempore bonum certamen certavit,
jamque pene cursum consummavit, ex parte mea
oro ut affectuose salutes, meque nostrosque ipso-
rum sanctæ vitæ, ac precibus intente commendes.
Nescio enim, si quis alter primi illius mei temporis
miles adhuc superstes sit. Similiter et illum nobi-
lem carne et spiritu Olmarum conversum de Valbo-
neis, omnesque pariter quando simul convenerint,
saluta.

EPISTOLA XLI.

*Domno venerabili, sincera quoque affectione reve-
rendo patri PETRO sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ
benignissimo abbati, frater BASILIUS, et qui cum
eo sunt fratres Chartusiæ, salutem et pacem a
Domino sempiternam.*

Vere hic est affectus antiquæ et firmiter plantatæ
dilectionis vestræ. Qui enim expeditiores, propter
nivis impedimentum ad nos transire vix possunt.
At affectuosam erga nos devotionem vestram, nec
personæ dignitas, nec longi itineris onerosa retinet
gravitas. Pro incæpto labore gratias agimus, pro
non subeundo preces effundimus. Novimus effectum
novimus conatum. Maneat, qui solet amor, quando-
quidem gratissima visitationis vestræ frustramur
lætitia. Quam etsi ad præsens non habemus, de fu-
turo per Dei gratiam non desperamus. Præstabit id

qui abstulit, opportuno tempore Deus. Quam licet A multum Domini et fratres mei desiderent, ego te ex debito avidius esurio. Nonne enim sum ego ille, quem pauperem et inopem non spernebatis; sed amabatis, fovebatis, et ad opus suave religionis piis studiis instruebatis? Cluniacens. ordo, Cluniacens. disciplina, Cluniacens. amabilis et honorabilis conventus, ut vere fatear, me semper ad meliora et arctiora provocavit, pro certo etiam et adhuc provocat. Quid enim? Potest avelli ab homine, cujus anima Deo subjecta est, chori, claustrum, dormitorii, refectorii Cluniacensis, cæterarumque nobilium officinarum omni homini æmulanda disciplina? Sed non omnes vident quod vidi ego. Non omnibus notum, quod mihi patuit. Gratias Deo. Quid plura? Vester sum, fui, et ero in æternum, quia B vere et vos Christi Domini estis. Servate orationibus quod sacris ædificastis exemplis. Domum Chartusie, et omne propositum nostrum qualecunque sit, sanctis intercessionibus vestris commendamus, benignissime Pater.

EPISTOLA XLII.

Summo pontifici et nostro speciali Patri domino papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, devotam cum filiali amore obedientiam.

Relatum est mihi, Pater, quod quidam monachorum Bremensium adeant majestatem vestram, causa insimulandi abbatem suum apud vos. Quid dicturi sunt, nescio. Unum me scire confido, quod C nihil poterant rationabile prætere, unde paternam commotionem mereatur incurrere. Vidistis ipse nuper hominem, sed, ut puto, mihi plenius ejus esse notum est, utpote illius quem pene puerum suscepi, quem educavi, cujus conversationem bonam, cujus famam integram, tam in Cluniaco quam extra, multis jam annis probavi. His de causis, hoc merito, ego quidem eum aliquantisper et magnis prioratibus prætuli, vos vero ut accepi, simili fama eum vobis commendante, magnæ abbatiæ prætulistis. Magnæ dico, possessionibus, sed parvæ, miseræ, et ruinosæ, habitatorum, ut mitius loquar, erroribus. Vidi ipse hoc ex parte, in præcinctu veniendi ad vos constitutus, quando ab eodem invitatus abbate, D Natalem Domini hoc anno in eadem abbacia celebravi. Vidi monasterium pene tugurium, vidi locum parum a solitudine distantem, vidi omnia velut ab initio, non solum innovanda, sed a primo etiam lapide fundanda. Monachos nobis quidem devotos, sed velut novitios de novo instruendos. Facile mihi fuit ex fructu arborem cognoscere, de habitaculis habitatores judicare. Hi nondum exuti veteri homine, neque induti novo, quoniam a vestro abbate coguntur in pectore veteri nova meditari: malunt esse oves absque pastore, et requiescere in fœcibus suis quam contraire voluptatibus aut voluntatibus solitis. Hæc est causa, qua id quod dixi aggressi sunt, ut percusso pastore dispergantur oves gregis. Nove-

rit autem sanctitas vestra quod, exceptis paucissimis magis ex monachis quam monachis, omnes ei quoscunque in partibus illis audire potui, laudabile testimonium ferunt, dicentes eum religiosum in spiritualibus, prudentem in temporalibus. Providete ergo ei, si placet, ut filio vestro, et abbati vestro, ne quod plantavit manus vestra, inimicus homo eradicet, ne gloriètur impia pars, et dicat: *Prævalui adversus eum* (Psal. XII)

EPISTOLA XLIII.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri domino papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, filialem amorem et debitam obedientiam.

Importunitatem, qua frequentibus litteris, patrem fatigo, sæpius excusavi. Excusavi plane; sed urgentibus causis importunus esse non cesso. Indulge, Pater, si placet. Vides quia tam in his quam pene in omnibus aliis non quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio. Memorem esse credo paternitatem vestram quod de nobili viro, domno scilicet Guidone de Domna, vobis Signiæ verbum fecerim, et ut causa pro qua interdicti sententiæ se subjectum esse dolebat, in partibus nostris juste examinanda, diffinienda, mandato vestro personæ idoneæ committeretur, rogaverim. Responsum mihi est a benignitate vestra Viennensem metropolitanum, qui auctor illius negotii fuerat, mandatum a vobis in proximo venturum, a vobis super his conveniendum, audito eo congruum illi quæstioni vos finem impositurum. Rediens ergo a vobis, et per Italiam jam proximus Alpibus iter faciens, audivi eum festinato ad vos tendere, et jam urbi proximum esse posse. Unde et ego festinanter cursorem post ipsum ad vos cum litteris præsentibus misi, orans ut, si potest fieri, aut antequam a vobis recedat, causam jam dicti nobilis viri sapientia vestra more, quo solet, diffiniat; aut sicut præsens rogavi, in provincia Viennensi, vel Lugdunensi, si cui placuerit, terminandam committat. Et ne forte miretur sagax prudentia vestra me velut rem alienam mihi superfluo assumpsisse, noverit non esse hanc rem alienam, sed propriam, quia D ille cujus est, non alienus, sed noster est. Noster est amore, noster et genere, noster et beneficio: Amore quantum ad se, genere quantum ad suos, beneficio quantum ad utrosque. Quantum ad se, quia nos nostraque præ cunctis mundi monasteriis diligit; quantum ad suos, quia patres, avi, et atavi ejus, idem fecerunt; quantum ad utrosque, quia tam ipse quam illi monasteria, ab eisdem fundata et Cluniaco tradita, multis et magnis possessionibus atque redditibus ditaverunt. His de causis, negotia ejus non peregrina reputo, sed domestica; non aliena, sed propria. Et quoniam is de quo vos sollicito, et super quo majestati apostolicæ preces effundo, absens est, nec facile militaris homo, et sæculo innumeris curarum catenis astra-

ctus, vos adire potest, verba ejus mediantibus A litteris istis breviter prolata, si placet, audite. Dicit credere se, uxorem, super qua arguitur, sibi legitime ac juste nupsisse. Vivit quidem altera, cui primo conjugali foedere vinctus dicitur, sed illam nunquam suam fuisse conjugem astruit. Causam, imo causas, quibus conjux ejus nec fuerit, nec sit, nec esse possit, tales proponit: Primam, quia contradicente suo Gratianopoli episcopo, illam accepit; secundam, quia infra annos nobiles existenti, nec assensum canonicum præstare valenti, adhæsit; tertiam, quia consanguinitatis linea ei proxime junctus est; quartam, quia rem conjugii nullo unquam tempore vel momento cum ipsa, quamvis multum voluerit, ullo modo habere valuit: quintam, quod sicut hanc primam contradicente omnino ut dictum B est, episcopo suo accepit; sic istam, volente, concedente, imperante, imo pene compellente eodem pontifice admisit; sextam, quod in reditu vestro a Gallis ad Italiam, in montanis Jurensibus inter pontem Arleium et Villam Juniam ei præcepistis; ut sæpe nominato domino Viennensi archiepiscopo in omnibus obediret, indeque salutem suam non dubiam, sed certam speraret; septimam, quod priusquam hæc omnia discuterentur, postquam tam per se quam per alios religiosos vel sæculares viros, C judicium justitiæ paratum se esse subire, non semel tantum, non bis tantum, episcopo suo, et dixit, et mandavit: ab ipso interdicti sententiæ submissus est. Æstimat vir jam satis dictus, quodlibet ex his capitulis unum, et semolis aliis, solum ad divortium inter se et illam primam mulierem non conjugem, faciendum, plene sufficere posse. Quanto magis omnia simul? Videat hæc omnia, et discutiat Pater universalis: et qui curam paternam universis Ecclesiæ filiis debet, animæ, nec de inferioribus, nec de vicioribus sibi commissæ provideat, et aut coram se, ut jam dixi, si fieri potest, rem ipsam diffiniat, aut probis partium nostrarum viris, si placet, diffiniendam committat. Dolet enim multum homo, et quod vix, aut nunquam cuilibet antecessorum suorum contigit, interdicti ecclesiastici [sententiam] se incurrissè, vere ut Christianus ultra quam de laico sit credibile, deflet. Vidi ipse, et verax apud Patrem testimonium fero, quia dum D die quadam inter castrum de Visilia, et castrum de Donna, mecum iter faciens de his ageret, subito in tam amaros fletus et singultus erupit, ut etiam nos, et quosdam nobiscum, qui proximi equitabant, in fletus et lacrymas commoveret. Moveant ergo viscera paterna absentis, et nobilis filii lacrymæ, qui, et sicut fidelis Christianus dolet sibi ecclesiasticæ communionis gratiam subtrahi, et de uxore dimittenda vel retinenda, re ad exâmen procedente, paratus est præcepto apostolico et ecclesiastico obedire.

EPISTOLA XLIV.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri domino papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis, Cluniacensium abbas, filialis amoris, et obedientiæ quidquid potest.

Placentinus clerus, consules et populus, quia benignæ paternitati vestræ ad præsens displicet, multum et multum dolens, placeret super omnia, quæ in terris sunt, volens, elegit me sicut advocatum sibi, sperans, quod mediante me preces suæ apud Patrem facilius admittantur, et fortassis etiam exaudiantur. Facit hoc ex gratia, quam credit mihi servari penes vos, æstimans non ex toto frustrari vota sua, adjuncta suis precibus deprecatione mea. Quod utrum ita sit, utinam sic experiar nunc in assumpta causa, sicut vestri gratia sæpe expertus sum tam in propria quam in aliena! Sum eis debitor, tam charitate communi quam dilectione singulari. Novit hoc, ut arbitror, sapientia vestra, et ad aures majestatis vestræ, ut puto, pervenit quod ante quinquennium, quando videndi et visitandi vos gratia Romam pergebam, super injuria mihi, imo et vobis a marchione Opizone illata fecerint, quantum inde doluerint, quanta vi fugitantem et latibula quærentem bestiam de fovea sua ad publicum protraxerint, quidquid sorbuerat totum usque ad obolum revomere compulerint, satisfacere jam ipsum quam sceleris socios, pro arbitrio meo, vellent nollent, coegerint. Fecerunt hoc, ut dixi, non soli mihi, quia quod factum est filio, factum est et Patri. Ea de causa de ingratitude merito condemnarer, si pro ipsis, ubi causa rationabilis exigit, qualiscunque pretii preces meas indignationi paternæ opponere formidarem. Dicunt, dicunt isti, quorum causam assumpsi, et hoc, ut ab eis accepi, sacramento probare parati sunt, se nihil eorum, super quibus arguuntur, ad injuriam majestatis vestræ fecisse, nihil in æternum facere proposuisse. Sed dicitur eis episcopum a suo Ravennate metropolitano domini papæ insuper præcepto consecratum; et suscipere noluisse; quodque est deterius, nunquam vos eum in perpétuum suscepturos juramento firmastis. Ad hæc illi: *Metropolitano noster, non Ravennas, non Aquileiensis, non quilibet alter, sed Romanus pontifex est. Probamus hoc innumeris testibus, probamus Placentinum electum a multis retro sæculis, a summo et universali præsule, non ab alio consecratum. Producimus inde pro exemplo, præter antiquiores, Urbanum secundum, Calixtum secundum, qui electis nostris consecrationis manum imposuerunt, et exemplo suo, quid posteris servandum esset, lucide ostenderunt. Servetur urbi nostræ concessa a tantis pontificibus dignitas, et parati sumus facere vel subire quidquid apostolica si forte in his deliquimus, imperaverit majestas.* Hæc, Pater, illi. Ego vero his subjungo: Miserere, Pater, miserere tantæ urbis, nulli fere in Italia secundæ. Miserere tanti populi, qui si aliter egit quam debuit, paratus est juxta

præmissa obedire, et cuncta imperata servare. Attende, attende, inquam, discreto illo more tuo, quia, etsi deliquerunt, tamen quod multitudo delinquit, impunitum esse solet. Considera, licet ut minus sapiens loquar, velut docendo doctorem, quod bonus ille Pastor, cujus vices in terra geris, vulneratus est propter infirmitates nostras, et se vicariis suis ad imitandum proponens, ait: *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent (Luc. v)*. Vide quod proximi sunt periculo, et periculo mortis æternæ, si non condescendis, si rigorem tuum servare volueris, si dixeris: Non placabor nisi episcopum a Ravennate sacratum susceperint, non quiescam nisi sacramenta sua irrita fecerint. Timeo, timeo, domine, ne severitate hac magis Ecclesia deficiat quam proficiat, ne rigor iste magis appareat ruinosus, quam fructuosus. Formido ne de Placentia civitate in hac republica nostra Christiana dicatur, quod olim de tribu Benjamin tempore Judicium apud Judæos dictum est: *Ablata est una tribus de Israel (Judic. XXI)*. Si recensuerit, recolet sapientia vestra quot et quantæ a sede apostolica dispensationes, paganorum, hæreticorum, ipsorum etiam catholicorum tempore factæ fuerint, nec ob aliud, nisi quia magni, et discreti Patres, spiritu consilii, et timoris Dei illustrati, videbant se magis Ecclesiæ Dei salva fide, et charitate posse proficere utiliter condescendendo quam inutiliter austeriora servando. Extenderetur epistola in immensum, si exempla vellem proponere quæ occurrunt. Sed quia non est necessarium talia cuncta scienti, ipsum ad se remitto, et ut in libro singularis memoriæ suæ hæc relegat, exoro Verbum tamen memorabile magni Patris, et summi Ecclesiæ Dei post apostolos doctoris Augustini ad mentem, si forte excidit, revoco. Dico sententiam, non verba ex ordine. Insertionis, inquit, tale genus est, ut non possit inseri ramus aliunde allatus arbori, nisi fiat quantulumcunque vulnus in arbore. Sic quandoque vel suis, vel alienis Ecclesia ex charitate condescendendo læditur, ut qui alienatus vel alienus fuerat, inseratur. Sed nimium forte processi. Fecit hoc fiducia, ex paterna benignitate concepta. Ut ergo jam finis fiat, oro, rogo, supplico et corde, imo ipso corpore, ante pedes sanctitatis vestræ, licet absens proster-nor, ut Placentinis vestris, vobis toto conatu placere quærentibus, condescendatis, et errorem eorum modo quo placuerit corrigatis, tantum ut eos, ut Ecclesiam suam, ut episcopum suum, vobis,

A non alteri; Romanæ Ecclesiæ, non Ravennati, vel cuilibet alii conservetis.

EPISTOLA XLV.

Summo pontifici, et nostro speciali Patri domino papæ EUGENIO, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, devotam obedientiam cum filial amore.

B Si Dei dispositio paternitati vestræ me proximum loco fecisset, optassem et omnia a me facta vobis referre, et de faciendis vobiscum consilium inire. Nunc remotus opto sæpe facere quod semper non possum. Unde notum facio benignitati vestræ, quid post regressum meum a vobis factum sit de castro, quod super ipsum, ut ita dicam, Cluniaci caput, Hugo Discalceatus ædificabat (192), contigerit. Questus fueram inde, ut nostis, apud vos: et vestra providentia duro anathemati illud submiserat. Rediens igitur, inveni non tantum inchoatum, sed et fortibus jam muris cinctum, et excepta lapidea turri, cujus jam materiam pene totam jam dictus Hugo congregaverat, lignea interim jam erecta, fere ex integro consummatum. Inveni et nostros villam quamdam juris nostri, quæ Clarum-mane dicitur, castro illi valde proximam fossatis, et munitionibus ambisse, et prout brevitatis temporis permiserat, communitam, castro Hugonis pro castro opposuisse. Inveni universos adjacentes nobis, milites, castellanos, ipsos insuper comites et duces Burgundiæ nostræ, velut aureæ, ut dicitur fortunæ inhiare, et quasi argentei fumi nidore attractos, ad arma sumenda nostros undique concitare. Dicebant multa, amicorum condolentium, vel consultantium specie: quæ ego audita, in quam partem vergerent, advertens, aurem eis pacificam, velut bene consulentibus exhibebam. Instabant et multi ex nostris, sed quo spiritu, ipsi viderint, asserentes credendum esse prudentibus viris, qui cum amici essent, et in re militari assueti, non hortarentur ad inutilia, nec suaderent dissuadenda. Aderant e converso longe plures his, affirmantes nihil unquam lucratam esse Cluniacum militaribus armis, aut vecordem, aut hostem esse, qui monachis pugnare suadeat, qui cucullatum gladio præcingat, pro admirabili habendum prodigio, si tale monstrum ad bella procedat. Ridendos esse, et subsannandos esse ab orbe terrarum, hujusmodi milites vel athletas nec jam illuc velle venire sæculares ad suscipiendum religionis habitum, quem ab ipsis religiosis jam viderent depositum. Præter hæc damna innumera inde posse oriri, cum brevi

(192) *Quid factum sit de castro, quod Hugo Discalceatus ædificabat.* Chronicon Cluniacense pacificationem hujus contentions refert in annum 1153, ubi et Hugonem hunc de Scalciaco cognominat. Et de ea etiam, aut simili tale pontificis Alexandri rescriptum legitur in chartulario Cluniacensi, quod et ipsum Hugonem de Scalceo nuncupat, vulgo *de la Chauz*.

Alexandri papæ confirmatio de pace jurata inter Clun. Ecclesiam, et comitem Forensensem, et Barones

de terra. Et remissio pœnitentiæ unius anni illis qui servaverint ipsam pacem

« Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, Hugoni de Bellojoco et filiis ejus, comiti Forensi, vicecomiti Matiscomensi, Jo. Grosso, Hugoni de Berz, Hugoni de Scalceo, et cæteris, qui Clun. Ecclesiæ pacem juratam conservaverint, salutem et apostolicam benedictionem. »

Et presentis vitæ commodum, etc. Vide in Alexandro III ad an. 1181.

tempore bellica clades, etiam longe majores quam A Ecclesia illa habeat redditus, possit assumere, et consumendo paulatim in se ipsa deficere. Ad ultimum homines aliis assuetos studiis, bellicarum artium prorsus ignaros, hostibus callidis, et in his a lacte educatis, non nisi prædam vel escam existere. Hæc ut sanioris consilii esse claruerunt, mediante Hugone de Berziaco, et quibusdam aliis militibus, ex parte autem nostra, fratre Enguizone præcipue, et quibusdam aliis instantibus, concordia hujusmodi facta est. Dejicit ipse castrum constructor, et diruit ab ipsis fundamentis, suis vel suorum manibus castrum, seque nunquam deinceps aliquid ibidem ædificii facturum juramento confirmat. Dat insuper et montem ipsum Ecclesiæ. Addit et juramento, se a castro Buxeriæ usque Cluniacum, in aliquo prorsus loco, munitionem aliquam nunquam ulterius esse facturum. Interdicit et hoc cunctis hæredibus suis, et instrumentum istud continens, auctoritate et testimonio Lugdunen. Archiepiscopi et coepiscoporum ejus, Guil elmi comitis, et aliorum terræ illius nobilium, sese facturum spondit. Nos autem his de causis, dedimus ei ducentas et viginti libras. Hæc præcipue ea de causa facta noverit sublimitas vestra, quia memores consilii quod nobis dedistis, maluimus in pacis conditionibus expendere multa quam sub dubia belli forte consumere infinita.

EPISTOLA XLVI.

Insigni et singulari nostri temporis viro, domno C
BERNARDO Clarevallis abbati, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas salutem æternam.

Quoniam sanctitati vestræ, mihi tam dulciter, tam benigne scribenti, tot diebus rescribere distuli, nolite mirari. Irruerat forte tunc tantus negotiorum turbo, tantaque causarum congeries me undique suffocabat, ut non dicam scribere, sed vix mihi vivere tunc liceret. Exundabat, disrupto obice, immensa vis aquarum: quas, Romanum iter, me absentem paulatim congregans, stagni more aliquandiu continuerat, in præsentem largissime profundebat. Exclamare tunc merito poteram: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (Psal. LXVIII)*. Hæc fuit causa qua D illi, cui me totum debeo, debitum respondendi, paucis licet diebus, subtraxi. Nunc tandem respirans, occurro, ut possum verbis, tanto tanti amici affectui, post verba in proximo, per Dei gratiam occursum et ipse. Magnificavit vere Dominus facere nobiscum, et ut verba illa vestra, humanum pene os excedentia sonant, prosperum fecit iter nostrum, et gratia sua, studio vestro, precibus vestrorum, duxit et reduxit incolumes: tribuit nobis secundum cor nostrum, et implevit petitiones nostras. Facta sunt nobis etiam ad litteram prava in directa, et aspera in vias planas. Alpes ipsæ gelidæ, et perpetuis nivibus condemnati scopuli, illius sui antiqui horroris pene obliti sunt. Acr

ipse, qui, ut post reditum nostrum accepi, nostræ se Galliæ, hibernis mensibus importunior solito nimis imbris præbuit: quinque solis diebus exceptis, toto, quo in Italia demoratus sum, tempore, tam terreno itinere quam fluviali (nam aliquantis diebus ac noctibus Padus nos navigantes detinuit) jucundum se semper ac serenum exhibuit. Lutosas vias, quibus maxime angi, imo cunctis id minantibus infigi verebamur, fere lapideas siccitate invenimus. Fratres quosdam itineris socios, puræ ac simplicis vitæ viros fluctibus mersos, et jam jamque exstinguendos, ab ipsis ut sic loquar, mortis faucibus, vivos recepimus. Ipse plus solito audax, dum pontem quemdam, quia peditem ire pigebat. conscendere eques conarer, ultimos mulæ meæ pedes tenacissimo retrahente luto, in subjacentem eidem ponti quamdam abyssum pene prolapsus sum. Sed Dei virtute mulæ vires addente, subito me cum eadem super pontem inveni, sicque præter timorem, nihil triste passus, evasi. Quid multa? Talis non in eundo, talis in redeundo, non fortuna, sed gratia assidue comitata est, ut nihil mihi, nihil nostris præter votum contigerit, excepto defectu, vel morte bestiarum, de quibus Deo cura non est. Læta plane in via cuncta reperi, sed lætiora apud Patrem inveni. Bonum illum habui in principio, meliorem in processu, optimum in fine, imo (ut quod verius ex corde haurio fatear) optimum semper. Cumque vultus ille illius, in quo vere apostolicus vigor et forma relucet, pro varietate causarum, personarum, et eventuum mutaretur, et aliis atque aliis nunc jucundum, nunc nubilum discretissime sese præbet, mihi tamen nunquam in diversa mutatus est. Qualem veniens reperi, talem recedens reliqui. Notabam, sæpe austeriorem vel moestiorem, quam frequenter inducere aliis de causis cogebatur, speciem; ipsum aut privatim, aut publice me alloquente, de judicis forma in patris gratiam commutare. Præferebar omnibus etiam majoribus gradu, nec patriarchalis dignitas, cum etiam Ravennas adesset, præire meipsum plerumque impellente sinebatur. Senatui Romanorum, episcoporum, vel cardinalium, non tantum adjungebar, sed et quandoque adjungi cogebar. Excluebantur universi non Romani a Romanis consiliis: solus aut pene solus ad mysteria jurata vocabar. Ista in publico. Jam secretiora, et remota ab aliis colloquia, quis explicet? Dico, dico quod verum est. Nemo me putet aliter loqui quam sentio. Ut aliquid arrogantius dicam, hoc apud me fas non est. Nunquam amicum fideliorem, nunquam fratrem sinceriosem, nunquam Patrem puriorem in hujusmodi colloquiis expertus sum. Auris patiens ad audiendum, lingua prompta et efficax ad respondendum, non ut major minori, sed ut aut par pari, aut quandoque ut inferior superiori. Nihil fastus, nihil dominium, nihil majestas; sed totum sibi hominem æquitas, totum humilitas, totum ratio vendicabant. Si quid ibi vel alibi petii, aut

indultum est, aut rationabiliter, ita ut queri non possem, negatum.

Hæc dicens non glorior, sed vestra vota in me per ipsum impleta declaro. Et novum quidem non est, Cluniacense monasterium in qualicumque pastore suo a summo pontifice honorati; sed novum est nihil sinistri in ejus actu, nihil in verbis, nihil in ipso gestu erga ipsum potuisse notari. Videram eum primo anno apostolatus ipsius Romæ, post videram Cluniaci, videram Antissiodori, videram Catalauni, videram Remis, videram alibi: sed talis nunc apparuit, quasi nunquam vidissem. Qualem deinde totius Romanæ curiæ erga me ac nostra statum invenerim, succincte refero, aut amicorum fidelium, ut dulcissimorum fratrum, ut ex mero, et sincero corde, quantum agnosci potuit, familiarium. Vestri omnes, maxime singularis ille vir dominus Hostiensis, non minus, non inferius mihi astitit, quam vobis si præsens essetis astaret. Ad illum explicandum, quia brevis sermo non sufficit, parco literis, sed per Dei gratiam cum præsens fuero, non parcam verbis. Hortatur dehinc textus epistolæ dulcis et sanctæ, tempus et opus esse, ne reddam retribuentibus mihi mala; monet ut nunc illi qui voluerunt, sed non potuerunt aliud agere, experiantur clementiam nostram, et affectus Patris filios recedentes resignet visceribus suis. Instat ut sentiant nos in gremio sedis apostolicæ plus Patris quam judicis invenisse, et gladium jam ad percutiendum exertum, in vaginam pietatis esse repositum, et reliqua in hunc modum. Ad hæc ego: Non est, non est hic labor difficilis, aut insuetus apud me. Natura ipsa satis ad indulgendum me provocat, usus ipse indulgendi instigat. Assuetus sum pati, assuetus et indulgere. Declarat hoc, quod tamen non superbe jactito, de Pontiano schismate, in quod cum innumeri declinaverint, ac nefanda, et in ordine monastico inaudita fecerint; nunquam gladium meum, nunquam mucronem, nunquam framæam experti sunt, vix unquam asperum ab ore meo verbum audierunt. Feci hoc tunc, feci et postea sæpe, et si non de tam gravibus, tamen de gravibus, et juste forsitan nisi tolerantia intercessisset, graviter puniendis excessibus. Facio et adhuc frequenter, nec, ut sic dicam, facere hoc assidue cesso. Sed

A gladium regis, sed habet virgam pastoris. De qua Apostolus: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? (I Cor. iv.)* Et quid dico, habet virgam? imo habet et gladium, secundum eundem: *Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei (Ephes. vi)*. Hic gladius si quieverit, si semper latuerit, si nunquam exertus, nulli unquam terrori fuerit, quid erit? Multiplicabuntur forte, juxta Salomonem, contra remissam manum bestiæ agri, nec juxta cujusdam amici Job verba, pacificæ erunt illi. Et quid faciet pravorum perversitas, quos in malis suis deteriores reddet impunitas?

Transeo Phineem, prætereo Heliam, taceo Machabæos, quos diros scelerum ultores legit et cantat Ecclesia. Virum illum, mitissimum super omnes homines, qui morabantur in terra, propono. Nomen ejus quis nesciat? Is cum tantus virtute mansuetudinis fuerit, Dei suasque injurias ulcisci, horribili mortis exemplo non timuit. Res notissima diu protrahenda non est. Quid loquerer Samuelem pro inimicis orantem? quid David toties, et toties hostibus nequissimis parcentem? Et ille tamen manu non aliena, sed propria, pinguissimum regem Amalechitarum in frustra concidit, et iste non in solo mysterio dixit: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant (Psal. xvii)*. Persecutus est enim hostes, sæpe etiam realiter, et comprehendit, nec conversus est donec deficerent. Quid ipse Salvator, quid plane ipse pius Jesus egit? Flagella quidem pertulit, sed et flagella intulit. Mercatores in loco mercationi incongruo illicite mercantes, de templo Dei non per ministros, sed per seipsum verberando ejecit, quando discipuli de ipso dictum in psalmo recordati sunt: *Zelus domus tuæ comedit me (Psal. lxxviii)*. Quorsum ista? videor, ut dicitur, Minervam docere, guttulis Rhodanum infundere, ad nemus ligna convehere. At nihil horum ego facio. Quid ergo? unum est quod intendo, unum quod specialissimo et sanctissimo amico suggero. Credit forte vel existimat, dum hæc legit, beatitudo tua, me super hujusmodi homines insanire, et velle tormentis eorum vel suppliciis saturari. Non fui, non sum, nec esse possum tortorum qui, licet fratribus suis maligne detrahendo, susurrando, obloquendo, multum deliquerint, licet carnes eorum dente canino laniaverint, ipsa sua viscera unguibus propriis discerpserint, corpus Ecclesiæ suæ in quibusdam ejus membris, nequiter, ut ego novi, laceraverint, habeant, si sic vobis utile videtur, veniam, ne mereantur præmium. Horum uno si beneficio abuti noluerint, provocari poterunt ad melius, altero deterreri poterunt, ne cadant in deterius. Sed dicetur: Non erit plena charitas si non, nocuerit, sed ea erit integra, si profuerit. Eia. Velim nolim, perfectus esse compellar. Ero (quod non putaveram), perfectus, sicut Pater meus cœlestis perfectus est. Non ulciscar in hostes, imo benefaciam hostibus. Præferantur,

principentur, regnent, sed sine me. Sine me quomodo? Habeant dignitates. Habeant honores, si dici debet, monasticos a me, sed non circa me. Habeant extra positi, et res meas, et etiam, si merentur, cor meum; non ambiant latus meum. Nulla, ut nostis, et ut ait ille quem nostis, ad nocendum efficacior pestis quam familiaris inimicus. Proverbium est, etiam vulgatum: *Primo falli incommodum est, secundo stultum, tertio turpe.* Et ut aliquid divinum subinferam: *Amici*, ait Salomon, *sint tibi multi, consiliarius unus de mille (Eccli. vi).* Videor ex parte loqui ut filius sæculi, cum, teste Deo, non multa mihi sit cura de sæculo. Esset vero fortassis, vel parva, vel nulla, si permitterent filii sæculi. Sed quia ipsi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, utinam mihi daretur simplicitas columbæ ad illorum vitandam nequitiam, et serpentis prudentia ad precavendam malitiam! De his ita ad præsens.

De reliquis quæ hanc materiam sequuntur, sacri oris vestri verbis, quid dicam? Non invenio, non sufficio. Sufficio tamen non quidem ad respondendum, sed ad rependendum tanto amori totum, et integrum mei animi vel cordis affectum. Occurram, occurram certe, ubi vobis vel vestris visum fuerit: occurram inquam servo meo, ut a vobis habeo, vel apud Divionem, vel apud ipsam Claramvallem. Agnosco enim, et vere agnosco quod dixistis, quia quantum pepercero vobis, parcam et mihi. Munus quod pro magno vos habiturum scripsistis, vobis concessi, donec optabili colloquio perfrui merear. De Germano quod magis innuistis quam dixistis, facio quantum valeo. Cætera diei expectatæ reservo. De subpriori ea, quæ subjunxistis, ut legi, non modice miratus sum. Conveni statim hominem, et cuncta fere quæ de eo vobis suggesta fuerant, ab ipso falsissima esse audivi. Veritus sum meorum sibilos serpentium, ne similia his, quæ hoc anno profuderunt, vestris auribus insibilassent. Et vere major pars materiei, quam epistola vestra continet, ab ipsis infusa videtur. Hi licet paucissimi, et ut putant, secretissimi, odiunt quod diligo, diligunt quod odio. Sed hoc quidem gratis, ut psalmus ait (*Psal. lxxviii*); et Salvator meminit. Diligo ego hominem illum, quia longe plusquam appareat prudens est, utilis est, necessarius est, fidelis est. Hoc forte ultimum, et solum in ipso oderunt. Scripturus est ipse vobis, excusaturus quod non fecit, nec negaturus quod fecit; satisfactorius per omnia si quid vel in modico vos offendit. Credite viro, qui, sicut novi, fide dignus est. Valet.

EPISTOLA XLVII.

Fratri NICOLAO, frater PETRUS humilis quod solet.

Ut absque proœmio loquar, quid plane, quid est? Et tu ille es, cui dicatur: *Modicæ fidei, quare dubitasti? (Matth. xiv.)* Sed nec ego Christus sum, nec tu Petrus es. An, bone vir, ut cum stomacho loquar, me putasti alium esse factum? Ergone tam firmas radices fixerat opinio mei amoris erga te, ut

A quem in fortissimam quercum evasisse credideram, vix in vimen tenerrimum coaluisse agnoscam? An forte putasti, cum mutatis regionibus mutasse me et animum, et infectum peregrini aeris tactu, ut aliquid fabulosum interseram, Circe medicaminibus de homine bestiam factum, in monstrum aliquod erupisse; cum dicat quem nosti:

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt?

(HORAT. lib. I, epist. 11, v. 27.)

Non adeo, non adeo in me prævaluit Romanum vel Campanum littus, ut quod eram me oblivisci cogeret, et non in melius, sed in deterius commutaret. Mirum esset, si longo tempore hoc: magis autem mirum, si in tam brevi efficere potuisset. Sed non est ita. Non sum quidem qui fueram, sed corporis, quod momentis singulis in omnibus fit, alteratione, non animi mutatione. Quod si forte, quia silvi, mutatus esse credor, credatur idem, et quando loquor, quia non semper loquor: credatur et quando dormio, quia non semper dormio, et sic de reliquis corpori vel animo accidentibus. Sed non fuit causa silendi, imminutio diligendi. Quod silui, quod per tam longum iter de tam longo itinere nihil tibi, charissime, si tamen hoc te esse adhuc non dubitas, scripsi, factum est, non quia nolui, sed quia non potui. Quid poteram positus in itinere scribere, qui vix poteram vivere? Vivere dico, non quod, Deo gratias, amicis, fratribus ac filiis tam orantibus quam studentibus, aliquid mihi præter votum contigerit, sed quia integra pene semper die equitanti, media nocte edenti, valde mane surgenti, in agone continuo desudanti, quis animus ad meditando, quæ lingua ad dictandum, quæ manus ad scribendum parare se poterat? Hæc præter alia multa quæ commemorare longum est, impedimenta, et Transalpinum et Cisalpinum mihi silentium indixerit. Fuit et illud, quod domno abbati actuum meorum vel eventuum primam notitiam, ut par erat, ante omnes alios reservabam. Jam et si post reditum aliquandiu silui, mirum non est, sed quia adhuc loqui potui, valde mirandum est. Quomodo istud? Læta quidem, jucunda, et arridentia cuncta reperi, et præter devotum clericorum, et laicorum occursum, fratrum, quod mihi magis cordi erat, tam vocis canticum quam cordis jubulum inveni. Lætabar in eis, et non in me, sed in Domino gloriabar, quod pium et valde ducem animorum suorum affectum erga me qualemcunque pastorem suum oves non meæ, sed Christi, non solum cantibus, sed et lacrymis ostendebant. Mirabar vix quinque mensium absentiam meam in tantam amoris flammam ex occultis subito prodiisse, ut mirum videri posset, si quinquennii mora tantam parere potuisset. In his constitutus, vixque quadridui metas excedens, statim post lilia gaudiorum, spinas intravi negotiorum. Inundaverunt aquæ super caput meum, et pene dixi perii. Invocavi mox nomen Domini, unde necdum submersus sum; meum erit a modo tuumque ac meorum, ne submergat. Aquæ

istæ populi fuerunt, et gentes, ab Italia (193), Germania, Hispaniis, Anglia, ab ipsa nostra Gallia Cluniacum derivatæ, ibique simul per totam illam absentiam meam, in immensos causarum cumulos congregata. Hæc ut me præsentem senserunt, ac si in caput meum conjurassent, quæcunque diu continuerant profuderunt. Feci quod potui, et evasi ut potui; hæc qui non advertit, qui non recogitavit, qui non consideravit, quid meruit? Sed indulgebo, dabo veniam, prosequar morem meum. Nolo in uno reo mansuetudinem meam perdere, quam in multis millibus soleo conservare. Jam vero in itinere meo super quo certificari rogasti, quid egerim, quid dixerim, quid invenerim, ad litteras, quas domino Clarevallensi facio, per eas de his omnibus instruendum te mitto. Ibi cuncta leges, ibi cuncta reperies. Scripsi ei, ut ostendat eas tibi. De consan-

(193) *Gentes ab Italia, etc.* Sic et anonymus qui vitam S. Morandi Cluniacensis monachi scripsit. « Ad Cluniacum, inquit, tunc tanquam ad commune pietatis asylum confugebat quasi universus orbis pro suorum spiritali instauratione locorum. Hinc effusa spiritualium virtutum nardo impleta est tota mundi domus ex odore unguenti, dum religionis monasticæ fervor, qui illo tempore pene refriguerat, illorum virorum exemplo studioque recaluit. Gallia, Germania, transmarina quoque Britannia hoc testatur. Hispania, Italia, totaque Europa fate-

Agueo meo, abbate Miratorii mirando, et admirabili, quid dicam non invenio. Invenirem vero fortassis, nisi brevitatis studium finire me epistolam cogeret. Præter hoc tempus breve, Pentecoste urgens, cursor festinans, cursum verbi impediunt, et animum maximos tumultus suos exprimere gestientem reprimunt. Nec illam Miratorii materiam, etiam si tota ei dicaretur, brevis epistola expleret, cui vix liber integer sufficere posset. Da operam, quæso, ut dies colloquii inter me, et dominum Clarevallensem, tertia post Pentecosten Dominica apud Divionem, si fieri potest, habeatur. Dominum abbatem, ut te nobis citissime mittat, rogavi. Tu vero nullo modo citius venire graveris. Es enim mihi, et propter ista, et propter quædam alia, multum necessarius. Cursori, quod tandiu moratus est, noli imputare, sed mihi; excusaque eum apud cæteros. Vale (194).

tur, plena monasteriis ab eis aut noviter fundatis, aut ab antiquo senio reparatis, » etc.

(194) Ad explendum epistolarum hujus libri sexti numerum, quæ computantur in Chronic. Cluniac. Desiderari videntur hic adhuc tres, nisi forte quis illas tres, ad Petrum de S. Joanne, et adversus Petrobrusianos, quæ tractatus potius quam epistolæ censentur a pluribus, et quas se jungendas nos docuit idem Chronicon, eis adnumerandas existimet.

AD LIBROS SEX EPISTOLARUM PETRI VENERABILIS SUPPLEMENTUM.

PETRI VEN. ET VARIORUM AD IPSUM EPISTOLÆ.

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTÆ.

I.

Epistola R. abbatis Vizeliacensis ad PETRUM abbatem Cluniacensem. — Misericordiam ab eo flagitat pro Philippo quodam monacho irreligioso.

(Circa an. 1125.)

[MARTENE, *Thesaur. Anecd.*, I, 366, ex autographo in archivis S. Mausueti.]

Reverendissimo Domino P. Cluniacensi abbati frater (195) R. Vizeliacensis abbas salutem et benedictionem.

Cum apud Luperciacum hospitati fuisset, in

(195) Is est Raynaldus frater Petri Venerabilis Lugdunensis archiepiscopus.

C ipsa nocte quidam Philippus juvenis, quem a Castello Canino nuper illuc misisti, desperatione cujusdam poenitentiae sibi per epistolam vestram injunctæ ductus, turrem ecclesiae ascendit, et se quærentes fratres lapidibus obruere voluit. Tandem nos ad ecclesiam ivimus, et in fide eum vocavimus: aliter enim descenderere volebat, et quare hoc fecisset inquisivimus. Ille autem dixit se a domno Ildino priore Castelli Canini de confessione sua detectum, et pannos suos, quos ei dimisit patruus suus prædecessor ejusdem Ildini,

qui postmodum ex abbate Vizeliacensi factus est